SCRIPTORES
NEVROLOGICI MINORES
SELECTI.

TOMVS TERTIVS.

SCRIPTORES

NEVROLOGICI MINORES SELECTI

SIVE

OPERA MINORA

AD

ANATOMIAM PHYSIOLOGIAM ET PATHOLOGIAM NERVORVM SPECTANTIA.

TOMVS III.

CVM TABVLIS AENEIS.

EDIDIT ET PRAEFATVS EST

CHRISTIANVS FRIDERICVS LVDWIG

PROF. LIPS.

LIPSIAE

APVD IO. FRID. IVNIVM.

MDCCXCIII.

LECTORI
AEQVO ET ERVDITO
S. D.
EDITOR.

Promiſi in ſecundi tomi praefamine, me de cauſis, quae pathologiae cerebri atque neruorum, cuius vtilitatem et fructum adeo nonnulli in dubium vocare nuper ſunt auſi, incrementa mire impediuerunt, proxime expoſiturum eſſe, inter quas non vltima ſaltem eſt anatomiae pathologicae neglectus et paene contemtus. Hanc ſcientiam vero hucusque, exceptis quibusdam ſummis viris, non valde a multis exucultam eſſe non quidem mirum eſt, quoniam ſi ſanitatis perfectae adumbratio ex ſani corporis diſſectione non niſi difficulter petatur; aegrotantis corporis et viciſſitudinum eius origines ex partium peruerſo ſtatu multo maiori cum attentione adeo non cognoſcantur et non niſi ſubtiliſſimae anatomiae adjumento explicentur atque reuelentur. Namque certa et probabilis methodus anatomiae pathologicae ſtudio nondum adcommodata vel inuenta eſt, quod alio tempore demonſtrabo. At profecto ad vnam tantum anatomico-pathologicam hiſtoriam ſiue ſectionis pathologicae adumbrationem conficiendam componendamque quam multae animaduerſiones pertinent: aegroti nempe, nunc mortui, vita anteacta; deinde integra morbi hiſtoria, aegritudinis origines, commutationes, ἀνάβασις καὶ ἀκμή, remediorum adhibitorum indicationes et effecta, ſymptomatum praecipuorum ſingularis enumeratio, morbi declinatio e. q. ſ. r. Et ex his tandem et ex di-

ligentiſſima et maxime curioſa cadaueris ſectione atque inſpectione ſubtiliſſima explicatio atque veroſimillima viciſſitudinis diuinatio deriuanda erit. Sed quam paucas poſſidemus huius praeſtantiae de ſedibus et cauſis morborum hiſtorias atque quaſi picturas. Praeter MORGAGNIUM enim pauciſſimi ſimilia praeſtiterunt. Atque ego non ignoro permultos eſſe, qui dicant ex his extiſpiciis nullum fructum expectandum eſſe, quoniam vel ante mortem horum vitiorum ſigna deficerent vel quoniam plerumque circa incurabilia et nullis omnino praeſidiis tollenda mala verſarentur anatomiae pathologicae peritorum animaduerſiones atque conatus. Quod quamuis de multis valeat, tamen certiſſime non de omnibus et huius reprehenſionis cauſam in neglecto ſtudio potius, quam in re ipſa inuenio. Praeterea ſi ſtudii ipſius non tantus eſſet ambitus neque tanta reconditarum cauſarum copia morborumque tam diuerſa facies, facile viderent quam plurimi ſtudii excellentiam. Quam adſertionem non vereor, ne quis contemnat ac derideat, qui ſit intelligens et rationalis medicinae cultor. Nam hoc concedent ſaltem plurimi, quaedam anatomiae pathologicae fragmenta eſſe elaborata.

Deinde omnis illa de neruorum vſu et functionibus phyſiologica diſputatio adeo imperfecta adhucdum fuit, vt pathologico ſtudio omnino obicem poneret. Nam in phyſiologicis quam multa phaenomena, quam paucae idoneae explicationes, quam multae dubitationes.

Nec leuis error verſatur in obſeruationum ſemioticarum neglecta perfectione, quae ingenium atque iudicium ad intelligendas aegritudinum differentias egregie acuit. In ſemiotice enim nimis adhuc rudes eiusque parum cupidi ſumus. Difficile vero negotium atque grauis ſignorum diſquiſitio cernitur in eo, quod plura eius momenta non manifeſto ſatis in ſenſus cadant, ſed mente tantum intelligantur.

Interim tamen ſpero plura eaque egregia in utraque diſciplina et phyſiologica et pathologica adhuc eſſe expectanda. Sic GALVANII experimenta nuper demum, de quibus et ad primum opuſculum et in addendis nonnulla adieci, quemadmodum ſimilia conamina certiſſime multam lucem aliquando affundent.

dent. Quemadmodum etiam omnino ea phyſiologia tantum optima eſt, quae ſubtiliori anatomiae et experimentis accurate captis eſt ſuperſtructa et in qua ex his ſolum argumenta ducuntur.

Caeterum non miremini, beneuoli lectores, inter huius tomi opuſcula inuenire commentationem aliquam de cephalalgiae ſpeciebus, quam inſerui, non quod vellem Vobis ſpudaſticam cephalalgiam (c. f. p. 315) creare, ſed vt nuperiorum quorundam ſcriptorum in noſologia elaboranda conaminum exemplum darem. Conueniunt enim noſologici ſyſtematis cultores cum quibusdam ſcientiae naturalis ſcriptoribus, qui quoque difficiliora ſyſtemata naturae magis conuenientibus praeferunt Linneumque inſcitiae accuſantes ſe ipſos riſui exponunt.

Primum in votis erat cum hocce tomo finem imponere huic collectioni ſcriptorum neurologicornm minorum, ſed mutauimus hoc noſtrum conſilium, partim quoniam plura opuſcula rariora, nulla omnino opera et occaſione neglecta, tomo quarto inſerenda, nondum poſſidemus, partim quoniam aliae fortaſſe commendabiles commentationes in horum ipſorum dierum progreſſu publici iuris fient. Iam vero conſilium cepimus poſt hos integros duos annos cum indice et tomo quarto hosce ſcriptores neurologicos minores finire nec ſuſpicamur fore, vt hocce conſilium noſtrum in multas multorum reprehenſiones incurrat.

Caeterum rogatos cupimus omnes ac ſingulos noſtros fautores et amicos, velint conſiliis et re nos iuuare bonisque ominibus proſequi. Sicque vale B. L. nobisque faue.

Scripſi in Uniuerſitate litteraria Lipſienſi in mercatu vernali A. cIↄIↄccxcIII.

ENUME-

ENVMERATIO OPVSCVLORVM TOMI TERTII.

TABVLARVM EXPLICATIONES.

I.

IO. BERNARD IACOB BEHRENDS

DISSERTATIO

QUA DEMONSTRATUR

COR NERVIS CARERE

ADDITA DISQUISITIONE

DE

VI NERVORUM ARTERIAS CINGENTIUM.

MOGUNTIAE 1792.

Par eſt, omnes omnia experiri, qui res magnas, et magno opere expetendas concupiverunt. Quodſi quem aut natura ſua, aut illa praeſtantis ingenii vis forte deficiet, aut minus inſtructus erit magnarum artium diſciplinis; teneat tamen eum curſum, quem poterit. Prima enim ſequentem, honeſtum eſt in ſecundis tertiisque conſiſtere.

CICERO *in Oratore.*

---

§. I.

Thematis dignitas exponitur.

Inter deſideratas nevrologiae partes, potiſſimum nervi cardiaci pertinent, quorum deſcriptio incepta quidem, at nondum eo uſque perducta videtur, quo manus ſenſusque eos perſequi valeant. Etenim, qui ante me labores de iisdem indagandis ſuſceperunt,

perunt, SENAC[1]), HALLERUS[2]), ANDERSCHIUS[3]) et NEUBAUERUS[4]) originem nervorum cordis eruisse contenti, eos nec ultra magna cordis vasa, nec ad haec satis accurate deduxerunt. Cujus rei testes nec leves sunt, nec incerti HALLERUS et SOEMMERRINGIUS, quorum ille[5]) nervos cordis superficiales, per Aortici arcus faciem anteriorem incedentes non ultra se deduxisse, simpliciter confessus est; hic[6]) vero demonstravit, Anderschium et Neubauerum nullum omnino surculum in cor ipsum demissum descripsisse, neque tabulis adumbrasse. Quibus si addideris, quae apud WRISBERGIUM[7]) clarissimum virum, leguntur, qui „Multum abest, inquit, hanc (nervorum „cordis) disquisitionem plane absolutam esse, ut nihil partim nervorum cardiacorum „enodationi in genere, partim eorundem per varias cordis partes distributioni addi „possit" non erit cur post Anderschium et Neubauerum de nervis cardiacis me esse scripturum, miraberis. Eoque studiosius hoc negotium suscepi, quod ab his egregiis viris relictum esse intelligerem, cum sentirem, etiamnum apud solertissimos incisores et physiologos de ratione ac dignitate nervorum cordis agitari. Contendunt enim alii[8]) multos, alii[9]) paucissimos, alii[10]) fere nullos cordis esse nervos. Dignitatem autem

1) Traité de la structure du coeur de son action et de ses Maladies. Paris 1749. tom. I. pag. 116. et 492. tab. 5.

2) Elementa physiol. L. 4. S. 3. §. 25.

3) ANDERSCHII fragmentum descriptionis nervorum cardiacorum adjectis notulis nobiscum SOEMMERRINGIUS communicavit, in LUDWIGII collectione scriptorum neurologiae minorum tom. 2. Lipsiae 1792. Exposuit ANDERSCHIUS nervos cardiacos dextri lateris. Tabula, nervos sinistri lateris exhibens cum divinatione HALLERI est in novis comment. Goetting. vol. 2. et in HAASE cerebri nervorumque anatome repetita. Lipsiae 1781. 8.

4) NEUBAUER descriptio nervorum cardiacorum Franc. et Lips. 1772. Descripsit et pingi curavit Neubauer nervos dextri lateris non dubitans, quin Andersch nervos cardiacos sinistri lateris, quos in tabula delinearat, in Manuscripto quoque, quod tunc nondum erat editum, descripsisset.

5) l. c. Lib. 2. S. 1. §. 12.

6) Nervenlehre c. 323. not. et in notula ad Anderschii fragm. l. c.

7) In sylloge commentationum anatomicarum pag. 58.

8) WALTER in memoires de Berlin 1785. pag. 58. „Le nerfs du coeur sont très nom„breux."

WRISBERG l. c. pag. 58. „Cordi mul„tos naturam nervos impertiisse, facile erat „assertu, si perennem hujus partis motum, „efficaciam, fortitudinem consideraveris."

USTERI Grundlage med. Anthrop. Vorlesungen. Zürch 1791. §. 48. „Sehr viele „Nerven verbreiten sich in die Substanz des „Herzens."

— Plures alios nervos cordis defendentes praetereo, uno *Vieussenio* excepto, qui Nevrographiae Universal. Lib. 3. p. 197. haec habet: „profecto nervi *adeo copiose* per cor „et auriculas eius disperguntur" — — — et porro: „quod attinet ad nervos visceris „istius vasa circumligantes, illi tanquam lo„ra sanguiductibus illis injiciuntur" — „plu„res in pericardium, quemadmodum et in „cor nervuli absumuntur." — — L.

9) HALLER Elem. phys. L. 4. S. 4. §. 3. et S. 5. §. 13.

MAYER Beschreibung des m. K. 3. Theil pag. 42.

WRISBERG l. c. „Pro nervorum cordis „tenuitate et paucitate magna adhuc pars „cordis eripitur vasisque illius impenditur."

ALLGEMEINE LITTERATURZEITUNG No. 70. An. 1792. (ubi cl. Soemmerringii de corporis humani fabrica libri laudantur) „Recensent mögte *beinahe* sagen, dass das „Herz *kaum* Nerven habe."

autem argumenti noſtri illi maxime intelligunt, qui conſiderarint, quanta ſit cordis in oeconomia animali dignitas; quantaque a nervis in oeconomia animali pendent, adeo, ut omnes fere corporis animalis proprietates ſolis nervis debere perſuaſum ſibi habeant viri acutiſſimi.

§. II.

Ejusdem Argumenti continuatio.

Verum enim, cum hac de materia ſerio cogitarem, nervorum cordis perſcrutatio ad id plurimum conferre videbatur, ut tandem aliquando definiri poſſit, quae ſit cauſa motus cordis, quid valeant nervi vulgo cardiaci dicti, quae ſit ratio inter vim inſitam et nervoſam [1]. — Nervorum enim ad cor diſtributio vel hanc cum illa eandem vim habeas, vel diverſam, ſyſtematis utriuſque exceptiones graviſſimas deſiderat. Sed facilius, quid a me quaeratur, intelliges, ſi prius, quid ab utraque parte dicatur, poſuero.

Hallerus, quique eum ſequuti ſunt, ex hypotheſi neque explicare potuerunt, quare cordi ſint nervi, quippe quod ob naturam ſuam irritabilem ſtimulo ſanguinis

laceſſitum

Soemmerring Muskellehre §. 10. et Gefäslehre §. 32.

Hildebrandt Anatomie des Menſchen T. 4. §. 2937. et 3176.

— In univerſum invenio numerum eorum, qui exiles modo et pauciſſimos cordis nervos deſcripſerunt, multo majorem. Sic Th. Bartholinus (Anat. L. B. 1686, 8. p. 358.) inquit: „— nervulos quoque a ſexta conjugatione *obſcuros*, triplici loco infertos: „uno, qui terminatur in ipſum cor ejusque „baſin praecipue: altero, qui in auriculas; „tertio inter vaſa ejus majora — —" Deinde apud Nath. Highmor (Corp. hum. disq. anatomica. Hagae Comitum 1651. fol. p. 137.) lego: — „nervos item a ſexto nervorum pari *exiles* in baſin, juxta exitum „arteriae pulmonariae implantatos habet." — Multo plura, quae huc referam, habet: Isbr. Diemerbroeck (Anat. Genevae 1679. 4. p. 378.) — „praeter vaſa coronaria „etiam ſcribit Galenus cor recipere exiles et „inviſibiles nervulos a ſexta conjugatione—" — „eos autem difficulter inveniri et intra „ipſam cordis ſubſtantiam conſpici non poſſe, „docet ſectionis uſus" — „hi nervi propter „ſummam tenuitatem ita viſum fere ſubterfugiunt, ut a multis atque etiam antehac a „me ipſo valde dubitatum fuerit an aliqui „nervuli cor ingrederentur nec ne. Tan„dem tamen majore cum attentione et dili„gentia eos quaerens, *plurimos admodum* „*exiles* nervulos, inſtar tenuium filorum, a „plexu in cordis baſin et ventriculorum ori„ficia extenſos — — inveni, quos in ipſam „cordis ſubſtantiam proſequi, difficillimum „reperi, in ipſa enim baſi et tunica exteriore „diſſeminati, mox evaneſcere et duntaxat „duo manifeſti parenchymatis ſubſtantiam „aliquo modo leviter ſubire videbantur: un„de veroſimile duxi, ſi forte aliqui ramuli „ulterius excurrant, illos ſolum modo inſtar „tenuiſſimorum et inviſibilium filamentorum „in ſubſtantiam produci eique obtuſum ſen„ſum conferre." — — Cum quibus denique conſentit Fantonus (Anat. c. h. Auguſtae Taurinorum. 1711. 4. p. 295.) qui dicit: „nervulos habent cor et auriculae a „pari octavo et intercoſtali, plurimos qui„dem et exiguos ſane" — — „Clar. Chirac „nerveos ramulos tam diligenter collegit ut „eorum metiri molem potuerit: *luſtratis*, in„quit, *omnibus propaginibus nervorum cor„dis, coactisque ſimul invenimus eorum faſci„culum vix aequare cylindrulum ſesqui linea„ris diametri.*" Haec praecipui loci ſunt, quos colligere ex aliis potui, atque hi mihi omnino notatu digni videbantur. L.

10) Soemmerring Muskellehre §. 26. „Es iſt die Frage, ob die Herznerven dem „Herzen ſelbſt, und nicht blos den groſsen Gefäſen gehören.

1) Wrisberg l. c.

laceſſitum motus ſuos perficere, nervisque ideo haud indigere videatur, neque intellexerunt, cur nervi cardiaci irritati motum cordis non accelerent, deſtructi non tollant; ideoque eos latuit, cur vulnera ſpinalis medullae in collo nervorum cordis ſcaturiginis, cordis tamen functionem non auferant. Memoratu autem dignum eſſe mihi videtur, Hallerum diverſimode, ſibique ſaepe repugnantem, phaenomenorum cauſam explicuiſſe.

Primo enim:

„Nervi, inquit, ad movendum cor plu„rimum faciunt [2].“

„Cordi per nervos vis motrix acce„dit [3].“

„Unicum eſt, ut ideo cor magis irrita„bile ſit, quod nervi cordis ſentientes inti„mae tunicae cordis vicini a ſanguine pro„ximo cominus ſtimulentur, atque adeo „vehementior inde motus ſequatur, quam „quidem ab irritatione exterioris partis al„terius muſculi [4].“

„Adferunt (nervi) ad cor in ira motus „praecipites — non voluntatis juſſu, ſed „tamen a cerebro [5].“

Alibi vero contrarium aſſerens:

„In corde, inquit, aliqua motrix cauſa „eſt, quae ejus muſculi motum aliquamdiu „ſuſtentet, etiam quando nervorum prae„ſidium amiſerit [6].“

„In cor neque voluntati, neque nervis „aliquid eſt poteſtatis [7].“

„Is motus (cordis) eſt inſitus, nec a ce„rebro advenit, nec ab anima [8].“

„Aliquid aliud ſubeſſe cauſae (motus „cordis praeter nervos) oſtendit cordis mo„tus ab omni nervorum irritatione in vivo „animale inperturbatus etc. [9].“

„Magna pars cauſae, a qua cor agitatur, „nequidem a nervis advenit [10].“

Hae ſunt fere omnium, praeter eas, quae me forte fugiunt, qui auctore HALLERO irritabilitatem a nervorum facultate diverſam eſſe arbitrantur, de dignitate nervorum cardiacorum ſententiae, dubiae neque ſyſtemati conſentaneae.

Contra illi, qui vim nervoſam ab innata non eſſe diverſam ſuſtinent, neque cauſas exponunt, quare ad machinam cordis motoriam pauciſſimi diſtribuantur nervi, qui tamen numeroſiſſimi muſculos voluntarios per vitam ſaepiſſime agitatos exemplo oculorum [11]) adeant, neque ſciunt, quid ſit, quod laeſi vel laceſſiti cordis nervi ipſius motum non mutent.

Neque cum his faciendum eſt, qui duo nervorum ſyſtemata adoptant, motorium ſcilicet a ſentiente diverſum, quod iidem manifeſtiſſime nervi et ſenſui praeficiuntur, et motui [12]).

Aliorum, in cordis motus perennis cauſas inquirentium opinionibus WILLISII, VIEUSSENII, RIDLEYI, STAHLII, WHYTII, recenſendis, ſuperſedeo. Fuſe nempe de his diſſeruit, easque refutavit ſummus Hallerus [13]).

§. III.

2) Prim. lin. phyſ. §. 100.
3) Elem. phyſ. L. 4. S. 5. §. 13.
4) l. c. L. 4. S. 5. §. 13.
5) l. c. L. 4. S. 5. §. 2.
6) l. c. L. 11. S. 3. §. 3.
7) l. c. L. 11. S. 3. §. 7.
8) Prim. lin. §. 102.
9) l. c. §. 101.
10) Elem. phyſ. L. 4. S. 5. §. 9.
11) SOEMMERRING Nervenlehre §. 131.
12) HALLER. Elem. phyſ. L. 4. S. 5. §. 9. et lib. 10. S. 8. §. 22.
13) In Elem. phyſ. L. 4. S. 5. §. 6-14.

§. III.

Quid praestitum sit, ostenditur.

Cum haec igitur per multa volumina, perque magnae contentionis disputationes ab ingeniosissimis omnium saeculorum medicis tractata sint, atque tractentur, subjiciendum est, qua via ipsemet ingressus, quemve ordinem sequutus sim, ea, quae alii hactenus conjectura prosequuti sunt, notitia certa comprehensurus.

Ac primo quidem nervorum cordis examini scrupulosius intendens, tum observando, tum analogice concludendo, didici, *nullos omnino nervos, ne surculum quidem in ipsam cordis carnem dispergi.* Nervos omnes, quot quot a magnis vasis ad cor descendunt, arterias coronarias sequi vidi comites, absque ullo ramulo cordis carni immisso. Quod ubi anatome, fidelissima in his rebus magistra mihi aperuit, facile concludere licuit, cor sensu carere; differre vim muscularem a nervosa, neque hanc, sed illam a sanguine venoso excitatam esse causam, quae cor in motum cieat. Cognovi deinde, quanta sit nervorum dignitas, arterias cingentium; quae sit causa saevi tendinum vel aponevrosium adfectarum inflammatione, doloris; denique mihi innotuit, nervorum in adfectibus animi in cor ipsum revera nihil, sed mediate quod dicunt, esse potestatis. Ne vero capita tantum omissis argumentis proponens, obscura memorasse videar, pedem hic figere jubeor, praemissa descriptione nervorum cordis ad ea transiturus, quae, qualia sint, supra a me positum est.

Verum enim ab animi candore pariter et a pietate in praeceptorem alienum foret, nisi ego, antequam de ipsa re incipiam dicere, ingenue essem professus, me, cognitis quidem systematis Halleriani aliorumque vitiis, de removendis iisdem nequidquam cogitasse, nisi hortatu, consilioque Soemmerringii, ingeniosissimi Praeceptoris, intellexissem, quid sit quaerendum, ut aliquid certi in hac re statuatur.

Nervorum igitur cordis perscrutationem eo libentius suscepi, quo magis ego, ex quo ad medicinae studium me contuli, singulari anatomes amore ductus, egregiosque viros Soemmerringium et Loderum Praeceptores nactus, eorumque ornatus favore, praeter therapiae, anatomes potissimum studio incubui. Per tres hiemes, quibus scilicet duce praestantissimo viro Soemmerringio hominum cadavera perlustravi, tanta totidemque ejus in me exstabant benevolentiae documenta, ut quidquid in me est anatomes cognitionis, prope suo jure repetere debeat. Neque mihi, cum in hac pertractanda versarer materia, defuit cadaverum, librorum et consilii copia, eum id unice ageret egregius praeceptor, more scilicet divi Halleri [1]), ut mihi discipulo suo, publicum praemium, eruditorum laudes, accederent. Summo itaque studio adnitebar, ut laudes, quas de me sibi meruit optimus praeceptor, at beneficiis, quae in me contulit, longe minores, nunc primum publice, factus denique voti compos, quod dudum alebam, dilectissimo praeceptori impertirem.

 §. IV.

1) Vide praefationem Halleri ad elem. phys. et divinationem tabulae Anderschianae in novis com. Goetting. tom. 2.

§. IV.

Nervorum cordis descriptio.

Brevis quidem erit haec nervorum cordis descriptio, digna tamen, ni fallor, quae a viris rerum harum cupidis legatur. Parum scilicet, quod in libello spatium expleat, a praestantissimis viris Anderschio et Neubauero est relictum; quali modo nervorum in ipso corde habitus deprehendatur, dicendum restabat, paucis vero dictis expediendum, ni lectoribus taedium movere vellem. Ergo nervorum, quos cor adire cognovi, cursum, eumque qualem ego in ipso corde inveni, narrabo, explicando parum commoraturus, quot, qualesve surculi nervis cor adituris in itinere fuerint additi.

Cordis nervos perscrutaturus utebar cadaveribus puerorum septem ad duodecim ferme annorum, cera repletis. In iis, qui in provectiori aetate fuerant demortui, difficilius est, cordis nervos investigare, qui scilicet more reliquorum nervorum cum aetate deleri videntur, multo etiam majori adipis copia circumdantur, quam corda juniorum hominum. Id vero inprimis agendum est, ut vasa sint bene repleta, nisi interdum arteriolam nervum habere, eumque carnem cordis adire credere velis.

Nervum cardiacum superficialem, ultra Aortae arcum, ubi cum nervis ex Gangliis cervicalibus nervi sympathici in truncos aliquot coalescit, vel in ramos, plexum supremum cardiacum constituentes, dehiscit, non deduxi.

Ex Ganglio cervicali medio nervi sympathici plures nervi cor ipsum adeunt. In sinistro quidem latere quatuor nervos hoc ganglion porrigebat.

Ex superiori ejus fine nervus oriebatur in duos ramos mox dehiscens, quorum alter trans sinistram carotidem, superficialem cordis nervum excipiens, magnis multisque aortico arcui datis ramulis, ante Botalli ductum descendens, arteriae pulmonali incedebat; aortae arcui tandem adpositus ad ramos arteriae coronariae dextrae circa arteriae pulmonum e ventriculo originem positos comes jungebatur; alio vero ramo suo aortae incedente nervis ad pulmonalem arteriam missis ab origine coronariae dextrae comes adsociebatur.

Alter vero hujus nervi ramus aortae faciem posteriorem occupans, acceptis a vago ramis, partim ad sinistrum latus ductus Botalli, supra deinceps vero infra arteriam pulmonalem decurrens junctus erat cum nervo postea describendo, sinistram coronariam adituro, partim ramo crassiusculo in tunicis arteriae pulmonalis dextrae evanuit *).

Ex fine vero inferiori hujus Ganglii cervicalis medii nervi sympathici, tres vidi nervos oriri ad cor tendentes, quorum anterior supra arteriam pulmonalem sinistram, deinde infra communem arteriarum pulmonalium truncum procedens, mediam fere partem arteriae coronariae sinistrae adiit. Mediis autem Ganglii inferioris partibus nervus quoad maximam partem, retro subclaveam aortamque pulmonalium arteriarum truncum accedens, jungebatur tenellis surculis arteriae coronariae sinistrae. Tertius denique

*) Haller Elem. Phys. L. 4. S. 4. §. 13. scripsit: „molles sunt cordis nervi, ut possis „pro magis medullosis habere" et in nota adjecta: „molles sunt ii nervi omnes, qui „per magnas arterias adveniunt." Quam animadversionem eapropter praetermittere nolui, quoniam nervi molles et in aliis sedibus nunquam copiosis, sed plerumque paucissimis ramis distribuuntur. L.

denique ramus ita fefe habuit: Aliis propaginibus in tunicis fubclaveae finiftrae arteriae arcusque aortici evanuit; aliis arteriae finiftrae pulmonali pariter atque dextrae venisque pulmonalibus finiftri lateris earumque finui fefe inmififfe mihi videbatur. Alio tandem ramo jungebatur in fuperficie arteriae pulmonum dextrae cum nervo ad cor procedente.

In dextro latere ganglii cervicalis medii nervi fympathici ramum fuperiorem, qui retro aortae arcum pulmonalem arteriam eamque dextram adiret, vidi. Duo hujus nervi rami in arteriae pulmonalis dextrae tunicas abiere; unus retro arcum aortae procedens ad originem arteriae coronariae dextrae defcendit; aliam iterum hujus nervi propaginem eamque fortem infra pulmonalem arteriam accedere alio nervo vidi.

Idem quoque fympathici ganglion, nervo pro tunicis arteriae anonymae plexuque fuperficiali enato, nervum infignem porrigebat, quem arteriam anonymam fuperficiemque pofticam aortae legere, nervulosque pro coronaria arteria dextra dare vidi.

Alius vero hujus ganglii ramus partim cuidam propagini ex vago natae addebatur, partim alio nervo cardiaco dicto.

Ganglion imum cervicale fympathici in finiftro latere nervos fuos in tunicas arteriae fubclaveae, vertebralis aortaeque mififfe mihi eft vifum. In dextro latere parieti externo arteriae anonymae ramum porrigebat nerveum, deinde convexae arcus aortae parti dedit nervos, propagines tandem multas cum nervis, qui finiftrae vel dextrae coronariae additi funt comites, communicat.

Tali modo comparatos in majoribus cordis vafis deprehendi nervos. Ramos verum nervofos nonnifi factis elegantiffimis multifariisque inter fefe plexubus, ex quibus multi omnino nervi in tunicis vaforum evanefcunt, curfum fuum impleviffe, coronariaque adiiffe vafa, moneo. Omnes vero, quotquot venerant nervi ad coronarias arterias, harum ramos comitantur, ne unum nervulum in cordis mufculos immittentes.

Difficillimum erat hoc perfcrutatu. Rami enim nervorum arteriae coronariae finiftrae in adipe quoad truncos conditae paululum remoti ab his jacent, furculos vero minimos per pinguedinem addunt arteriae, in qua mirifice inter fe irretiti apparent. Ubi vero absque adipe vafa arteriofa inveniuntur, ibi quoque nervi proxime iis adeo adhaerent, ut deductis ope fcalpelli arteriis in ipfam cordis carnem, nervi eas preffe in nonnullis fcilicet locis fequi videri poffint. Haec praecipue in finiftra obfervavi, in dextra aliter obtinet, incedit arteriae truncus cum nervo fuo paucis in locis ab eo deflexus.

Arteria coronaria finiftra longe plurimos habet nervos comites, uti fex integros nervorum truncos ad hanc pervenire vidi. Dextrae numeravi vix quatuor. Illa praecipue, ubi ex aorta originem trahit, reti nervorum circumdata eft. In minoribus vero ramis in cor penetrantibus aequa nervorum copia gaudet utraque. In arteriarum anaftomofibus junguntur quoque nervi fatellites.

Diu faepe dubius haefi, an hoc vel illud filum cordis carni fefe immifcens nervofum effet, originem fuam verfus deduxi, tuncque de venula vel de vafe abforbente laborem impendiffe cognovi.

Vidi

Vidi etiam aliquot nervos ab arteriis deflexisse, cordisque carni intrare visos? Quorum ramorum duos constantes esse reperi, ex nervo arteriae sinistrae coronariae comite ortos, ejusdem arteriae ramis iterum sese adsociantes. Quare diligenter omni quae in me erat, dexteritate et subtilitate, an forsan in itinere, cordi immitterent nervos examinans, minime id fieri cognovi. Eadem accidisse praestantissimo incisori SOEMMERRINGIO et cl. D. MICHAELIS compertum habeo.

Cum arteriis utriusque lateris coronariis incedentes nervos vidi, etiam cum vasculis, quae sinus vel auriculas vel venas cavas adeunt.

Oculorum acie lenteque postea usus modo in arteriarum tunicis evanescere modo in ipsam cordis substantiam cum vasis penetrare videre mihi contigit nervos, licet microscopio quidem adhibito non ultra tertiam arteriae fere divisionem.

Difficillimus is erat labor, ob fibrillas musculares, paucula interposita cellulosa vasis arcte adeo adhaerentes, uti si demas musculos, facillime quoque nervum una sis ablaturus. In cordis tamen superficie minorum vascula ordinum nervos secum habent, ita ut fere, an omnibus iis desint, dubitem.

§. V.

Cor absque nervis esse, ex analogia probatur.

Haec fere sunt, quae nervorum perscrutatio anatomica in ipsa cordis fabrica edocuit me; restant adhuc ea exponenda, quae ex instituta nervorum cordis comparatione cum aliis aliarum partium nervis cognovi.

Et primum quidem considerandum venit, nervos cardiacos ex solo nervo sympathico esse natos, cujus ramos ad vasa arteriosa [1]) tantum distribui, vel saltem ad magna vasa docent tabulae NEUBAUERI [2]) inprimisque summi incisoris WALTERI [3]). Quem vero ramulum [4]) ad intercostalem musculum adeuntem pingi curavit, et sic descripsit laudatissimus WALTERUS, ad arteriam intercostalem hujus intervalli pertinere suspicatur clarissimus Praeceptor meus SOEMMERING. Et ad minores quoque arterias rami sympathici positi inveniuntur nervi, sicuti ego prosequutus nervulos in tunicas intestinorum, reperi.

Producuntur insuper cordis nervi ex gangliis more scilicet nervorum mollium, arteriarum satellitum. Qui proxime hypothesin de gangliorum usu LANCISII [5]) adornavit IOHNSTONIUS [6]), quam tamen ego nec ultra sequi velim, nec a dubiis, quae in illam a doctissimis viris MONROO [7]) et SOEMMERRINGIO [8]) mota sunt, liberare valeam, in eo certo tamen nititur fundamento, vasorum nervos ex gangliis esse abortos.

Dixerit

1) SOEMMERRING Nervenlehre §. 337.
2) De nervis cardiacis.
3) Tabulae nervorum thoracis et abdominis, splendidissimum opus, quod nunquam simile habuit, neque unquam forsan habebit.
4) Tab. I. no. 58.
5) HALLER elem. phys. L. 4. S. 5. §. 8.
6) Essay on the use of the ganglions of the nerves. Schrewsbury 1771.
7) Ueber die Verrichtungen des Nervensystems pag. 36.
8) Nervenlehre §. 161.

Dixerit forfan quispiam argumentum oppugnaturus, quod de vicinia nervorum cordis cum arteriis protuli, absque nervis effe cor, evicturus; in aliis quoque corporis partibus proximum deprehendi pofitum arteriarum ad nervos, ita, ut de his idem, quod de cardiacis vulgo dictis nervis, deque ramis ex fympathico natis affirmari queat, exemplo nervorum brachii vel femoris cum vafis communi junctorum cellulofa, iisque proxime adpofitorum. Provocare quidem poffem ad ea, quae me vidiffe narravi, vidi enim nervos, quos cardiacos dicunt, arteriarum tunicis immiffos effe. At non defti- tuor magna argumentorum copia renitenti oftenfurus, nervos arteriarum longe effe di- verfos ab illis, qui mufculis funt inditi. Nervorum enim, qui vafa adeunt, ea eft na- tura, ut fimulac ad vafa pervenerint, flavidi five rubelli, molliores [9]) pulpofique, plani magis quam cylindracei, ex gangliis nati, intime cum tunicis arteriarum irretiti appa- reant, easdem interdum veluti annulo circumdent, tenaciffime iis inhaereant, ut non- nifi fummo ftudio et labore poffint ab his feparari [10]). Praeterea in his partibus, in quibus nervorum juxta arterias pofitus deprehenditur, ficuti in brachio vel in femore, is eft nervorum ad vafa habitus, ut haec faepe illorum caufa adeffe videantur.

Illud argumentum egregie illuftratum iri iconibus inprimis magni CAMPERI [11]) arbitrabar, in quibus (magnus cum ille incifor absque praevia vaforum repletione arti- ficiofa nervos eruere folitus fuiffet [12]) vafa ideo non expanderit fuper naturalem diame- trum) a nervis vafa magnitudine fuperari evidenter deprehendes. Sic igitur mufculo- rum nervi diftinguuntur ab his, qui tunicis arteriarum intricati, parcas tenuesque arte- riarum fibras mufculares adituri, ipfarum tenuitati ac parvitati refpondere quoque de- beant. Quare praeclare HALLERUS [13]) „Grandes ii (mufculorum nervi) inquit, et fi „non perinde in omni mufculo, proportione, multoties eos fuperant, qui adeunt „vifcera, ut unus in manu pollex, plus virium nervearum habeat, quam hepar toties „vaftius; arteriarum faepe comites, neque multo minores."

Per nervos mufculorum oculi bulbum moventium novum mihi accedit argumen- tum. Infignis eft horum nervorum magnitudo, ut arterias magnitudine multoties fu- perent, quae praeterea nervos ex ganglio ophthalmico comites habent.

Cum igitur certum fit, nervos arteriarum ab iis, qui mufculos ingrediuntur, dif- ferre et origine, et ftructura, et magnitudinis proportione ad vafa arteriofa, cumque nervorum cardiacorum idem fit character, qualis in caeteris arteriarum nervis depre- henditur, nemo dubitabit, quin nervi cardiaci dicti, arteriis quoque folummodo in- ferviant.

§. VI.

9) „Molliores funt nervi cordis, ut pro „medullofis poffis habere, nervique qui ar- „terias a carotide natas percurrunt." HALLER elem. ph. L. 4. S. 4. §. 13.

„In corde molliffimi, inquit Hallerus, „funt nervi, etiam qui grandiores eum mu- „fculum adeunt." Elem. phyf. L. 10. S. 6. §. 10.

10) WALTER explicatio tabul. nervor. thoracis et abdominis. pag. 14.

11) Demonftrat. anatom. pathol. L. I. Tab. 1.

12) Tefte Gisb. Jac. Wolf in diff. fiftente quaeftiones medicas varii argumenti. Harderwici 1791. pag. 15.

13) Elem. phyf. L. 11. S. 1. §. 12.

§. VI.

Idem argumentum continuatur.

Deinde, quum inter mufculos nervosque, a quibus regantur, ea fit lex conftituta, ut quo magis faepiusque mufculus moveatur aliquis, eo plures majoresve nervi ad illum perveniant: nervi cordis autem, cui denfiffima caro eft [1]), quodque continuo per vitam agitatur, eoque multis nervis indigere videtur, ab ea lege abhorreant; exinde jam enafci debuiffet fufpicio, nervos cordis alterius juris ac reliquorum mufculorum effe debere [2]).

§. VII.

Cor non habere nervos, infenfilis fua docet natura.

Sed illorum quoque caufa, qui vel de veritate anatomiae ope eruta dubitent, vel quibus animalium corda cultro perfcrutandi non data fit copia ex medicorum obfervatis aliqua funt adducenda, ex quibus colligere licet, cor absque nervis effe.

Cor adeo obtufe fentit, ut hoc fentire omnino negandum fit, medicorum obfervatis adductis. Celebratam illam quidem non laudo HARVEYI [1]) obfervationem, quum ea fit dubia incertaque fub auctore MORGAGNIO [2]). Neque nitor in HALLERI experimentis, cum in ea graviffima dubia ex theoremate HIPPOCRATIS [3]), qui: Δυω ἁμα (inquit) πονων, γινομενων, μη κατα τον αυτον τοπον, ὁ σφοδροτερος αμαυροι τον ετερον fint movenda. Igitur de vulneratis cordibus taceo, quae infenfilia effe, oftendiffe videntur. Sed certiora adfunt argumenta. Exftabant fcilicet cadaverum fectiones, quae corda aegrotaffe oftenderent, licet aegrorum medico id plane latuiffet. Sectionum hiftorias fcriptas habes apud BARTHOLINUM [4]), CORNACEM [5]), MORGAGNIUM [6]), SCHMUCKERUM [7]), aliosque [8]), qui in hominum cadavera inquirentes, cordis faepe fuiffe morbos, idque erofum, totumque fere abfumptum, modo ruptum, modo inflammatum invenerunt, fine ullo aegri doloris fere fenfu. Quare recte vetuftiffimus auctor HIPPOCRATES: Νουσημα, inquit, εν τη καρδιη ουδεν γινεται [9]), et paulo ante: Καρδιη ου πονει [10]).

Vermes quoque narrant in corde poft mortem fuiffe detectos [11]), nunquam vero fymptomata praeter palpitationes circulumque fanguinis turbatum moviffe graviora.

Interdum

1) MUYS de mufculorum artificiofa fabrica. Lugd. Bat. 1751. Tab. 2. fig. 3. 6.

2) Conferantur, quae de hac re difputata funt apud cl. METZGERUM in ejus exercit. acad. Regiom. 1792. pag. 159. fq.

1) De generatione animalium. Exercitatio 52.

2) Opera omnia tom. 3. Epift. 24. Art. 18.

3) Aphorifm. 2. 46.

4) Act. med. Hafnienf. Vol. 1. obf. 89.

5) Enchirid. med. pag. 205.

6) Opera omnia tom. 3. Epift. 16. art. 40. 43.

7) SCHMUCKERS vermifchte chirurg. Schriften. 3. Band pag. 256.

8) HALLER Elem. phyf. L. 4. S. 4. §. 14.

9) Περι νουσων. 4. 13.

10) l. c. 10. Confentit ANT. DE HAEN in praelect. in Boerhavii inftitut. pathol. ed. de Wafferberg, Col. Allobrog. 1784. tom. 1. pag. 696.

11) LIEUTAUD hiftoria anatomico-medica tom. 2. pag. 40.

Interdum tamen de dolore cordis conqueſtos fuiſſe aegros, narrat MORGAGNIUS [12]), polyposque ſinuum dolores excitaſſe [13]). Manifeſta vero cauſa eſt. Nam ſi de nervorum ſtratis, arteriis cordis ſuperpoſitis cogitaveris, quae in his aegris forſan adfecta fuere, vel ſi memineris cum adfectis ſinubus et venas quoque quarum ubi ad cor veniunt, non adeo exigui ſint nervi, adfectas fuiſſe, de doloribus aegrorum non miraberis.

Quae omnia, cum cordis inſenſilitatem probent, quid ſit, quod cor perquam ſenſile eſſe ſummus pronuntiavit inciſor WALTERUS [14]), vix ego, quod pace tanti viri ſit dictum, intelligo.

§. VIII.

Experimenta in Brutis.

Cordis enim vel ex corpore evulſi vel non evulſi nervi irritati ejus motus non excitant; rurſusque, ubi ejus diſciſſi ſunt nervi, neque ipſum cor e corpore ſit evulſum, ſuos tamen motus aeque diu perficit ac ſi nervi cardiaci non eſſent deſtructi. Diſſecta quoque vel irritata ſpinali medulla nervorum cardiacorum omnino ſcaturigine, neque cordis motum languentem, neque auctum vidit HALLERUS [1]). Quare jure ſuſpicatur GALENUS [2]): cor e thorace exemptum diuque motum, eſſe argumentum, ipſum nihil nervis ad ſuam functionem obeundam indigere. Ideoque recte VESALIUS, cor carnem eſſe peculiarem, nervis haud quaquam indigentem, pronuntiavit [3]).

§. IX.

Punctum etiam ſaliens.

Incertius quidem argumentum prioribus. Verum enim eſt punctum ſaliens in pullo incubato ante viſum cerebrum micaſſe [1]). An vero exinde colligere liceat, cor ante cerebrum adfuiſſe vel cordis exiſtentiam cerebri incrementum praecedere [2]), dubius in medio relinquo.

§. X.

Et opium cordis vires non extinguens.

Opium cordi non nocet, quod animadverſum eſt in iis experimentis, a clariſſimis viris CALDANI et FONTANA inſtitutis, qui ſe ab opio ſoluto, cordique circumfuſo iſtius motum nihil mutatum vidiſſe teſtantur [1]); augetur imo ab opio certa doſi quadam ſumpto cordis motus, licet muſculorum vires opio vel ipſis muſculis vel nervis, qui hos adeunt, illito, frangantur. Cujus rei explicationem deſiderabis, niſi cor abs-

 que

12) l. c. Epiſt. 25. art. 17. 18.

13) l. c. Epiſt. 17. art. 6. 17.

14) Memoires de Berlin 1785. pag. 58. „Le coeur eſt le plus ſenſible muſcle de „tous.“

1) Elem. phyſ. L. 4. S. 5. §. 2.

2) De anatomica adminiſtratione L. 7. c. 8.

3) MUYS. l. c. pag. 137.

1) VESLING. ſynt. anat. c. notis Blaſii pag. 148. qui ob id nervorum in cordis motum potentiam negat.

HALLER Elem. phyſ. L. 4. S. 4. §. 28.

2) MONRO l. c. p. 57.

1) HALLER de opii in corpus humanum efficacia; in novis Comment. Goett. tom. 7.

que nervis esse, statuas, quod comprehensum sit, nervorum tantum vires ab opio offendi [2]. Sed de opio infra fusius dicam.

§. XI.

Et denique morborum quorundam ratio.

In his, qui apoplexia tentantur, laesis licet omnibus functionibus quae nervis reguntur, attamen eae, in quibus cerebri nulla est potestas, peraguntur, nisi sublatis arteriarum viribus, circuloque sanguinis impedito, cordi tanta resistentia enascitur, ut sanguinem ultra pellere nequeat, moverique desinat.

Cum igitur nullos cordis nervos Anatome demonstret, cum experimenta, insensile cor esse, doceant, cum a nervis cor non pendeat, cum opii nullus sit in cor ipsum effectus, cumque denique morbi, systemati nervoso infensi motui cordis parcant, demonstratum esse arbitror, nullos in cordis carnem immitti nervos.

§. XII.

Motus ideo cordis non pendet a nervis.

Cum igitur manifestum sit, cordis carni nullos omnino nervulos esse immersos, nervorum quoque potentiam ad movendum cor nil facere, sponte patet *). Causa vero vim motricem excitans inventu facillima, quae quum nulla alia esse possit, sanguis est ex venis rediens, quem calentem ponderosum cordi natura stimulum adplicat. Qua enim demta irritatione, ut in corde inanito, ostenditur hoc a musculo motionem abesse [1].

Adest quidem vir gravissimus ANTONIUS DE HAEN [2], qui cor a sanguinis stimulo negat irritari, propterea quod cor stimuli patiens brevi fore, cum aliis sibi persuadeat. Concedunt multi quidem medici consuetudini, hoc tantum nomine contenti, neque quid inde significetur, ultra agitantes. Nam in eo, quod consuetudinis potentiae tribuitur, revera mutationes in partibus abortae sunt in causa, quibus efficitur, ut irritamenta ac stimuli ex industria hominum facti, impediantur [3]. Adsuefactus ideo tubus intestinalis purgantibus, non movetur denique drasticis, languore ex irritatione sua perpetua tandem inducto, secretaque majori copia muci enterici, quo minus alvum purgantia moveant, impedientis. Longe aliter res se habet cum stimulis naturae lege inditis, qui cum organis ita sunt comparati, ut idem irritans eandem corporis partem per totam vitam movere non desinat. Neque igitur denique succus gastricus stomachum non movet, neque faeces cum bile intestina, neque externa visu retinam. Ergo non dubito, quin sanguinem cordis vim motricem excitare pronuntiem [4].

§. XIII.

2) SOEMMERRING Muskellehre §. 43.

*) „minores quoque sunt nervi, quam pro „tanto corde movendo, circa basin fere aut „externa disseminati." BARTHOLIN. l. c. p. 360. cf. porro HIGHMOR l supra c. L.

1) HALLER experim. de cordis motu a stimulo nato in comment. Goett. tom. I.

2) l. c. tom. I. pag. 694.

3) SOEMMERRING Nervenlehre §. 184.

4) Confer. quae de sanguine, cordis stimulo ingeniosissime disputavit R WHYTT in sämmtlichen zur theoretischen Arzneykunde gehörigen Schriften, übersetzt von LIETZAU, pag. 40.

§. XIII.

Differt irritabile a vi nervofa.

Cor itaque movetur absque vi nervea accedente fanguinis ftimulo. Ea vis autem, quae motus cordis producit, mufculis inquilina refidet, irritabilitatis nomine fatis infignita, dudumque ab HALLERO unica motus cordis caufa habita, nifi, quominus id liquidum pronuntiarit, impediffent nervi, quos ad cor pertinere, magnus vir fufpicaretur. En igitur exemplum mufculi a nervofa vi non pendentis, una cum novo certoque argumento, irritabilitatem, remotis etiam nervis, in mufculis effe refiduam [1].

Non dubito, quin, quam verum fit, dudum foret deprehenfum, nifi quidam medici, falfis, ut mihi vifum eft, argumentis convicti, mufculis per nervos folum motrices vires accedere fibi perfuafiffent. Et primo de opio difputarunt, nervorum pariter ac mufculorum, five his five illis illeveris, exftinguente, indeque fequi, utrasque potentias ab una effe derivatas, ipfis vifum eft [2]. Sed nervofas tantum vires ab opio deleri certum eft [3], quare, nervi cujusvis mufculi poteftate deleta, magna maffa, gravis, iners, interftitia fibrillarum mufcularium occupans, mufculo nunc eft interpolita, quo fit, ut et irritamentum paucas faltem fibras viva vi gaudentes, tangat, vel irritatio ob infenfilem medullam difficillime cum caeteris fibris communicetur. Denique mufculus nunc movet inertem pulpam olim ad motus excitantem. Mirari defines per nervum opio illitum mufculi quoque potentias exhauriri. Opium igitur non nocet cordi, nervorum praefidio non indigenti, imo vifum eft, motus fuos fumpto opio augeri. Cum fcilicet minorum vaforum, longe majori nervorum copia ac majora vafa gaudentium [4]) nervos opium debilitet, eorumque itaque vires fanguinem pellentes deleat, majoribus ideo vafis, quibus ob minorem nervorum copiam non tantum, quantum minoribus a vi fua motrice detrahatur, ex aucta in ipfis fanguinis maffa, quae per minora vafa non promovetur, arteriasque majores ideo magis repleat, extendatque, magna inde accedit ftimulatio [5]), fanguinem citius fortiusque per aliquot certe tempus propellunt. Extincta vero virtute opii narcotica in majoribus etiam vafis mobili principio, quod a nervis mutuantur, cordi foli humorum tota maffa movenda reftat, illud denique cum movendorum humorum ponderi non fuae pares fint vires, fanguinem ultra pellere nequit, tandem vero novo fanguinis ftimulo ipfi non accedente, moveri defiftit [6]).

Alia eft objectio ALEXANDRI MONROI [7]) „fi irritabilitatem (inquientis) a nervis „non pendere velis, a duabus caufis natura fua diverfis, (vi mufculari fcilicet et nervofa) „eandem

1) Conferantur, quae funt apud clariffimum METZGERUM l. c. pag. 157.

2) MONRO l. c. pag. 67.

3) HALLER Elem. phyf. L. 11. S. 2. §. 10. et l. c. in comment. nov. Goetting. vol. 7.

4) SOEMMERRING Gefäslehre §. 50.

5) Vide infra §. 17.

6) WIRTENSOHN diff. demonftrans opium vires fibrarum cordis debilitare, et motum tamen fanguinis augere. Hardervici 1775. et recufa in C. L. HOFFMANNI opufculis latinis, in gallicam linguam vertit MARTIN in Journal de Medicine Aout. 1791.

7) l. c. pag. 65.

„eandem rem (mufculorum motum) effici, dixeris." Ego quidem haec difputantem MONROUM fentiens, quid inde effici voluerit, vix intellexi. Verum enim neque dictum eft, eandem rem a duabus produci caufis, fed follicite vim nervofam, id eft, vim mufculos ex animae imperio laceffendi, et vim mufcularem, id eft, vim fefe movendi, diftinxit HALLERUS, neque largimur, ipfos nervos moveri.

Mufculus nervi finis a nemine habebitur. Licet igitur irritatus nervus contractus mufculorum moveat, nemo tamen ob id cenfebit, irritabile effe in nervis.

§. XIV.

Arteriae circulum fanguinis maxime adjuvant.

Propofitis omnibus, quae ad ipfum cor pertineant, ad ea tranfeo explicanda, quae de dignitate nervorum, quos cardiacos vulgo dicunt, fentiam. Quo facilius mea fententia intelligatur, de nervis vaforum quaedam praeponam.

Licet quidem non fit determinandum, quousque arteriarum vires cor fublevent ad fanguinis circulum promovendum, fuperfunt tamen obfervata, ex quibus colligere licet, quid fit probabile. Sic ab arteriis offea natura ortam gangraenam pariter aeque ab arteriis nimium dilatatis viderunt [1]). In apoplecticis faepius obfervatum eft, integris cordis viribus, artus paralyticos aridura comprehenfos evafiffe, pulfumque in his partibus debilem. Cor quoque cum vicinis partibus connatum [2]), vel morbofum [3]); vel pro parte offificatum erat [4]), vel plane defecit [5]), cum circulatione parum mutata. Quin et fecretio in cerebro, in hepate, in liene, in renibus, inque placenta, arteriarum vi inprimis peragitur, tali tantaque movendi potentia cordi, licet fummam probabilem dederis, non concedenda [6]). Vifum faepe eft, fanguinem ea fluere celeritate in minimis vafculis, qua per arterias e corde mox erumpens propellitur. Quod explicare haefitabis phaenomenon, nifi de arteriarum auxilio ftatueris. Motus tandem fanguinis poft evulfum cor fuperftes, in frigidis animalibus obfervatus eft [7]).

§. XV.

Haec arteriarum vis ab irritabilitate proficifcitur.

De arteriarum elatere nemo dubitat cum facultate irritabili faepe tamen confufo, ita, ut quae ille proderet figna, huic adfcriberentur. Itaque arteria diffecta fefe retrahens, aut arteria in utroque fine ligata acu transfixa fanguinem radiatim expellens, elaterem prodidiffe mihi videtur. Cauftica denique, quippe quae conftringant atque irritent, convellunt quoque arterias, magis tamen venulas, quae ob tenuitatem parietum corii mortui ad inftar conftringuntur, figna alioquin aliter ftimulatae vix edentes.

Haec

1) HALLER Elem. phyf. L. 4. S. 4. §. 32.

2) LIEUTAUD Hift. anat. med. tom. 2. pag. 36.

3) HALLER Elem. phyf. L. 4. S. 4. §. 29.

4) l. c. S. 3. §. 1. not. f.

5) WINSLOW in hiftoire de l'Academie royale des fciences année 1740.

HALLER L. 4. S. 4. §. 29. — SWIETEN Com. in Boerh. aphor. Vol. I. pag. 256.

6) WILSON über die bewegenden Kräfte beim Blutumlaufe. Im Magaziu für die Naturg. des M. 1. B. 2. St. pag. 266.

WHYTT l. c. pag. 371.

7) HALLER Elem. phyf. L. 4. S. 4. §. 30.

Haec de elatere, qui fibrae mortuae competit, diligenter vero ab arteriarum vi viva fecernendo. Haec autem a fibris, tunicis arteriarum intertextis mufcularibus proficifcitur.

Quare radendo arteriam vel fcalpello, vel tenaculo, non una fed iteratis vicibus contrahi eam vidit GUALTHERUS VERSCHUIR [1]). Vidit quoque ut arteria vermis fere inflar repetet. Vidit aperto abdomine vivi canis cujusdam fingularem motum et pulfum, qui a reliquarum arteriarum pulfu flatim ad levem oculi adfpectum peculiari fua actione diverfus confpiceretur.

Quin tamen irritabiles dicat arterias, dubitavit quidem KRAMPIUS [2]), levibus, quae mihi videntur, caufis motus. Intimam arteriae tunicam, inquit ille, infenfilem inter mufculofas fibras fanguinemque inter adeo pofitam effe, ut contactum fanguinis ad arteriae mufculos impediat; fieri itaque non poffe, ut fibrillae mufculofae flimulentur, arteriamque contrahant. Vel fi concefferis, inquit, arteriarum fibras a fanguine flimulari, perpetua foret arteriae contractio, perpetuo fcilicet fanguinis flimulo, per canales arteriofos propulfo.

Equidem primum, ad haec refponfurus, moneo, mufculares fibras tum quoque irritari, ubi tendantur. Sicque canalis inteflinorum a caufa qualicunque extenfus, infra fupraque locum extenfum eft conftrictus. Sanguis pari fere modo a corde pulfus arteriam extendit, fibras ergo ejus irritat, atque ad contrahendum disponit [3]). Membrana intima, laevis, infenfilis arteriarum cavet, ne arteriis perpetuus oboriatur flimulus, ne fanguis fcilicet fibris mufcularibus proxime continuo accedat. Perpetuae denique contractioni refiftit fabrica arteriarum fortis, elaflica, quae ad contractum fefe vergentem arteriam mox relidit. In his tamen arteriis, quae difficillime fanguinem trajiciunt, ut in mefaraicis intima membrana mollior, laxa, rugofa eft, et pene friabilis.

Signa denique, per quae irritabilitatem a vi vitali arteriarum diftinctam habet KRAMPIUS [4]) levia, parvique funt ponderis, quorum potiora tamen recenfebo. „Haec, „inquit, non nifi admoto flimulo, illa non nifi diftenfione praegreffa excitari poteft. „Haec immediatum five nervorum, five fibrarum contractum requirit, illa absque con„tactu, interjecta licet membrana excitari fefe patitur.“ Quare hi diftinctivi ambarum virium caracteres nihili fint cenfendi, fupra monui. Idem effe dicas, vel fi fibrillas acu lacefferis, vel fi extenfione irritaveris. „Haec in vivis animalibus fcalpelli auxilio „detegi, illa difficilius fenfuum judicio fefe fubjici finit.“ Ob paucitatem mufculorum fibrarum in arteriis, quarum infuper tunicae contractum flimuli mechanici prohibent. Vidit tamen, quod fupra dixi, GUALTHERUS VERSCHUIR arteriam irritabilitatis figna edere, ut nullum ipfi de irritabilitatis effectu dubium reflaret [5]). „Haec tantum juniori „molliori fibrae propria eft, atque evanefcit omnis, fi fibra vel pars ejusdem ad tendi„neam naturam accefferit; illa ab arteria non discedit, ubi arteria vel cartilaginea, vel „offea facta fuerit, quod docent motus humorum in ea periodo conflantia.“ Paradoxon

1) De arteriarum et venarum vi irritabili ejusque in vafis exceffu. Groningae 1766. 4. §. 26.

2) De vi vitali arteriarum. Argent. 1785. §. 17.

3) WEDEKIND Theorie der Entzündungen. pag. 125.

4) L. c. §. 17.

5) L. c. §. 27.

doxon miraberis de viribus arteriarum ossea, vel cartilaginea natura. Pulsus enim in his obrepente debilitatur, indeque gangraenas fieri monent. Neque verum est, musculos in provectiore aetate ad tendineam naturam accedere [6]), cum tendines musculorum partes contiguae sint habendae, imo ligamenta, quibus ad ossa musculi vinciantur [7]). In provectiore itaque aetate cum deleta vi irritabili, deletur quoque vis arteriarum, quod ex debiliori omnino pulsu colligi potest. „Musculus tandem, inquit, dis-„cissis licet omnibus fibris, quibus ad vicinas partes revinctus erat, irritabilitatis suae „omnino nihil perdit, arteria autem simul ac aliqua sua parte a vicinis partibus, ruptis „filis illis liberata fuerit, vim suam contractilem amittit, atque in anevrisma transit.“ Cujus rei causa nec ab irritabili, nec a vitali vi pendet, sed a structurae discrimine, quod inter musculos arteriasque intercedit. Haec enim a sanguine propulso undique effugium quaerente extenditur, sanguinem nequidquam ultra pulsura, ob debiliorem plagam, qualis a pariete a vicinia liberata oritur, magis magisque extenditur. Musculo autem, quidquid illi acciderit, nihil inest, quod ad dilatandum illum sollicitet.

Arteriae itaque irritabilitatis signa edunt, quae ut ponerem, necesse erat, de dignitate nervorum arteriarum dicturus.

§. XVII.

Arteriarum irritabile principium a nervis maxime fovetur.

Argumenta, quae per nervos arteriarum fibrillis carneis mobile principium inprimis augeri foverique probare mihi videbantur, a paucis exilibusque muscularibus fibris primum desumuntur. Perpetua nec debilia irritabilitatis signa edunt arteriae, quae, cum debilis ea foret potentia qua tenues eae fibrae contraherentur, non ostenderent, nisi alia vis, nervosa scilicet, accederet, motrices arteriarum vires, musculos nempe excitans augensque [1]). Ostensum quidem nondum est nervorum surculos ad carnes arteriarum accessisse [2]), at tamen plurimos constantesque passim nervorum ramos tunicas arteriarum adire, atque in his evanescere vidimus, exemplo carotidum, arcus aortae.

Aliud argumentum esse mihi videtur, quod in iis locis, per quos sanguis difficile transit, magna, imo major nervorum copia, quam in caeteris arteriis accedat, exemplo carotidum, arteriae vertebralis, quarum illae ramis ganglii cervicalis primi [3]), hae vero nervis ex intercostali, ganglio thoracico primo, exque nervo cervicali primo natis,

6) Soemmerring Muskellehre §. 83. 84. 85. 86. 87.

7) Soemmerring l. c. §. 74.

1) „Neque dubium est, quum nulla abs-„que nervo fibra muscularis sit, et cum abs-„que ea vi, quae per nervos advenit, debi-„lis omnino sit ea potentia, qua eae fibrae „contrahuntur, nervulos adeo ad carnes fi-„bras arteriarum accedere, etsi nemo, quan-„tum memini, ejusmodi surculos demonstra-„vit.“ Haller Elem. phys. L. 11. S. §. 12.

2) Valde dolebam detecta laudatissimi Cotunni de nervis carotidum cum republica literaria nondum esse communicata theoremata mea forsan illustratura. Vid. Wilh. Xav. Jansen Brieven over Italien. to Leyden 1790. pag. 174.

3) Neubauer de Nerv. card. pag. 88.

natis, ad arteriam usque basilarem, cinguntur [4]. Itaque ramos nervi vidiani arteriolas ex arteria vidiana natas, in ipsum os, ubi scilicet difficilius moventur, sequi se vidisse, narrat magnus Incisor WRISBERGIUS [5]. Quare explicare crediderim, cur una cum vasis in minoribus ramis dehiscentibus nervei surculi factis elegantissimis plexubus, decurrant, at majores vasorum ramos pauci nervi vel saltem exilissimi, comitentur [6].

Tertium argumentum, quod nervorum dignitatem in arteriosis vasis stabiliet, a summo nervorum quo gaudent in vasa imperio desumptum est, manifestum in his, quibus sensorium vel a causa physica, vel morali (quod dicunt) irritatur. Ab adfectibus animi pariter atque a doloribus corporis, mutationes invicem sequuntur, ex laesis arteriarum functionibus magna certe ex parte forsan explicandae. Ita levis animi passio vel corporis, levem cutis spasmum inducens, spirabile retinet, majori fortioreque facto sensorii stimulo, oritur exinde pallor cutis; magis denique increscente animi adfectu, pulsus augetur, ad summum tandem aucto pathemate, sanguinis itinera supprimuntur, ut reprimantur humores, quae in cute sint, ad interiora. Neque tacendum est, CHRISTOPHORUM LUDOVICUM HOFFMANNUM, ingeniosissimum saeculi nostri medicum, horum adfectuum animi characterum causas, quo modo et quare adeo invicem sequantur, egregie illustrasse [7]. Ego quidem de majori venularum irritabilitate, qua vascula arteriosa superare posuit [8] magnus vir, ut diversos diversorum adfectuum explicaret effectus, dubitare audeo. Atque in hoc mecum fecisse mihi visus est, dilectissimus meus praeceptor, aeternaque pietate mihi colendus WEDEKIND, qui, vasorum venosorum stricturam cutis rubedinem sequi oportere, intelligens, non dubitavit, quin motum iri arteriolas, immutatis alioquin venulis pronuntiarit [9]. Ea est scilicet venarum fabrica, ut constringendi potestate destitutae omnino mihi esse videantur. Vena dissecta collabitur quidem, ob tenuitatem parietum, arteria se retrahit, et cava manet, ob tunicarum elaterem. — Verum igitur musculosam vitalemque eam collabendi vim esse, dubitari potest, cum ejusmodi contractio longo a mortis tempore perinde succedat, fibraeque musculosae transversae, quae in arteriis evidenter apparent, omnino absint [10]. Venas tamen ad stimuli adplicationem chemici saltem non semper inertes invenerunt HALLERUS et GUALTHERUS VERSCHUIR [11], imo irritabiliores arteriis esse eas

4) WRISBERG syll. comment. anatom. pag. 64.

5) l. c. pag. 37.

6) WRISBERG l. c. pag. 31. SOEMMERRING Gefäslehre §. 30.

7) C. L. HOFFMANN von der Empfindlichkeit und Reizbarkeit der Theile. Mainz 1792. pag. 431.

8) l. c. pag. 154. 159.

9) WEDEKIND über das Betragen des Arztes den Heilungsweg durch Gewinnung des Kranken etc. Mainz 1789. in praef. editoris amicissimi mihi JOH. VON HAGEN. Venulas irritabiliores esse arteriis, asserit SAMUEL MUSGRAVE über Nerven und Nervenkrankheiten. Leipzig 1776. pag. 26.

Pariter quoque venulas irritabiliores arteriis esse, ideoque in inflammatione constringi suspicatur HALLERUS Elem. phys. L. 6. S. 1. §. 39.

10) HALLER Elem. phys. L. 2. S. 2. §. 4.

11) GUALTHERUS VERSCHUIR l. c. §. 31. et pag. 84.

eas censuit ille, stimulo chemico eas lacessitans [12]. Ferro vero irritatas aut inflatas constringi nunquam vidit HALLERUS [13]. Teneriores enim sunt arteriis, neque plurimam telam cellulosam circumpositam habent, ideoque causticis facilius penetrari, atque sicuti corium mortuum convelli poterant [14]. Minime autem paruerunt stimulo ferri aut inflatus, cum musculares fibrae ab iis absint, quae constrictionem producant. Quare, causae characterum animi pathematum motae primum seu irritatae cuti, irritatisque vasis arteriosis deinceps adscribendae esse videntur [15].

Quarto tandem argumento, nervorum vim in arterias demonstraturus teleologia utor. Cur nempe, inquam, tot tantosque nervos in tunicas arteriarum abeuntes, constantes, iisque in locis positos, ubi cum difficultate sanguis movetur, deprehenderis?

§. XVII.

Qua ratione id producatur, quaeritur.

Ergo manifestum esse reor per nervos viribus fibrarum muscularium in vasis arteriosis magnam potentiam accedere. De modo, quo id fiat, nunc quaeritur. De nervorum laqueis circa arterias vel constrictis vel laxatis elegantem suam hypothesin ipse deseruit magnus HALLERUS, postquam evictum esset, nervos in musculorum actione quiescere, neque ab ulla irritatione breviores reddi. Qua de causa, quid ego de hac re sentiam, dicam. Ubi ab unda sanguinis ex corde propulsa fibrae musculares arteriae paululum extensae irritantur, nervis ideo suis irritatio quoque accedit, ut novus stimulus ex lacessito nervo fibrillis muscularibus impertiatur. Cur vero voluntati in circulo sanguinis nihil sit imperii, ex origine nervorum arteriarum e gangliis pulcherrime explicari mihi videtur, quae, quidquid alii viri in illam declamant hypothesin, id potissimum efficere videntur, ut quaedam corporis functiones ab animae arbitrio minime pendeant. Sanguinis tamen circulus ab adfectibus animi turbatur, idque ex nervorum imperio accidere, monui, quare dixeris, refelli inde gangliorum usus mox concessus. Ex eleganti tamen CAMPERI [*]) hypothesi in quavis animi adfectu quandam sensorii partem moveri, rursus hoc vel illud organon inprimis irritantem, quod objectum est, egregie refelli crediderim.

§. XVIII.

Usus nervorum cardiacorum dictorum exponitur.

De usu nervorum cardiacorum dicturus, pauca monenda restant. Cum enim evictum sit ad nervorum pro vasis pertinentium classem esse referendos, facile, quid praestent, intelligitur. Qui enim tunicis arteriae aortae vel pulmonum inseruntur, ipsarum vires musculares augent; alii, qui vasis coronariis comites sunt, et haec quoque in propellendo sanguine juvant. Sinistrae coronariae plures esse nervos monui, propterea, quod ea arteriae pericardio adnata acutiori magis angulo ex aorta prorumpens

12) HALLER prim. lin. phys. §. 47.
13) Elem. phys. L. 2. S. 2. §. 7.
14) KRAMP. de vi vitali arter. §. 13.
15) SOEMMERRING Gefäslehre pag. 72.
*) SOEMMERRING Nervenlehre §. 95.

pens anguſtiorem quoque tubum habens, nervorum praeſidio magis indigeat. Dextra vero in adipe poſita per tenuem ventriculi pulmonalis carnem ſanguinem promotura, facilius caeteroquin ſeſe movens pauciores hanc ob cauſam nervos ſecum habet. Quos ego minori nervorum copia comitari dixi, coronariarum ramulos in cordis carnem inmiſſos, a cordis denſiſſima carne comprimuntur, ſanguis ideo promovetur, quare paucis nervulis ipſis opus eſt.

§. XIX.

Arteriae non inſenſilis ſunt naturae.

Arterias ob omni ſenſu eſſe deſtitutas, magnus pronuntiavit HALLERUS, tum experimentis, tum obſervationibus in hominibus adeo convictus, ut exiguos eſſe nervos arteriarum ex ſenſu earum omnino debili colligeret [1]).

Magnos multosque nervos in arteriarum tunicis evaneſcere ipſe tamen profeſſus eſt [2]). Senſiles igitur arteriae eſſe videntur. Ipſas tamen vellicatas dolores non excitaſſe id ob diſſectam cutim laeſisque muſculis nervisque eveniſſe, quis eſt, qui dubitet?

§. XX.

In cauſam doloribus membranarum aut oſſium inflammatorum inquiritur.

Haud abs re fore putabam, ſi cauſam doloris acutiſſimi certe, tendinum aponevroſium, oſſiumque, ubi morbis tentantur, inſenſilium omnino partium, dummodo absque morbis ſunt, examini ſubjicerem. Manifeſtum enim eſt, nervorum praeſidio arteriis eſſe opus, ni circulatio languefcere debeat, nervosque poſitos eſſe iis praecipue in locis, ubi arteriae ſanguinem propulſurae impedimenta ſint oborta. Quare non eſt dubium, quin nervi multi certe arteriis ſeſe comites adſocient iis, quae tendines, aponevroſes, vel oſſa nutriunt. In his enim partibus duris omnino, immobilibus arteriis firmiter adhaerentibus, neque parum quidem arteriae, dum movetur cedentibus, neceſſe eſt, ut nervi arteriarum principium irritabile quam plurimum fovere debeant. Multis igitur nervis, arteriis membranarum, tendinum, etc. a natura conceſſis, ſequitur, ut arteria nimis repleta, qualis in inflammatione eſſe ſolet, tendatur, nervulos comites aeque valide tendat. At nervus non omnis, ſed parte aliqua extenditur, altera immotus manet, celluloſa ad fibram tendineam vel oſſeam immobilis adfixus. Oborta itaque nervi tenſione, dolores, graviſſimaque ſymptomata nervoſo ſyſtemati maxime infenſa, oriuntur, a quovis nervo tenſo oriundi.

C 2 ADDITA-

1) Elem. phyſ. L. 1. S. 2. §. 12. „Exiguas „pro totius arteriae portione eſſe ex debili „animo ſenſu colligi poteſt."

2) Elem. phyſ. L. 10. S. 6. §. 9. „Nervi „arterias frequentes comitantur."

ADDITAMENTUM ad §. 8.

Acerrimum irritamenti genus, proxime detectum, in cor nullos effectus ostendens.

Cum prima fere hujus libelli plagula prelo excidisset, certior factus de nova et antehac incognita nervos musculosque irritandi methodo, ab Italo quodam physiologo *), nomine mihi ignoto, detecta; hanc novam stimulandi methodum, ceteras longe superantem, tentare mecum constitui, ut explorarem, an nervi, quos cardiacos vulgo

*) Intelligit Cl. Galvani, qui vis electricae, nam vix alia esse videtur, in musculos efficaciam multis experimentis demonstravit multosque suae doctrinae et studii imitatores et fautores nuper accepit. Praeter Cl. Galvani enim Cotugno, Passalli, Valli et Mazzini eadem experimenta repetierunt, ipsamque rem adhuc pluribus disquisitionibus auxerunt. (v. Aloysius Galvanus de viribus electricitatis in motu musculari. — Galvani von den Kräften der Electricität in den Bewegungen der Muskeln. Nebst Briefen und Beylagen von Volta und andern Naturforschern über diesen Gegenstand. Mit Vorrede und Anmerk. von Dr. J. Mayer, nebst Kupf. 8. Prag 1792. et Analytical Review. August 1792. p. 470. sqq.) Porro Edmundus Schmuck Papiae similia et adhuc plura instituit experimenta, de quibus haec ad me retulit.

„Sed non omni modo necessarium est, nervos crurales nudos reddere, et metallo obducere; faciliori et minus crudeli modo ranam convulsionibus perstringere possum. „Tunicam, quae leviter musculos abdominales tegit, rescindo, et abdomen velamento „privatum super monetam argenteam pono; „insimul dorsum quidquam denudans, lamina „plumbea hunc locum obduco, (laminis plumbeis utor, quas operarii ad firmanda fenestrarum vitra adhibent;) hisce peractis per „adstantem ranae pedes retineri jubeo, ne „locum deserere possit, et filo ex metallo du„cto tango monetam argenteam, quae armaturam inferiorem constituit; et eodem momento armaturam superiorem ex plumbo, „quae dorso superimposita est: pulchro spectaculo totum animal convulsionibus percutitur. Prout nunc armaturae locum muto, „mox haec, mox illa modo corporis pars in „motum cietur."

„Idem quasi experimentum paululum mo„do variatum ita peragitur. Rescissis pedibus „posterioribus, et capite, truncum ranae tu„nica sua privans, super monetam, e. g. au„ream pono, et acum per vertebrarum spe„cum in medullam infigo, vix monetam cum „acu per arcum conductorem jungo, cum spi„nae dorsalis verticula mirum in motum tor„quentur."

„Sed adparatio, quae sane oculos percellit, „et curiositatem movet, sequenti se manife„stat modo. Carnem crudam musculi e. g. „glutei seu ex alio musculo excissam, quae „vix decem granorum pondus superat, duabus „laminis ex metallo ductis, diversis in locis „obduco, quin autem se tangant. Cum nunc „hasce laminas separatas per conductorem „jungo, caro se contrahit et relaxatur, qui „motus alternans repetito adtactu repeti pot„est. Ast non modo ranarum carnes, sed et „musculi, quos in laniena ex animale recen„ter mactato sumsi, contractiones imitantur; „dummodo irritabilitate destitutae sint."

„Cum ita varias corporis animalis partes „experimentis subjeci, corollarium se mihi „obtulit omni attentione dignum. Si modo „musculi adtactui conductoris mei obediunt, „qui voluntatis imperio reguntur. Intestina, „ventriculus animalium granivororum et alio„rum, et irritabilissimum cor, quamquam „optime armata nunquam se movent, et ad„tactu conductorum minime afficiuntur. Haec „experimenta cum animalibus, quae sanguine „calido reguntur, et in quibus sanguis frigi„dus circulat, repetii, multiplicavi, et sem„per prospero cum successu. Tamen me opor-

tet

vulgo dicunt, eo modo irritati, cor ab ipſis in motu nihil mutari, oſtenderent, ſicuti per alia experimenta obtinere videbatur. Ut igitur muſculi hac nova methodo irritentur, nervum, qui muſculos adit, ſtanno foliato (Stanniol) circumdes, vel illud ſaltem nervo admoveas, (quod: den Nerven armiren, dicunt;) quo facto, argento vel auro, e. g. nummis vel ſtilis argento aurove confectis ſtannum foliatum una cum nervo, ſive una cum alia parte, ad quam nervus pergit, tangas. Quibus metallis rite admotis, convelluntur, tremuntque muſculi, nulli alii ſtimulo parentes, etiam duabus horis a morte in frigidis animalibus. In his vero, quae calidi ſanguinis ſunt, irritabilitatis ſigna vix per ſemihoram poſt mortem muſculos edere obſervavi.

Cum itaque per experimenta, quae in ranis, felibus, cuniculis, canibusque cepi numeroſiſſima, quae tamen recitare, a ſcopo me abduceret, intellexiſſem, ab hac nova irritandi methodo alia longe ſuperari irritamenta, immo fluidum electricum, eandem ad cordis, quos dixere, nervos adplicui, eosque irritatos in motu cordis nihil mutare, cognovi.

EXPERIMENTUM I.

Ranae, cui pectus apertum, cerebro laminam ſtanni foliati admovi, ſtiloque vel nummo argenteo illud irritavi. Movebantur muſculi extremitatum et dorſi et mandibulae. Cor tamen motus ſuos haud mutatos perfecit, quod horologium, minuta ſecunda indicans, oſtenderat.

„tet aliquid animadvertere, quo neglecto in „errorem ducitur experimentator et incaſſum „operatur. Metalla, quibus animalis lagena „leidenſis obducitur, diverſi generis ſint, ne„ceſſe eſt. Aurum cum argento, hoc cum „plumbo, cupro, etc. optime communicat, „at non ita argentum cum argento, vel au„rum cum auro. Praeterea addere cogor, „me fruſtra exſpectaſſe effectum, cum muſculi „obducti ſunt ſtanno, argento, aut cupro in „foliis, quanquam ad formandas lagenas lei„denſes bene adhiberi poſſunt.“

„En experimenta, quae circa animalia in„ſtitui. Dum paulo ulterius cogitavi, mihi „in mentem venit; an non electricitas nativa „et in regno vegetabili detegenda ſit. Sed „cum in iis modo corporis animalis partibus „contractionem et convulſiones obſervavi, „quae motum juſſu voluntatis abſolvunt, val„de haeſi. Nam nemo ignorat, plantas eſſe „corpora organica, quae motum in voluntate „non habent. Cum tamen *Linneus* (der kö„nigl. ſchwed. Akad. der Wiſſenſch. Abh. „Band 24. S. 291.) et noviſſime Cl. Häggren „(comm. de reb. in ſc. nat. et med. geſt. vol. „31, p. 581) fulgura, quae certae plantae aeta„te ſpargunt, electricitati tribuerunt; *Calen„dulam officinalem*, *Tropaeolum majus*, *Li„lium bulbiferum*, *Tageten erectam* et *patu„lam*, quae ſupra nominati autores fulguran„tibus adnumerant, experimentis ſubjeci, „quibus addidi: Mimoſam pudicam et hae„dyſarum gyrans. Ad quem finem mox ſta„mina, piſtillum, hanc, vel illam mox plan„tae partem metallis obduxi et conductorem „metallinum ad educendam electricitatem ap„plicavi; ſed conjectura me non fefellit; nil „enim contractionis aut minimi motus etiam „oculo armato obſervavi.“

Denique et ego tum cum Cl. Soemmerringio, qui medio menſis Octobris 1792. in noſtra litterarum univerſitate per aliquot dies remoraretur, tum etiam in coetu alumnorum ſcholae noſtrae medicae haec Galvani experimenta repetii atque eadem inveni. Adhibuimus argentum, aurum et cuprum tanquam conductores atque cognovimus aurum et argentum ad movendas et excitandas convulſiones plus valere, quam cuprum. L.

EXPERIMENTUM II.

Alius ranae medulla in collo ſpinalis methodo conſueta irritata, motus muſculorum excitabantur, in cordis tamen motus nihil effectum eſt.

EXPERIMENTUM III.

Cordis ranae e pectore exſciſſi, magna vaſa cum ſtanno foliato circumdata ſunt, quoniam prope illa nervi deſcendunt. Ut irritatio procedat, impoſui cor cum armatura nummo argenteo, dein aureo, obſervavique ictus cordis neque retardari, neque citius invicem ſequi; adhibito quoque horologio, minuta ſecunda indicante.

EXPERIMENTUM IV.

In felis corde e pectore evulſo, eadem obſervavi.

EXPERIMENTUM V.

Felis cerebro ad crura ejusdem uſque laminam ſtanni foliati inmiſi, irritavique cerebrum methodo indicata. Cor tamen, aperto thorace more ſuo conſueto movebatur, convulſis aliis muſculis.

EXPERIMENTUM VI.

Ejusdem felis medulla in collo ſpinalis irritata methodo ſaepius indicata ad cordis contractus excitandos nihil contribuit *).

EXPERIMENTUM VII.

Nervi vagi locum, ubi ex olivaribus corporibus naſcitur, in fele more conſueto ermavi irritavique, et cor immutatum manſit.

EXPERIMENTUM VIII, IX, ET X.

Quae me vidiſſe nro. 5 et 6, narravi, eadem quoque in duobus cuniculis obſervavi et in cane.

EXPERIMENTUM XI.

Canis nervum Vagum, propterea, quod in canibus ex Vago omnes pene nervos originem traxiſſe, quos cardiacos appellarunt, ſciam, media colli parte ſtanno foliato circumdedi, admotoque argento irritavi. Cor tamen in animali non mutabatur, caeteris muſculis artuum, quorum nervi laceſſerentur, vehementer motis.

EXPE-

*) Huc pertinent, quae in Analytical Review Auguſt 1792. p. 472 legi: „the heart „did non palpitate, though Mr. Mazzini „coated the eighth pair whilſt that viſcus „was ſtill warm and ſmoaking," et quae Cl. Schmuck ſuperius p. 20. commemorabat. L.

EXPERIMENTUM XII.

In cane, aqua suffocato, phrenicos nervos dicta methodo irritavi vidique diaphragma leviter convelli. Arbitrabatur enim clarissimus SOEMMERRINGIUS nova hac methodo irritatis phrenicis nervis, convulsoque inde diaphragmate, resuscitari posse Asphyxia correptos.

Repetitis ejusmodi experimentis, quorum potiora recensui, intellexi, nervos, quos dixere cardiacos hac quoque methodo irritatos cordis potentiam neque augere, neque imminuere. Quorum vero experimentorum quo major exstet fides, adfuit his laudatissimus vir, SOEMMERRINGIUS, pro sua, qua in me est, benevolentia.

Nervos vero, ex ganglio sympathici nervi ortos, ipsos lacessere non potui, ob funestas haemorrhagias mortemque animalium metuendos. Difficile est, hos nervos in homine mortuo invenire, eoque difficillimum in animali multoties minori, vivo, anxioque.

EXPLICATIO ICONIS.

Haud ingratum fore sperabam lectori, nervorum ad coronariam sinistram accedentium iconem si tractationi adderem. Sinistrae coronariae ideo nervos depingendos selegi; quoniam plures immo majores ac dextrae eos esse intelligebam. Arteriae aortae arcum facile distinguendum pariter atque pulmonum arteriarum communem truncum, cujus ramum sinistrum discissum ipsamque arteriam communem pulmonalem aortam versus reclinatam vides, ita ut decursum nervorum, qui spatium, quod duabus arteriis pulmonalibus, communis harum trunci faciei inferiori aortaeque interjacet, occupant, destincte cernis. Originem vero coronariae arteriae et quidem sinistrae ex aorta, ejusque cursum per varias ventriculi ut plurimum aortici provincias depictum habes. Vides quoque sinum venarum pulmonalium cum ejusdem auricula, et pericardium reflexum, portionem denique pulmonis sinistrae.

H. HENR.

II.

HENR. AUG. WRISBERG
DE
NERVIS ARTERIAS VENASQUE
COMITANTIBUS

§. I.

Nervorum in vaſa influxus, aſſertus et denegatus viciſſim.

Halleri verba, elegantem ſuam propriam *de nervorum in arterias imperio* theoriam refellentia, quam cum in Commentariis ad Boerhaavium, tum paullo poſt in egregia Diſſertatione propoſuerat, perlegenti, et difficultatem explicationis in re tanti momenti expendenti, minime indifferens eſſe poteſt ſummi Viri prolatum judicium. Ut enim ipſe cum magna argumentorum copia, perſuaſionis ſvalore narrationis flumine et facundia, tum obſervationum anatomicarum ubertate, ſtudio et applicatione veriſimiliter oſtenderit, nervorum circa vaſa plicatorum laqueos, mox ſtringendo, mox viciſſim relaxando tantas et ſaepe tam ſtupendas in corpore excitare mutationes; ſic paullo poſt ex nimio irritabilitatis amore, et pro nimia in eam ſtabiliendam et propugnandam proclivitate „totam hanc deſeruit laqueorum theoriam, (ſunt ipſius viri immortalis verba,) ab anno 1752 in ſecunda ſectione commentarii de partium „ſenſibilitate. Ut enim probabilis videri poſſit, repugnat certiori phaenomeno, nervi „nempe, dum muſculum in motum ciet, perfectae quieti.“

Cedere itaque debuit hypotheſis alii: an probabiliori? an naturae magis conſentaneae? Dudum omnino et ſummo cum iure dubitarunt, ſtringendi vim in partibus omnibus corporis humani irritabilitati adſcribendam eſſe, quae viſibilem oſcillationem, criſpationem et palpitationem particularum oſtenderet. Quot ſane motus manifeſtiſſimi in corporibus viventibus cum animalis tum vegetabilis naturae contingunt, absque omni ſenſibus percipienda partium abbreviatione, aut ulla longitudinis imminutione? Fefellit procul dubio magnum virum laqueorum anſarumque nervearum circa arterias circumvolutio, qualem in ſubclavia arteria dextri lateris et aorta deſcendente uterque recurrens ex octavo, et circa art. thyreoideam inferiorem et ſubclaviam in utroque latere intercoſtales nervi in ganglia cervicalia media et infima abituri formant. Talium ſane anſarum plures, dictis longe majores fortioresque, in chiaſmate nervorum brachialium, axillarem arteriam transmittente, et nervo tibiali communi in poplite, diviſionem

divifionem arteriae popliteae fuftinente, animadvertuntur. De omnibus illis anfis et laqueis uno filamento laxe vas tranfiens continentibus, fine ulla veritatis fpecie creditum et affertum effe putamus, ftringi inde vaforum lumina, fanguinis circulum inde mutari, conftrictione augeri, et mediante hoc mechanifmo animi pathematum primaria fymptomata in oculos incurrentia, faciei ruborem et pallorem, produci. Ut hoc praeftent, longe majore fane opus fuiffet longitudinis nervorum imminutione, quam in ullo mufculo cernimus, quin imo haec ipfa arterias venasque altius tolleret, motum liquidi contenti, cum totum canalem non amplectantur, nulla ratione fiftere, fufflaminare et minuere, liberioremque viciffim fubfequente, nervei laquei relaxatione reddere, affluxumque quodammodo augere poffunt.

§. II.

Influxus nervorum probabilior redditur.

Verum enimvero fi factum ipfum minime in dubium vocandum eft, animi fenfa pro diverfo corporis habitu, temperamentorum conditione, fanitatis ftatu cum fecundo tum adverfo, idea menti vel mitius vel gravius inhaerente, tam amore quam odio, tam gaudio quam triftitia, fpe aeque quam metu, iracundia, cupidinis venereae incendio, aliisque modis corpus in hac vel illa parte vehementer affici, ut mox rubore et ira excandefcat, mox pallore exalbefcat, ut mox cum univerfum corpus, tum quaedam loca profufiffimo fudore madeant, mox ariditate fere cutis ficcetur, ut liquorum falivalium bilisque fontes largius aperiantur, qui alio tempore vero, et fub aliis conditionibus jufto parcius fluunt, ut crifes in morbis perfectae toties tum quantitate cum natura materiei criticae tam faepe mutentur et q. f. a. Quae omnia inquam cum ita fint de caufa probabili et vera cogitandum omnino eft, quae haec efficiat. Difpiciendum eft univerfum corpus in minoribus et magis latentibus partibus, quae corporea ftructura mere corporeos producat effectus.

§. III.

Ejusdem argumenti continuatio.

Nervorum in vafa imperio hunc animi affectuum effectum accenfendum effe, partim ex amicabili decurfu et nervorum cum vafis frequentiffimo connubio, partim ex fingulari proportione, qua nervi tam diverfimode per corpus difperguntur, conjectura jam quodammodo profpiciendum erat. Modum vero explicationis invenire res non adeo facilis eft. Spirituum nervoforum et fluidi nervei dominium quamdiu ingenia adhuc irretita tenebat, nemo aufus eft, folidae nervorum parti functionis rationem adfcribere. Minime autem opus effe exiftimo ad hypothefes Argenterii Stahliique refugere, et nos tamen nihilominus de probabiliore nervorum actione per folida firma et tenacia filamenta convincere. Exceptis enim paucis organorum fenforiorum locis in retina, molli veftibuli pulpa, tenerioribusque bulbulis in digitis, glande penis etc. in omnibus fere locis univerfi corporis in tenaciffima fila et membranulas, tenfioni

saepe satis forti resistentes finiuntur, in plexibus saltem oesophagum vasaque corporis omnia amplectentibus, tantam firmitatem tantumque robur ostendunt, ut de constringendi potentia nulla locum habere possit dubitatio *).

At vero hypothesibus non immorabimur, ipsa corporis nostra interiora lustraturi operam dabimus, quid *quinti*, *septimi octavique* paris et *intercostalis* cum pluribus artuum nervis nos respectu plexuum circa vasa formatorum doceat: Selegi enim praecipuos hos corporis animati nervos, quoniam in efficiendo partium quam maxime dissitarum consensu et harmonia, medico ad dijudicandos effectus saepe haud praevisos et inexpectatos, tam necessaria cognitu plurimum conferunt.

§. IV.

Nervorum plexus circa ductus excretorios.

Nec minorem sane attentionem postulat observatio in omnibus cadaveribus confirmata, quod, prouti vasa sanguifera, arteriae praecipue, ita etiam ductus excretorii plerisque in locis sedibusque prae aliis uberiore filamentorum nerveorum copia cinguntur et circumvolvuntur. In majoribus vasorum truncis id quidem vel raro vel nullibi fit, hinc pauci vel saltem exilissimi nervi comitantur aortam descendentem, cavas venas, earundemque majores ramos, et validiores crassioresque nervi ab his vasis remotiores sunt. Vasis autem in minores ramos dehiscentibus, et ad loca ubi praecipuis functionibus inservire debent properantibus, nervei surculi cum iisdem sese jungunt, et pari passu factis circa ea elegantissimis plexibus et retibus cum iisdem decurrunt. Talia conjunctionum exempla praecipue in Infraorbitalibus, Transversali faciei, Maxillari inferiore, Vertebrali, Coeliacae et mesentericarum distributione, Renali et in omnibus fere artuum arteriis. Exinde vero enascuntur multiplices nerveorum filamentorum implicationes excretorios canales et ductus stupenda ratione amplexantes, quales nemo sine admiratione in *ductu Stenoniano* cernere potest, ubi coalitiones ramorum buccinatoriorum et masseterícorum ex ramo tertio quinti cum variis surculis ex communicante faciei, eundem ductum cingunt, ita pariter in *ductu Whartoniano*, quem plexus rami lingualis quinti, in *pelui renali* surculi ex plexu renali, et in *canalibus bilariis*, quos rami ex plexibus semilunaribus amplectuntur.

§. V.

Notabiliora loca ubi ramuli nervei quinti paris vasa amplectuntur et cingunt.

Quinti nervorum calvariae paris dignitas, quod praeter tot musculos et cutis loca nervis muniens, plurimis inter omnia alia nervorum paria sine dubio sensoriorum organorum

*) Sic explicatur tumor faciei, qui comitatur maxillae superioris et praecipue dentium dolorem, vel tumor palati et difficilis deglutitio conjuncta cum odontalgia. Hinc reficiunt odores fragrantes corpus, quoniam nasales nervi communicant cum sympathico, qui saltim ad cordis vasa majora aliqua filamenta demittit. Ex his observationibus explicatur cephalalgia foeminarum hystericarum. In ebrietate, in apoplexia paralysis linguae ex nervis arteriam vertebralem cingentibus demonstratur et quae sunt reliqua. L.

ganorum inſtrumentis ſentiendi impertit facultatem, jam prae reliquis accuratius et perfectius deſcripta eſt, cum non ſolum a b. MECKELIO [1]) et HIRSCHIO [2]) ex inſtituto univerſi nervi hiſtoria verborum expoſitione enucleata ſit, ſed nuperrime quoque ab ill. SCARPA [3]) diſſicilis hujus nervi particula novis inventis cum deſcriptione tum nitidiſſima rami naſo-palatini, oſſium turbinatorum, et palatinorum delineatione aucta et amplificata fuerit.

Solertiſſimi autem hi viri cum in proſequenda hujus nervorum paris hiſtoria ſuum quivis ſcopum prae oculis habuerit, mihimet ipſi jam connubium quorundam ejus ſurculorum cum vaſis perſcrutari propoſui.

§. VI.

In ramo primo ſ. ophthalmico frontali.

In *ramo primo* quinti paris ſeu *ophthalmico Williſii*, melius *ophthalmico frontali* nominando, nervulorum circa vaſa complicationes praecipue in *ramo* ejus *frontali*, qui integri rami primi finis eſt, memorabiles et conſpicuae ſunt.

Quamvis enim ramulus naſalis cum in formandis nervulis ciliaribus, tum in progreſſu ad nares et in continuatione ejusdem in infratrochlearem, ita pariter ramus lachrymalis circa arteriolas quae cum his nervulis verſus glandulam incedunt varias forment circa vaſa plexulos et reticula, cedere tamen omnino debent illis nunc jam in frontali deſcribendis. Ut vero melius et accuratius diſcerni illi nervorum ſurculi poſſint, qui in retia circa vaſa frontis abeunt, in capite, cujus vaſa perfectiſſime repleta fuerunt, cutis cum pericranio a calvaria ſolvi et ſuper orbitas, remota parte orbitaria oſſis frontis, reclinari debet, ut in inferiore cutis et reliquorum integumentorum ſuperficie vaſorum nervorumque progreſſus cerni poſſit.

Nervus igitur *frontalis* antequam orbita exiverit, in media aut paullo anteriore ejusdem parte emittit adhuc *ramum ſupratrochlearem*, qui ſe binis vel tribus arteriae ophthalmicae ramis, quae nunc jam nomen ſuum cum denominatione frontalis commutat, et qui rami in conjunctionem cum arteria angulari oculi interna ex naſali abeunt, et venae ophthalmicae initio ſe immiſcet, et reticulis variis factis, cum in corrugatore ſuperciliorum et orbiculari palpebrarum muſculo, tum in palpebris circa easdem ludit. Ipſe nervi frontalis truncus autem nunc jam inter arteriam frontalem et cognominem venam in ophthalmicam abeuntem per foramen orbitare ſuperius orbita exit. Si arcum orbitarium oſſis frontis attigit, ſtatim cum arteria in duos vel interdum tres ramos, qui deinceps in plures minores dividuntur, dehiſcit. Tres illorum denuo bifurcati amplectuntur ramum arteriae venaeque, et easdem in reticula et plexulos mutati ita comitantur, ut faſciculus vaſorum inter duos nervulorum ſurculos lateraliter collocatos incedat,

 qui

1) *Diſſ. de Quinto pare nervor. cerebri. Goett.* 1748. (Script. hor. nevrol. min. T. I. p. 145.) et deſcriptio ganglii ſphaeno-pal. in *Mem. de Berl.*

2) *Diſſ. ſiſt. Diſquiſitionem anat. paris quinti nervorum encephali. Viennae* 1765. (Script. hor. nevrol. minor. Tom. I. pag. 244.)

3) *Annotat. anatom. Lib. II. de organo olfactus praecipuo et de nervis naſalibus interioribus e pari quinto nervorum cerebri. Ticini* 1785. 4.

qui filamentis partim ex uno nervulo, partim ex altero emiſſis cinguntur. Unus eorum ramorum idemque fere maximus magis verſus exteriorem frontis regiónem temporalem inclinans, occurrit ramo arteriae temporalis orbitam petens et pariter binis ſurculis cum arteria progreditur, variisque verſus arteriae truncum temporalem filis intermediis eandem ambit, et cum filamentis nerveis ex ramo temporali profundo ex muſculo in cutem provenientibus coit.

§. VII.

De uſu et ſequelis horum plexuum in laeſionibus fronti illatis non improbabilis opinio.

Cum ad explicanda varia in corpore humano occurrentia phaenomena, quorum expoſitio et naturae conſentanea evolutio ex fabrica partium anatomica repetenda eſt, ſaepe de ſingulari uſu et influxu plexuum nervoſorum circa vaſa ludentium cogitarem, et fere convictus eſſem, tunicis vaſorum minorum tantam nervulorum copiam vix impendi poſſe, quod majores trunci illis careant, aliumque igitur adhuc uſum et ſcopum ſubeſſe debere, praecipue me excitavit etiam amplexuum illorum nervoſorum ratio in fronte et locis vicinis, eorundemque circa vaſa luſus et amicabiles alligationes. Rediit mihi his meditationibus dedito in mentem, qualem non raro Chirurgis metum injecerint laeſiones fronti illatae ad producendam amauroſin aliaque oculorum mala.

Ipſe caſum ſcio, ubi ex graviſſimo cutis in limitibus frontis et ſincipitis ante ſuturam coronariam, ad cranium ipſum penetrante vulnere, diu poſt ſanationem remanſerunt in utroque antea perfecte ſano oculo tunicae conjunctivae inflammationes et moleſtae lachrymationes ſpontaneae, poſt anni demum tempus ſua ſponte ceſſantes.

Tractavi alium aegrotum, qui lapſu in terram notabilem cutis in arcu ſuperciliorum dextro contuſionem, praeciſe illo in loco ubi faſciculus arteriae et nervi frontalis per foramen orbitare ſuperius orbita egrediuntur, paſſus eſt, ſubſequente et diu remanente oculi dextri dolore, tumore, albugineae inflammatione et lachrumarum immoderata et vix coercibili profuſione. Annuo circiter ſpatio praeterlapſo ſenſim enarratae moleſtiae minuebantur, et tandem plane ceſſarunt.

Semel aegroto iuveni aliquot tumores cyſticos in fronte verſus glabellam et in occipite haerentes nucis avellanae magnitudinis exſecandos et exſtirpandos curavi: Finita vulneris ſanatione, ter vel quater ex leviſſimo pedum refrigerio vehementi laboravit oculorum inflammatione. Nunc jam ab aliquo aetatis et vitae ſuae ſpatio decurrente, licet omnibus aeris et tempeſtatum iniuriis ſeſe expoſuerit, frequenter venatum proficiſcatur, et in veneris caſtris non modice militare ſoleat, ab omni oculorum incommodo liber et immunis eſt.

Equidem non negabo, vulnera caeſae fronti inflicta ſubſecutam eſſe guttam ſerenam, aut aliud quoddam oculi interioris vitium viſui inſidioſum; at enim vero, an tales amavroſes ex ſola nervi frontalis in fronte laeſione, ex communicatione nempe, quae huic nervo, mediantibus nervulis ciliaribus, ex ramo ejusdem naſali, et radice communicante cum pari tertio et ganglio ciliari, cum interioribus bulbi partibus intercedit, ortae

ortae fuerint, id mihi propter exilitatem illorum nervulorum ciliarium, qui ex ramo primo hoc quinti, cujus nervus frontalis continuatio eſt, proveniunt, admodum improbabile eſſe videtur.

Inſequi autem poſſe, ſi revera annotatae fuerunt, arbitror ex mutatione quadam graviore in interiore encephali parte ſub ictu contingente, quae nos latet, cum vita aegroti ſuperſtes examen profundioris cerebri regionis, ex qua nervus opticus ortum petit, aut nervi ipſius, non admittat. Ex quibusvis vero externarum regionum laeſionibus et operationibus ibidem interdum cum utilitate et proſperitate aegroti ſuſcipiendis, quales tumorum cyſticorum exſtirpationes ſunt, ſi partibus in calvaria contentis nulla illata injuria fuerit, viſus privationem metuendam eſſe, mihi nullo modo perſuadeo.

Sequelae igitur enarratae, quae niſi ſemper, tamen frequentiſſime omnes illas fronti et regionibus vicinis inflictas plagas, contuſiones, tumorum cyſticorum et tunicatorum exſtirpationes, forſan etiam trepanationem in fronte et ſincipite peractam comitantur, ex mea quidem ſententia potius arteriae frontalis ramis et nervulorum eorundem circumvolutioni, quam nervo ſoli adſcribendae ſunt.

Quodſi enim unus vel alter majorum arteriae frontalis ramorum majorum perſciſſus eſt, lumina eorum peracta conſolidatione vulneris clauduntur, et liberum ſanguinis per arteriam ophthalmicam irruentis iter, obturatis pluribus arteriae frontalis oſculis tollitur. Ex quacunque itaque cauſa congeſtiones verſus caput oriuntur, oculus laborabit, donec ſucceſſu temporis laterales arteriae frontalis rami cum temporalibus coeuntes ampliores redditi, liberiorem ſanguinis ex orbita in frontem tranſitum, hactenus impeditum, denuo admittant. Quo itaque reſtituto incommoda oculi ſua ſponte pro futuro ceſſant.

§. VIII.

Plexus nervorum ex Ramo ſecundo quinti ſeu Maxillari ſuperiore vaſa ſequentes.

Nec minus memorabiles quin potius celebriores ſunt et copioſiores nervulorum circa vaſa complicationes ex *Ramo ſecundo quinti* enatae. Iam ipſe integer *nervi maxillaris ſuperioris truncus* in canale ſuo et in fiſſuram ſphenomaxillarem ingreſſu, et involucro ſuo cinctus, pluribus circumlegitur vaſorum tenellorum ſurculis, qui in ſubjectis idonea materie repletis egregium offerunt viſui ſpectaculum. Aperta dein membranacea illa capſula, quae fiſſuram ſphenomaxillarem inveſtit, et in pinguibus ſubjectis adipe repletur, quaeque aliquantiſper, in interiore ſaltem lamella, durae matris propago eſt, arctiſſime ſane cum duro nervorum involucro cohaeret, elegantius adhuc vaſorum rete ipſam nervi ſubſtantiam obducens in conſpectum prodit, quod omnes majores ramos ſequitur, et praecipue ganglion ſphenomaxillare nitidiſſime amplectitur.

Qui deinceps rami progrediuntur, ſive ſinguli ſive cum alio conjuncti, vaſa quilibet ſua cingunt, et cum iisdem ad varia capitis loca, quibus deſtinati ſunt, abeunt, quorum vero amplexus in nullo tam grandes et multiplicati ſunt, quam in nervo infraorbitali, tam in canali ſuo adhuc latente, quam per faciem jam diſtributo. Tan-

 gendi

gendi vero et perſcrutandi antea ſunt minores hujus nervi diviſiones, *vidiani* nempe, *pterygo-palatini*, et *naſo-palatinus* Scarpae.

§. IX.
Ramus Vidianus.

Nervus Vidianus, derelicto ramo ſuo ſeu potius trunco *pterygoideo*, qui in ganglion ſpheno-maxillare abierat, ſimul cum arteriola illum concomitante, canalem Vidianum intrat, et in plura filamentula diviſus, parvae medullae ſpinali quodammodo ſimilis, arteriam talem in modum amplectitur, ut paucis in locis per liberos a nervis relictos hiatus rubri parietes arteriae pelluceant. Dum hac ratione nervus Vidianus in canali ſuo verſus poſteriorem ejusdem aperturam progreditur, et diverſos ſurculos, partim ad nares, partim pro formanda unione cum portione dura nervi acuſtici ſeu *communicantis faciei* in elatiorem aquaeductus Fallopii partem, partim ad formandam cum radice ex ſexto *nervi intercoſtalis* primam originem, exhibuit ediditque, omnes illi arteriae Vidianae ſurculi tenellis horum nervulorum filis cinguntur. Cum ex his arteriae Vidianae ſurculis plures in cavernulas oſſis ſphenoidei ſpongioſas, ad nutriendum os abeant, microſcopii adeo ope tenuiſſimi nervulorum capilli diſtingui poſſunt, qui cum arteriolis os intrant.

§. X.
Ramus Naſo-palatinus Scarpae.

Multiplices fiunt in fiſſura ſpheno-maxillari cum ramis rami ſecundi quinti paris et arteriae maxillaris internae combinationes.

Ramus *naſo-palatinus Scarpae*[1]), dum ab altiore foſſae pterygoideae regione, per fiſſuram ſpheno-naſalem ſupra ſeptum ſe incurvat, et uti recte celeb. Scarpa [2]) annotavit, cum arteriola, quae quidem ſatis inſignis eſt, uti ex periculoſis ſaepe narium haemorrhagiis patet, a ramo palatino-naſali orta, inter perioſteum ſepti narium, et membranam pituitariam per ſepti narium quodlibet latus ad foramen inciſivum ſ. palatinum anterius decurrit, ibidemque cum nervis vaſisque membranae pulpoſae palati coit. Laborem taedio plenum, nec difficultate carentem requirit, rationem expiſcari in duriſſima hac membrana, quam ſervant vaſa nervique per ſepti narium membranaceam partem decurrentes. Opus fuit, cum in ſubjectis recentibus, tum in ſpiritu aſſervatis, maceratione, ut tractabilius et ad perſcrutandum magis idoneum redderetur perioſteum, qua ratione volſellae ope tot laciniae et fruſtula emolliti perioſtei auferri poſſunt, ut diſtinctius vaſorum nervorumque decurſus cerni et diſtingui queat. Sub hac encheireſi omnino obſervationes ill. Scarpae [3]) confirmatas vidi, hunc *nervum naſo-palatinum* per proprium et peculiarem canaliculum, pone canalem inciſivum exire ad membranaceam palati papillam, retro dentes inciſivos haerentem, id tamen cum meis

1) Egregie illum delineavit ill. Anton. Scarpa *in Anat. Ann. L. II. Tab. I. ſſ.*

2) *Lib. cit. p.* 73.

3) *Lib. cit. p.* 81. 82.

meis qualibuscunque difquifitionibus vix bene conciliare poffum, hunc nervum, „*nullo* „*fepti membranae dato furculo*“ 4) ad palatum procedere.

Nifi omnia fane me fallunt, in illis capitibus, quae antea perfectiffime in arteriis injectionis materia ad amuffim penetrante ut venae aeque plenae fuerint, repleta funt, animadvertiffe me arbitror, ramum illum nerveum, retia circa comitem arteriam formaffe, quae in membranam fepti cum ramis vaforum abierint, et filamenta illa nervi, per canaliculos fuos ad papillam abeuntia teneriora fuiffe trunculo ipfo per fepti exteriorem fuperficiem decurrente. Nec minus evidentes fiunt inter ramulos vaforum cum ramis paris primi per foramina laminae cribrofae offis ethmoidei in feptum narium defcendentes et haec vafa combinationes, ex quibus non fine aliqua probabilitatis fpecie ad nervi primi paris cum ramo nafo-palatino Scarpae concludi poffit anaftomofin.

Non plane improbabile effe videtur, in notiffimis criticis illis narium haemorrhagiis, quae utplurimum, quin frequentiffime aut plane femper ex aliqua fepti narium in uno vel in altero vel vero in utroque latere arteria fiunt, jucundam faepe aegrotis titillationem praecedere, quo fenfu permoti frequenter digito narium interiorem fuperficiem fricant cum fanguinis ftillicidio fubfequente.

§. XI.

Ramus pterygoideus et palatinus.

Implicatur ftatim *ramus pterygoideus* cum fafciculo vaforum eundem per canalem pterygo-palatinum ad palatum comitante. Exeunt fimul cum nervulorum ramis per offa turbinata diftributis vaforum furculi, quos, fi membrana pituitaria ab offibus detracta ab exteriore fuperficie luftratur, eleganter cingunt.

Nervi palatini communis per canalem pterygo-palatinum defcendentis divifio in *minorem ramum*, qui palato molli, uvulae, tonfillis et principio pharyngis furculos dat, ubi etiam primae copulationes cum ramo pharyngaeo ex octavo f. potius gloffopharyngaeo, et arteria pharyngaea Halleri fiunt; et *majorem* per foramen palatinum pofterius erumpentem, et per totum ambitum membranae pulpofae palati diftributum, fimul fecum affert et deducit vaforum fafciculum, inter quos praecipuus eft, et a nobis folummodo fcrutandus qui *ramum palatinum anteriorem et majorem* comitem habet, cujusque decurfus et diftributio incomparabili folertia et nitore depicta eft a celeb. SCARPA 1). Referri merentur hujus rami palatini majoris circa vafa palatina complicationes et amplexus mutui inter praecipuos et varietatibus minus obnoxios. Ut vero fatis commode illos intueri poffimus, requiritur pariter fpecialis adminiftrationis ratio. Refecanda nempe eft ferrae ope coelum palatinum offeum cum arcu alveolari maxillae fuperioris usque ab alas pterygoideas et partem verticalem offis palatini, dein feparandae funt alae pterygoideae pone originem illorum ex offe fphenoideo, ut totus ramus palatinus cum vafis in canali conferventur, avellendum tandem eft totum coelum palatinum offeum, et nunc membrana pulpofa palati commodiffime in illa parte examini poteft fubjici,

4) Pag. 76.

1) *Anat. ann. L. II. Tab. II. fig.* 11. 18. 19. 20. 21.

ſubjici, ubi coelo adhaeſit palatino. Diſpeſcitur plerumque, bene repraeſentante ill. SCARPA, ramus palatinus anterior ſ. major per foramen palatinum poſterius delapſus, in tres faſciculos majores et aliquot minores, cum totidem fere ramis palatinis dehiſcit. Decurrunt junctim verſus arcum alveolarem, et dum per exigua coeli palatini oſſei foraminula ramuli arteriarum cum naſalibus interioribus communicent, luculenter diſtinguere potui, etiam tenerrima filamentula ex plexu hoc palatino cum vaſis in membranam meatum narium inferiorem obducentem penetrare. Formant nervi plura reticula circa vaſorum ramos, et cum iisdem omnem rugoſitatem membranae pulpoſae palati perreptant ad gingivas usque. Non reticendum hic quoque eſt ſingularis horum nervorum vaſorumque varietas, quam hac hyeme in cadavere virginis 16 annorum duplici hiatu palatino inſtructo, et cujus vaſa eleganter cera colorata repleveram, obſervavi.

Cum perfecto in omnibus partibus narium ſepto, attamen valde plicatili, deerant binae coeli palatini oſſei partes ſeptum cum arcu alveolari jungentes, ut itaque utraque narium cavitas cum ore unum idemque cavum formaret, duplici rictu verſus laminam cribroſam oſſis ethmoïdei aſcendens, et ſepto narium diviſum, in cujus ſumma extremitate alveolari unicus dens inciſivus haerebat. In ipſo hoc ſepto quoad vaſa et nervos omnia erant naturali ſtatui perfecte ſimilia. Nervus autem palatinus cum arteria ex canali pterygo-palatino deſcendentes, longe erant minores quam in conſueta fabrica in proportione corporis ſtaturae eſſe ſolent, et quicquid vaſorum nervorumque alias per membranam pulpoſam palati ſolet diſpergi, in hoc deformi palatu per gingivas utriusque arcus diſtribuebatur. Vix autem, ſi arterias meſentericas et ramos coeliacae excipio, recordor me elegantiores circa vaſa nervorum plexulos vidiſſe illis, qui per gingivas horum arcuum alveolarium diſſeminabantur.

§. XII.

Nervi infraorbitalis circa vaſa irretiti plexus.

Nervus infraorbitalis eodem jure rami ſecundi quinti paris continuatio et finis cenſendus eſt, quo ramus infraorbitalis arteriae maxillaris internae finem facit. Singulari ratione integri nervi maxillaris ſuperioris diviſionem cernere poſſumus, ſi, *uti in meis iconibus delineari curavi*, decurſus nervi maxill. ſup. non ex lateribus, uti hucusque factum eſt, ſed ex parte ſuperiore inſpicitur, in quem finem omnes ſuperiores partes a baſi calvariae cum nervis et vaſis et ipſe ramus primus quinti paris removendae et auferendae ſunt, ut ſuperior ambitus fiſſurae ſpheno-maxillaris et ſpheno-naſalis ubique liber et apertus ſit. Incedit integer nervi maxillaris ſuperioris truncus canali ſuo incluſus recto verſus fiſſuram ſphenomaxillarem aut aliquantiſper declivis: Si locum attigerit, ubi in varios ramos dehiſcere debet, paullo magis verſus exteriorem fiſſurae regionem inclinat, quaſi totus in ramum infraorbitalem abiturus. Ex ſuperiore loco nunc viſus, tres praecipue rami, in hoc ſitu tantum diſcernendi, notantur, faſciculus nervulorum naſalium verſus interiora, ramus Vidianus ab interioribus verſus poſteriora procedens cum ganglio ſpheno-maxillari, et ramus infraorbitalis paullo magis

verſus

verſus exteriora: ramus pterygoideus omnium maxime inferior fiſſuram pterygo-palatinam intrans, cum ab aliis ramus tegatur, ex hoc loco ſpectatus bene diſtingui nequit.

Videtur ramus ſecundus quinti paris quaſi in duas portiones findi, quarum *minor* paullo magis interior ex ramis conſtat, pterygoideo, faſciculo naſalium et vidiano, qui ganglio ſpheno-maxillari uniuntur, *major* autem tota in ramum infraorbitalem cum ſuis minoribus ramis alveolaribus et ſubcutaneo malae impenditur.

Hic ramus infraorbitalis in latiſſima fiſſurae ſpheno-maxillaris parte arteriae maxillari internae per hanc dictam fiſſuram ſerpentino ductu migranti at in plures ramos, inter quos arteria infraorbitalis maxima eſt, dehiſcenti occurrit, et partim cum hac arteria, partim cum plexu venoſo ſpheno-maxillari mirabili modo irretitur.

Emiſſis dein ramis, dentali ſuperiore et ſubcutaneo malae, ramus infraorbitalis cum arteria et vena comite canalem infraorbitalem intrat, et in illo, usque ad exitum ejus in faciem, multiplicibus filis arteriam venamque amplectitur. Dividitur nervus infraorbitalis ſecundum probatiſſimas, nunc omnibus jam notas, deſcriptiones in tres partes, ramum nempe *ſubcutaneum malae*, *alveolarem maxillae ſuperioris*, et *infraorbitalem;* niſi prior, nempe *ſubcutaneus*, prouti in multis ſubjectis fit, et a beato et deſideratiſſimo Meckelio [1]) delineatum eſt, ex ipſo trunco provenerit. Unus vel alter ramus, ex hoc vel illo ramo, vel ex trunco ipſo interdum proveniens ſolis muſculis proſpiciens, noſtro ſcopo non inſervit.

Antequam igitur nervus infraorbitalis cum ſua comite arteria apertura anteriore canalis infraorbitalis exierit, plerumque tres ramos emiſit: 1) *ramulus antri highmoriani*, qui cum ſimili ramo arteriae infraorbitalis per exiguum foramen membranam illam petit, quae ſinum maxillarem inveſtit: Saepe ex hoc, ſaepe absque nexu cum illo prodit ramus dentalis cum ramo dentali poſteriore ex alveolari anaſtomoſi junctus; nitidum vaſorum nervorumque rete format hic ramus ſinui maxillari ſuperiori proſpiciens. 2) *ramus ſuperficialis naſi*, qui partim dentibus inciſivis adhuc fibrillulas mittit, partim naſum attingit: 3) *Continuatio trunci nervi infraorbitalis.* Cum hac ultima et maxima nervi infraorbitalis portione egreditur ſimul arteria anteriore apertura canalis infraorbitalis declivi paullulum decurſu in faciem. Nervus jam in multos ramos diviſus arteriam ubique amplectitur et obtegit, ut pauca veſtigia translucentis rubrae arteriae ſuperſint. Similes repetitae nerveorum ramorum diviſiones et ſubdiviſiones cum vaſis repetuntur per reliquum nervi decurſum ſuper illam faciei partem, quae inter orbitam, naſum, zygoma, tuber maxillae et labium ſuperius continetur, ut certiſſime nulla paullo memorabilis arteriola inveniatur in hac regione, quae non binis vel unico ramulo nervi mox rurſus diviſi et cum altero irretiti cingeretur. Id vero praeprimis in ramulis *palpebralibus*, *naſalibus* et praecipue *labialibus* egregie viſu eſt, a quibus ſtupenda papillarum labii ſuperioris fabrica pendet. Quodſi etiam ſurculi nervei cum aliis uniuntur, uti in hac parte multiplices tales cum infratrochleari et pluribus ramis communicantis faciei ex ſeptimo pare perficiuntur, fere ſemper vaſorum ramus anaſtomoſeos et unionis comes erit.

§. XIII.

1) *Diſſ. incompar. cit. Fig. I.* 56.

§. XIII.

Applicatio hujus structurae ad phaenomenon quoddam.

Gravitas et dignitas rei fane poftulat, accurata et diligente obfervatione et meditatione in fymptomata, ufum et fequelas inquirere, quae ex ejusmodi conftante et eleganti nervorum cum vafis copula enafci poffit.

A meo fane fcopo jam alienum eft, ad omnia momenta attentionem dirigere, quae in morbofo corporis ftatu, cum auxilium medicum, tum chirurgicum efflagitante, colligi et enodari debeant. Subfiftam modo in delibando unico phaenomeno phyfiologico-pathologico, quod nobis offert *ftructura papillarum labii oris fuperioris.* Dixi jam fuperius, et nunquam fatis repetere poffum, rarius id fieri, ut nervei plexus majores vaforum truncos, in infimo ventre autem exceptio locum habet, amplectantur, fed in minimis canaliculis id praeprimis locum habere. Ejusmodi locis nunc prae omnibus annumerandae funt papillae ita dictae cutis, et maxime *labiorum oris, linguae, areolae mammae cum colliculo intermedio, digitorum, penis, glandis clitoridis* et *villorum inteftinalium.*

Labiorum oris, et potiffimum *labii fuperioris papillarum* ftructura, qualem fub perfectiffima vaforum repletione in meis praeparatis cernere licet, inter elegantiffima naturae artificia pertinet [1]).

Per totam fuperficiem rubram utriusque labii oris diffeminata eft infinita copia villorum, villis in tunica intima inteftinorum tenuium hominis perquam fimilium, reliqua cutis labiorum parte glabra. Major illorum copia in labio fuperiore, ut ampliore, ubi etiam longiffimi funt: inter plures ejusdem longitudinis et craffitiei eminent alii longiores et craffiores, plerique vero in craffiufculum terminantur bulbulum. Vafa effe maximam partem docet elegans rubor a contenta materia, fed optima lente fimul diftinguimus tenerrima albicantia fila et maculas, nervorum procul dubio in eosdem continuationes. Qui nunc fenfum exquifitum confideraverit, quem admotis labiis parti cuidam percipimus; qui de periculo infectionis diverfae perfuafus eft, qua contaminari poffumus, fi fub quacunque laefione aut deftructione epidermidis bafiis inquinatum os alterius, aut vas quoddam impurum bibendo tangimus, de nervorum in vafa et hos villos imperio non amplius dubitare poteft.

§. XIV.

Rami tertii quinti paris ad vafa relationes.

Ramus tertius quinti paris feu *maxillaris inferior*, quamvis omnium hujus paris ramorum maximus fit, non tam multiplices tamen et infignes cum vafis complicationes

nes

1) Aliquantifper repraefentationem fed minime fufficientem horum villorum invenies in magni inciforis beat. BERNH. SIEGFR. ALBINI *Annotation. acad. Lib. VI. Tab. III. fig.* 1. Difficultatem exprimendi hos villos egometipfe jam bis expertus fum, a diverfis pictoribus delineari pro *adverfariis academicis* meis curavi, in nulla autem figura id expreffum eft, quod auditores mei, et qui Mufeum meum perluftrarunt, admirati funt.

nes format, quam duo rami priores: forſan quod maxima filorum nerveorum ſuorum copia muſculis impendatur.

Notiſſimum jam eſt, quod poſt meas repetitas obſervationes et iconem [1]), etiam receperunt noſtri aevi inciſores, duas eſſe portiones, quae ad integrum par quintum formandum confluunt, quarumque minor in ramum tertium inclinat. Ut vero omnes faſciculi portionis majoris multiplici unione et diviſione in ganglion ſeu potius plexum gangliformem coaleſcunt, haec portio minor id ſingulare habet, quod cum plexu illo non commiſceatur, ſed facta leni verſus poſteriora incurvatione, cum ramo tertio quidem per foramen ovale cranio egrediatur, facto autem egreſſu, tota quanta in muſculum pterygoideum conſumatur.

Diviſioni cognitae, quam ramus tertius in plures ramos tam validiores, quam debiliores patitur, cum nihil magni momenti addi poſſit, id tantum notari debet, varios arteriae maxillaris internae ramos ſine conſtanti ordine per fiſſas rami tertii portiones vadere: Cum vero nunquam vel haec vel illa cum conſtantia nervorum plexibus involvatur et cingatur, nobis tantummodo in illis rami tertii quinti paris ſubſiſtendum eſt ramis, qui ad vaſa, aut ductus excretorios, eorumque munia pertinere videntur; et ſi huic ſatisfacere ſtudemus, perſcrutabimur praecipue ramos, *lingualem* et *alveolarem maxillae inferioris.*

§. XV.

Ramus lingualis ex quinto pare.

Conjuncti paullo antea bini nervorum inſignes faſciculi, *alveolaris maxillae inferioris* et *lingualis*, maximam filamentorum nerveorum rami tertii abſorpſerunt: facta illorum ſeparatione, *ramus* tantillum *anterior*, aſſumto mediocri filamento, ex cavitate tympani per fiſſuram Glaſeri adveniente, quod ſub nomine *chordae tympani*, appellatione minime conveniente, omnibus notum eſt, ſub rami *lingualis* ſignificatione ad linguae apicem properat.

In illa via, antequam linguae carnes attigerit, emittit conſtantem faſciculum, qui vel propriis ſuis filamentis, vel uno alteroque ſurculo a ramo mylohyoideo, vel, quod ſemel vidi, ex nono pare accedente, in multis cadaveribus, minime in omnibus, in gangliolum quoddam intumeſcit, optime a beato Meckelio [1]) delineatum, et maxillare dictum. Diſperſi ex hoc gangliolo, aut ſi talis ſtructura non adeſt, ex plexu, ramuli nervei cum ſurculis arteriarum glandularium ex labiali prodeuntium irretiuntur, et minimas illarum diviſiones per glandulam ſubmaxillarem diſperſas illaqueando inſequuntur.

Ex eodem trunci loco, cum radice praecipua ganglii maxillaris provenit *primus ramus communicans* cum nono pare, ex qua unione plures ſurculi ramum arteriae lingualis ſuperficialem amplectuntur, et nitidum nervorum rete circa eandem formant.

E 2 Sequitur

1) *De quinto pare nervorum encephali, et de nervis, qui ex eodem duram matrem ingredi falſo dicuntur.* *Goett.* 1777. (Script. hor. nevr. min. T. I. p. 263.)

1) *Diſſ. cit. Fig. I.* 74.

Sequitur dein *alter ramus communicans* cum nono, cujus ſurculi tam profundiores linguae muſculos penetrant, quam arteriam lingualem profundam ambiunt: Paullo poſt trunco egreditur ramulus nerveus inſignis ad glandulam ſublingualem, et arctiſſimo reti cum vaſis ſanguiferis glandulae copulatur. Cum tandem truncus rami lingualis ex quinto in plures ramos fiſſus verſus anteriorem linguae regionem incedit, ductus ſalivalis Whartonianus inter duos magnos ramos incluſus, ex quibus tenella filamenta ex uno in alterum mittuntur rete formantia, verſus linguae fraenulum procedit, et pone illud in cognita papilla aperitur.

§. XVI.

Ramus alveolaris maxillae inferioris.

Hic ultimus rami tertii paris quinti ramus, quodammodo maximus, paullo poſt quam ex trunco ſuo proceſſit, ſibi adſociat ramum arterioſum alveolarem maxillae inferioris et venam homonymam. Cum his in faſciculum, duriore celluloſa involutum, cinctus, verſus canalem maxillarem decurrit, et licet in tranſitu per canalem cum nervus tum vaſa in ramulos plures dividantur, ſemper tamen plurium ſunt ramorum nerveorum, qui vaſa intermedia amplectantur.

Quamvis in definiendis corporis humani attributis et ſtructura obſervationes ex homine deſumtae omnes alias praecedere debeant, in hac noſtra conſideratione annotationes in quibusdam brutis factas, in quibus hic nervus admodum grandis eſſe ſolet, praemittere volo. Deſumta eſt deſcriptio ex maxilla inferiore vituli, cujus vaſa ad amuſſim erant repleta. Decurrit faſciculus nervorum et vaſorum pone limbum inferiorem maxillae, ad quem ipſum pertingunt ſacculi illi membranacei et vaſculoſiſſimi dentium primordia comprehendentes, ita quidem, ut faſciculo vaſorum nervorumque immediate incumbere videantur. Pro hac membrana alveolos obducente fovenda et nutrienda, exeunt ramuli arteriae alveolaris cum binis, tribusque nerveis filis, et repetitis diviſionibus et factis anaſtomoſibus per membranam diſtribuuntur, ut tota vaſculoſiſſima et ruberrima reddatur: Lentis ope clare poteſt animadverti, tenerrima albicantia fila, nervulorum propagines, vaſa ſequi et amplecti. Derelinquit dein hic faſciculus canalem maxillarem, et per aperturam ejus anteriorem in exteriore maxillae inferioris ſuperficie erumpit, et per labium oris inferius diſpergitur.

In cadaveribus humanis id tantum diverſitatis occurrit, quod non ſolum canalis maxillaris per mediam maxillae inferioris partem incedat, et ſepimenta inter foramina alveolaria craſſiora ſint, caeterum ſimilis ſtructura in hominibus ac in brutis locum habet. Erumpens per foramen mentale nervus alveolaris maxillae inferioris una cum arteria et vena, ut per regionem mentalem diſpergantur; utplurimum nervus in duas portiones dividitur, quarum quaelibet, cum duobus vel tribus minoribus ramuſculis totidem ramos vaſorum ſequitur, et in minora filamenta fiſſa, verſus labium oris inferius inclinant. Pauci illorum ramorum per cutem diſtribuuntur, plures ſuperficiei interiori oris reſervati ſunt, quam eam ob cauſam tam vaſa ſanguifera eleganter coccineam, et nervi acutiſſime ſentientem reddunt.

Ut hi

Ut hi nervorum vaſorumque faſciculi inexplicabili ratione cum ramis arteriae labialis, et pluribus ſurculis nerveis ex ramo maxillari inferiore communicantis faciei ex ſeptimo pare communicant, ſic praecipua attentione digni ſunt illi hujus plexus ſurculi, qui labium oris inferius ipſum attingunt. In ſimiles enim villos, ſaltem tam numero rariores, quam ſtructura teneriores mutantur, quam in labio ſuperiore, et procul dubio ejusdem efficaciae in producendis ſymptomatibus et ſequelis ſunt, uti occaſione nervi infraorbitalis, in labio oris ſuperiore notatum eſt.

§. XVII.

De portione dura nervi acuſtici, ſeu quod convenit melius, de nervo communicante faciei.

Nervus hic, qui ad normam commodioris et brevioris denominandi et ſignificandi rationis, quae antiquis placuit inciſoribus, quinto veterum et ſeptimo recentiorum pari, vel in genere *nervo acuſtico* annumeratus fuit, ſine omni alio fundamento, quam, quod junctim meatum auditorium ingrediuntur. Cum vero ſemper perpenderem, hunc nervum durum vulgo appellatum, *ortu*, *decurſu*, *natura*, *canali* quem occupat, *diſtributionis ſede* et *uſu*, a portione molli dicta paris ſeptimi vel auditorii longiſſime diverſum eſſe; non amplius dubitavi illos ſeparare, et novo nomine *communicantis faciei* hunc inſignire, quam ſignificationem etiam, ceu magis convenientem, tanquam ſuam aſſumſerunt varii magni nominis inciſores, ill. Pfeffinger [1]), et Haase [2]).

Rami ſuperficialis Vidiani in *communicantem faciei* per aquaeductum Fallopii decurrentem inſertio, jam primam offert ejusdem cum pari quinto conjunctionem, quam, ſub ulteriore progreſſu mediante chorda tympani denuo confirmans, poſt exitum tandem infinitis fere anaſtomoſibus per omnem faciei regionem cum plerisque ramis quinti paris ſuſtinet.

§. XVIII.

Quaedam obſervationes reſpectu magni retis nervoſi integri trunci.

Peractum jam et ſumma cum diligentia et laude fere finitum laborem denuo agerem, ſi poſt inimitabilem ill. olim et beati Meckelii [1]) deſcriptionem et delineationem, portionis durae ſuper faciem decurſum denuo proponere vellem. Cum vero a diverſa praecipuorum ejusdem ramorum decurrendi, dividendi, et cum ramis quinti paris communicandi ratione, in facie humana tot et tam diverſi effectus lineamentorum, characterum et in genere phyſiognomiae pendeant, quae cum in ſtatu ſano, tum etiam morboſo praecipue, voce ſatis clara et ſignis obſervatori inſtructo indubiis, la- tentem

1) *In egreg. Diſſ. anat. de ſtructura nervorum Part. II. Argentorati* 1783. *p.* 41. (Script. hor. nevr. minor. T. I. p. 31.)

2) In doctiſſ. et utiliſſ. libro *Cerebri nervorumque anatome repetita. Lipſ.* 1781. 8. §. 151.

1) *Mem. de l'ac. roy. des ſcienc. de Berl. Tom. VII.* vel EJ. *Phyſiologiſche und anatomiſche Abhandlungen von einer ungewöhnlichen Erweiterung des Herzens, und denen Spannadern des Geſichts. Berlin* 1755. 4. *pag.* 22. — et hor. ſcript. nevr. minor. T. II. p. 204. et Tab. VI. L.

tentem ſtatum ſignificent, non ſatis repeti, et novis obſervationibus adumbrari poſſunt quaevis memorabiles nervi communicantis faciei varietates.

Haec itaque cauſa eſt, cur aliquam ſemel animadverſam, praecipuo meo themati praemittam. Non ſine ſufficiente ratione credere poſſum, inter rariſſimas varietates pertinere forſan a nemine adhuc viſam, cum manifeſtam et ſatis inſignem obtulerit *nervi communicantis faciei*, cum *ramo ſatis forti octavi paris recurrente* anaſtomoſin.

§. XIX.

Rara nervi duri cum octavo pare anaſtomoſis.

In cadavere adulti hominis die ſeptimo Febr. 1776 examinati nervus durus, datis ramis poſterioribus, inconſueta ratione dividebatur, et cum ramo inconſueto conjungebatur.

Media circiter in Parotide, inter acinos ejusdem quaſi ſepultus, in tres magnos ramos ſtatim dividitur, quorum primus ramum inferiorem, ſecundus *ramum communicantem cum octavo*, et tertius communem quaſi truncum ſed brevem rami ſuperioris conſtituit.

Ramus inferior, conſuetam ſubit diviſionem in ramum ſubcutaneum colli, cum nervis cervicis communicantem, et in alterum ramum verſus maxillam inferiorem directum, qui ſubcutaneo longe major eſt. Hic ramus maxillaris ſtatim ex ſeparatione a ſubcutaneo fortem et robuſtam anſam cum ramo faciali inferiori conſtituit. Deinceps truncus in duos magnos ramos dividitur, alterum inferiorem et minorem ad oram maxillae inferioris ſuper Maſſeterem incedentem, qui datis multis ſurculis in Platyſmamyoidem, cutem, Maſſeteremque ipſum, mentum deinceps attingit, ibidemque pluribus cum labialibus mentalis factis communicationibus, in orbiculari oris, depreſſore labii inferioris, quadrato menti et cute faciei finitur.

Alter major ramus, exhibitis multis exiguis filamentis ad Maſſeterem, et nonnullis tenerrimis ramis ad ramos faciales inferiores, in duos aequales ramos finditur; quorum ſuperior ſtatim cum magno ramo transverſali faciei confluit, et magnam anſam conſtituit, alter ſive inferior derelicto Maſſetere verſus buccas tendit, cum buccinatorio multis filamentis conjungitur, vix extricabilem plexum conſtituit, et pluribus filamentis in muſculis ibidem poſitis, cute et angulo oris finitur. Creberrime inde anſae cum ramis facialibus mediis et plexu zygomatico ſeu faciali formantur.

Secundus ramus, qui in hoc ſpecimine medium conſtituit, et qui praecipuum obſervationis a conſueto naturae tramite aberrantis ſiſtit, breviſſimum modo truncum format, poſt coalitum cum ramo inſigni ex ipſo trunco octavi paris ſupra ortum rami pharyngaei verſus foramen ſtylomaſtoideum recurrente, in quatuor novos ramos diviſum, quorum duo priores, mox a diviſione rurſus confluunt, et magnam craſſamque anſam formant. Foramen potius appellare debemus, per quod migrabat Arteria auricularis. Ex hac deinceps anſa tres magni rami ad faciem mittebantur, quorum ſuperior ramus binis radicibus ex communi trunco oritur, quae inter ſe pariter novam anſam faciunt, poſtquam hae radices in unum truncum confluxere, brevi decurſu facto,

cum

cum magno trunco secundi rami, qui cum posteriore conjungendo formatur, denuo valide connectitur, et nunc ab eodem separatus, communem quendam truncum pro temporali, frontali, supra orbitali, et zygomaticis superioribus formabat, quorum decursus a naturali itinere nihil diversi habebant.

Alter ramus horum trium ramorum ex ansa provenientium, binis cruribus oritur, quorum crurum superius ex ansa superiore rami primi vel superioris oritur, inferius ex ansa tertii rami ortum ducit. Nunc brevem truncum format, mox cum insigni quodam ramo posteriore totius trunci duri confluit, et validissimam ansam cum eodem constituit, inter quam magna vena temporalis intercedit, et versus tempora dividitur. Ad hanc ansam formandam quodammodo secundus ramus consumitur, ex qua ansa vel arcu deinceps plerique nervi zygomatici et faciales oriuntur, quare eorundem iter nunc non amplius describemus.

Tertius ramus f. inferior pariter duplici crure oritur, alterum crus ex conjunctione cum ramo medio sive secundo, alterum vero ex ramo magno posteriore, qui in hac observatione, primaria attentione dignus est.

Tertius primarius ramus ex superiori ramo totius trunci, singularem quendam nervum constituit, cujus apud scriptores nervi duri, nulla ratione situs atque itineris mentio facta est. Egreditur nempe truncum portionis durae in loco maxime posteriore atque profundo, retro venam magnam temporalem incedit, eademque obtegitur, et cum reliqui tres rami venae temporali incumbant, hic noster ramus commode *ramus facialis posterior* appellari potest. Elegantissimum spectaculum visu est, quomodo haec vena temporalis per hunc plexum migrat. — Dividitur hic ramus facialis posterior jam sub ipsa vena in duos ramos, aequalis magnitudinis, quorum superior cum trunco superiore, et ansa rami medii confluit, inferior autem cum ramo secundo f. medio conjungitur, et novam ansam facit, ex qua magna ansa sive area, uti diximus, reliqui nervi zygomatici, faciales superiores, medii, atque inferiores oriuntur.

Rara haec varietas, quam ab illo tempore, quo primum eandem vidi, et ex quo cadavere etiam haec descriptio deprompta est, semel elapsa hyeme repetere mihi licuit, admodum idonea videtur, ad mirabilem ventriculi concensum in quibusdam hominibus cum facie illustrandam et evincendam. Non enim adeo infrequens est observatio homines videre, qui, saburra in ventriculo laborantes, miras patiuntur lineamentorum et physiognomiae mutationes, cum singulari musculorum faciei lusu et agitatione: quibus paullo post, impuritatibus sive a nimia ingestorum copia, sive ab humorum gastricorum inquinamento, sive a bile et succo pancreatico, ex duodeno in ventriculum regurgitante, ortae fuerint, vel sursum vel deorsum expulsis, serena frons, et vultus naturalis redit.

§. XX.

Plexus arteriae transversalis faciei.

Inter alias partes, quas nervi communicantis faciei plexus ambiunt et comitantur, illi reliquis facile palmam praeripient, quos a) durus nervus circa *arteriam faciei transversalem* format, b) ubi *venas*, et praecipue *venam magnam faciei* amplectitur, et

c) dum

c) dum *ductum Stenonianum* cingit: de primo itaque primum ſermo faciendus.

Ramo nempe communicantis faciei ſuperiore in duos magnos ramos, *temporalem* nempe, et *zygomaticum* dehiſcente, tranſit per hanc furcam ramus arteriae temporalis ſub nomine *transverſalis faciei* cognitus, et anſae inſtar illam fulcit et ſuſtinet, cum ramulus non mediocris inter utrumque ramum temporalem et zygomaticum intermedius, arteriam transverſalem per foramen hoc nerveum migrantem excipit, ex quo ipſo loco arteria ramum illum inſignem maſſetericum ſuperiorem muſculo maſſeteri ablegat. Ex ramo *temporali* nervi communicantis faciei, qui caeterum tribus magnis ramis arcum zygomaticum ſupergrediens altiorem temporum regionem petit, quartus ramus magnitudine reliquis non cedens cum ramo zygomatico denuo confluit, et ipſi ramo zygomatico nunc inſignem conciliat magnitudinem.

Effert ſeſe ſub hoc ramorum nerveorum confluxu continuatio arteriae transverſalis faciei, et ex loco profundiore in ſublimiorem quaſi emergit. Rami illi nervei, alter nempe ex ramo temporali, alter zygomaticus, nunc rurſus ſeparati, ſuper faciei partem transverſalem inter arcum zygomaticum, arteria transverſali faciei intermedia, incedunt, et multis minoribus ſurculis, ex ramo temporali cum retro, tum ante arteriam in zygomaticum inſertis reteque formantibus, arteriam tam arcte amplectuntur, ut vix elevari poſſit: repetitae ſurculorum nerveorum ſubdiviſiones et novae conjunctiones, parvas inter ſe relinquunt liberas areolas, per quas rubra pellucere poteſt arteria. Ubi arteria faciei transverſalis nervorum plexu hoc modo incluſa, altiorem zygomatis regionem attigit, et in minores ſurculos dividitur, quorum maximus cum arteria infraorbitali coit, elegantiſſimo rete nervoſo ubique tectus, ſeparati illi rami nervei tandem in unum communem truncum congreſſi, cum ramo zygomatici deſcendente maſſeterico, qui huc usque Stenonianum ductum ſequutus erat, confluunt, et non ſolum celebrem illam anaſtomoſin cum nervo infraorbitali rami ſecundi quinti paris efficiunt, ſed etiam cum ramo buccinatorio communicantis faciei in conjunctionem cum ramo buccinatorio rami tertii quinti paris abeunte uniuntur: ex qua unione dein partim numeroſi ſurculi per ipſum muſculum buccinatorem diſperguntur, partim labiis anguloque oris copioſiſſimis nerveis filamentis proſpicitur, uti egregie a beato Meckelio annotatum eſt.

§. XXI.

Plexus nervi communicantis faciei venam magnam facialem in ophthalmicam inoſculatam ambientes.

De inſigni rete nervoſo venam temporalem tam mirifice amplectente paullo ante dictum eſt. Tam grande, et tam copioſis ramis mutuo ſibi irretitis, et tam arcte venarum tunicis inhaerens ſaepe inveni, ut de ſingulari illius retis nervoſi in mutando ſanguinis itinere influxu dubitari nequeat.

Luculentius autem ramorum nerveorum communicantis faciei cum vaſis ſanguiferis circumvolutiones intueri poſſumus, in obſervando decurſu venae facialis, ab angulo maxillae inferioris usque ad ingreſſum ejus in orbitam. In ipſo enim angulo oculi

oculi interno, ubi ramulos venofos palpebrales recepit, et pone ligamentum palpebrale incedit, copiofis irretitur furculis nervulorum trochlearium cum ramis ex ramo zygomatico et temporali inferiore communicantis faciei unitis. Manifeftiores fiunt illi plexus et reticula, fi vena facialis, in finu ifto inter nares, zygoma et maxillam fuperiorem verfus buccas progreditur: Ibi enim per tam intricatum rete nervorum tranfit, quod ex unione infraorbitalis et maximae partis zygomatici formatur, ut verbis vix defcribi poffit. Omnium vero maxima et validiffima conjunctio fit, dum vena, derelicta maxilla fuperiore, in vicinia ductus falivalis Stenoniani fuper buccas verfus maxillam inferiorem incedit. Validi nempe furculi ex ramo zygomatico, cum plurimis ex ramo mafleterico duri, aliisque ex ramo inferiore ejusdem cum nervo mentali confluente, et ramis buccinatoriis et mafleteris ex ramo tertio quinti, tam ineffabili ratione inter fe confluunt et irretiuntur cum vena per illud rete glifcente, ut filamenta nervea pluribus in locis arctiffime venam, et ramum arteriae buccalem venae comitem amplectantur et cingant. In hoc etiam loco cum fpecie veri praecipuam contingere in vafis putamus mutationem, cujus fequela et effectus faciei rubores et pallores funt, fi animi affectibus laboramus.

§. XXII.

Plexus circa ductum falivalem Stenonis.

Paucis modo verbis fpeciatim tangam nervorum circa ductum falivalem ludentium reticula, phaenomeno illo, tam fubito faepe aucti vel imminuti falivae proventus fi nervi afficiuntur, memorabilia facta.

Incipiunt jam nervorum filamentula ex ramo temporali et zygomatico provenientia ductum Stenonis amplecti, dum minores falivalis ductus furculi ex diverfis parotidis locis in communem truncum confluunt. Augentur plexuli illi filis ex rete nervofo elabentibus, quod arteriam transverfalem faciei, mox propius mox remotius a ductu falivali excurrentem cingit. Progreditur hoc rete cum ductu usque ad locum, ubi mufculum buccinatorem perforat, et in os aperitur. Ibidem enim cum enarratis nerveorum filorum reticulis ex profundiore loco accedentes irretiuntur furculi mediantibus ramo mafleterico et buccinatorio ex ramo tertio quinti orti, quorum fila partim mufculum buccinatorem petunt, partim ftrictiffime ductus falivalis tunicis adhaerent, et in illis finiuntur.

§. XXIII.

Generalia de nervis cardiacis.

Cum jam limites commentationi academicae, ne in volumen accrefcat praefcripti, vix permittant, eo ordine quo hucusque ufus fum, etiam magnos nervos *octavum* et *intercoftalem* per magnum quem abfolvunt campum in vaforum amplexu perfequi, quod proxima commentatione, quae hiftoriae nervorum vifcerum abdominalium alteram partem comprehendet, peracturus fum, nunc unicam tantum particulam, *nervorum* nempe *cardiacorum*, ceu ramorum ex unione utriusque vagi nempe et interco-

ſtalis ortorum, ad vaſa relationem reſpicientium cum publico communicabo. Idque eo minus ab inſtituti mei ratione alienum eſſe arbitror, quod novas quasdam contineat obſervationes, ad conſtituendam et in clariorem lucem ponendam difficillimorum nervorum hiſtoriam idoneas.

Quod repraeſentationem plexus cardiaci maximi cum difficilem, tum dubiam, naturae minime reſpondentem, quin falſam et erroneam reddit, ſunt numeroſiſſima *vaſa lymphatica* glandulis lymphaticis ſeu conglobatis et arteriis remixta, plexum inſignem vaſorum lymphaticorum cardiacorum formantia, et tandem partim venae thyroideae mediae et principio venae cavae ſuperioris inſerta, partem verſus ductum thoracicum migrantia. Oriuntur enim in baſeos cordis univerſo ambitu, praecipue in regione coaleſcentium ſinuum copioſi vaſorum lymphaticorum ſurculi, qui in intervallo venae cavae ſuperioris, arteriae aortae et tracheae, cum jam plures ramuli in glandulas conglobatas confluxiſſent, non mediocrem plexum formant. Facile inciſor in cognoſcendis vaſis lymphaticis inexercitatus in errorem incidere poteſt, ut vacua et contorta vaſcula abſorbentia pro nerveis filis habuerit, dubia inde in figuris exhibita retia enata eſſe videntur.

§. XXIV.

Nervi vaſa cordis amplectentes.

Cordi, viſcerum vitalium fere principi, multos naturam nervos impertiviſſe, facile erat aſſertu, ſi perennem hujus partis motum a primis foetuum incunabulis ad extremum vitae halitum durantem, actionem ejus minime in ſanis animantibus interruptam, vigorem, efficaciam, fortitudinemque, qua maſſam ſanguinis propellit, languentem fulcit et ſuſtinet, ceſſantemque ſaepe reſtaurat, conſideraveris [1]).

Quamvis equidem noſtri temporis induſtria, Halleri vel Anderschii [2]), et Neubaueri [3]) indagandi cupidine incenſa, neglectum Loweri [4]), Lancisii [5]) hos nervos deſcribendi depingendique ſtudium et laborem, a Vieussenio [6]) et Willisio [7]) paullo meliorem factum, correxerit, multum tamen abeſt, omnem hanc diſquiſitionem plane abſolutam, luceque meridiana clariorem redditam eſſe, ut nihil partim nervorum cardiacorum enodationi in genere, partim eorundem per varias cordis partes diſtributioni addi poſſit. Quid quod, ipſa nervorum cardiacorum quantitas minime ita comparata eſt, ut ex eorum in fibras cordis muſculares ipſas diſperſione, ad ſuſtinen-

1) Cum his igitur conferri debent quae habet Behrends in diſſ. ſupra imp. hor. ſcript. nevr. minor. T. III. p. 1. L.

2) *Deſcriptio anatomica nervorum cordis*, nondum promulgata, vel vero quoad picturam, Alberti de Haller *ad figuram nervorum cordis divinatio in Comm. Soc. Goett. T. II.* — nunc vero una cum tabulis edita in Script. hor. nevr. minor. T. II. p. 113. et Tab. V. et V. A. L.

3) *Deſcriptio nervor. cardiacorum. Jenae* 1772. 4.

4) *Tractatus de Corde. Amſterd.* 1669. *p.* 15 *ſeq.*

5) *De motu cordis et anevryſmatibus. Lugd. Bat.* 1740. 4. *Tab. VII.*

6) *Nevrographia univerſalis. Lugd.* 1685. *fol. Tab.* 33.

7) *Cerebri nervorumque anatome. Genevae* 1680. 4. *Tab. IX.*

fuſtinendum tam fortem conſtantemque motum ſufficiat, cui vividiſſima hujus viſceris irritabilitas ſuccurrere omnino debuit. Pro hac nervorum cordis paucitate ac tenuitate, magna adhuc illorum pars cordi ipſi eripitur, vaſisque *illius* impenditur. Paucis itaque obſervationibus de plexubus nervorum cardiacorum in genere ab aliis, ANDERSCHIO praecipue et NEUBAUERO cum publico communicatis, quae ortum nervi cardiaci magni concernunt praemiſſis, ſubnectemus proprias noſtras novasque cum de *maximo nervo cardicaco ganglio longiuſculo praedito*, tum de nervulis ex plexubus cardiacis vaſa cordis amplectentibus obſervationes.

§. XXV.

De magno nervo cardiaco dextri lateris ganglio longitudinali inſtructo.

Ex iis, quae de nervorum cardiacorum ortu, ſitu, numero, figura, magnitudine et habitu, tam ex figuris publici iuris factis, quam ex deſcriptione adjecta collegimus, patet, neminem omnium magni hujus cardiaci nervei ganglio praediti quem *trunci* inſtar conſiderare poſſumus, talem in modum mentionem feciſſe, qualem mea adumbratio cum verbis tum icone repraeſentat, et qualem quilibet rei cupidus inter mea praeparata cernere poteſt, quare absque ulla arrogantia et inclareſcendi pruritu eum *novum* appellari debere exiſtimo. Non ſimplicem varietatem, rariſſime inter plura cadavera unico tantum exemplo occurrentem eſſe, repetitae meae in novem corporibus humanis inſtitutae obſervationes teſtantur, quorum ſex ſimilem oſtenderunt fabricam, conformationem, figuram, ſitum, magnitudinem aliaque: in tribus tantum tam nervi ipſi quam ejusdem ganglion erant teneriores, et uti a NEUBAUERO deſcripti ſunt. Ad faciliorem nervi hujus cardiaci maximi et ganglii eidem proprii diſquiſitionem inſtituendam, et ſitum ejusdem ſecurius et certius inveniendum, cor a pericardio nudum, e dextris verſus ſiniſtra reclinandum, vena azyga cum vena cava ſuperiore vel deſcendente quantum fieri poteſt in ſiniſtrum latus dirigenda, aſpera vero arteria fortiter verſus dextram thoracis regionem ducenda; hoc modo enaſcitur cavum oblongum, cujus *inferiorem* marginem formant ramus arteriae venaeque pulmonalis, *ſiniſtrum* vena cava ſuperior cum reflexa azygos vena, *dextrum* ſiniſter ramus bronchiorum cum integra aſperae arteriae parte inferiore, *ſuperiorem* truncus communis pro arteria carotide et ſubclavia dextra ſ. anonyma vel arteria prima, et vena ſubclavia, in fundo autem hujus foveae cernimus ſuperficiem poſteriorem arcus aortae ubi arteria prima illa egreditur.

In hac deſcripta cavitate, ſi debita encheireſi, cautela et adminiſtratione vaſorum lymphaticorum plexus et glandulae, celluloſa et adipis particulae remotae fuerunt, intueri poſſumus inſignem hunc nervum ad totam longitudinem in fundo cavitatis ſ. foveae ſuper arcus arteriae aortae planum poſterius verſus cor deſcendere, et in media aortae parte in ganglion ſuum oblongiuſculum intumeſcere.

 §. XXVI.

§. XXVI.

Ortus hujus magni nervi cardiaci.

Primam eandemque maximam repetit originem *nervus cardiacus maximus* ex crassissimo nervi intercostalis filamento, quod ex ganglio cervicali superiore trunci continuationem format, et super musculo colli longo descendit. Exit nempe ex hoc nervi intercostalis trunco in regione media carotidis cerebralis filamentum nerveum insigne ipso trunco tamen minus, et paullo magis in interiore colli superficie pone carotidem communem descendit, antequam fere locum attigerit, ubi arteria thyreoidea inferior sub carotide transit, nervea radix haec finditur, et paullo post denuo cum altero ramo coit insulam constituens, in cujus ramum alterum interiorem inseritur tenerius filamentum ex plexu magno, quem ramuli intercostalis, octavi nonique paris ad exterius pharyngis latus formaverant, alter autem hujus fissae radicis ramus exterior exiguum surculum ex trunco intercostalis ipso nanciscitur, nactusque hoc duplex augmentum in elegans sed parvum gangliolum intumescit, in plerisque cadaveribus arteriae thyreoideae inferiori insidens, quod etiam in aliis mox supra mox infra eandem inveni. Ex tenello ganglio quinque surculi plerumque solent exire, duo exigui in tunicas carotidis, tertius major et satis insignis ad recurrentem, quartus pariter memorabilis in thoracem descendit, et inter arteriam anonymam s. primam et venam thyreoideam infimam nervus cardiacus superficialis fit, quintus vero, omnium maximus, ulterius descendendo progreditur, et in angulo, quem carotis et subclavia dextra includunt, alteram eandemque crassissimam radicem, ex trunco intercostalis provenientem, secum jungit. Ut alteram nervi cardiaci maximi radicem melius cognoscamus, ratio habenda est progressus nervi intercostalis usque ad ansam subclavialem.

Edita magna illa radice cardiaci, quam primam appellavi, truncus nervi intercostalis versus thyreoideam inferiorem progreditur, in quo itinere unicum surculum, quem tertiam radicem nominavi, cardiaco dedit, super thyreoideam incedit, eandemque exigua ansa amplectitur, quam format novum filamentum ex nervo cervicali sexto accedens, cujus maxima portio cum alio filamento, ex septimo cervicalium proveniente, gangliolum efficit, ex quo deinceps duo filamenta cum trunco intercostalis ipso, et alio filamento a septimo cervicalium emergente, in ganglion *cervicale medium* abeunt, thyreoideae inferiori adsidens. Prodeunt ex ganglio cervicali medio, quod plerumque inter omnia cervicis ganglia minimum esse solet, in fere omnibus quae examinavi subjectis, tres nervi: *primus* idemque exterior, truncum ipsum intercostalis continuans, super arteriam subclaviam dextram se conjicit, ansam subclavialem format, et in ganglion cervicale infimum transit; *secundus*, *qui* medius est, et omnium minimus, fit cardiacus superficialis, *tertius* interior maximus, trunci nomine dignior quam primus, radicem nervi cardiaci nostri constituit.

§. XXVII.

Descriptio nervi cardiaci maximi et ganglii ejusdem.

Magna haec radix, derelicto ganglio, insignem ramulum ex nervulis cervicalibus superius descriptis, qui parvum gangliolum formaverant, sibi insertum accipit, duo

duo etiam filamenta retro subclaviam in ganglion cervicale et canalem vertebralem abeuntia emittit, mutataque directione, nunc interiora magis petit, ubi in angulo, quem carotis et subclavia cum arteria prima includunt, trunculum ex prioribus radicibus enatum secum jungit. Ex hac conjunctione nervus cardiacus ad eandem increvit crassitiem et magnitudinem, quin fere majorem, quam nervus recurrens dextri lateris habet. Sub carotide dextra nervus cardiacus nunc absconditur, ante recurrentem dextrum incedens arteriae primae appressus est. In ipso hoc profundiore retro arteriam primam situ, nova insignis, ex unito ramo qui ex octavo et nono provenit, radix accedit ad cardiacum: ex ganglio tunc cervicali infimo, arteriam vertebralem arctissime amplectente, abscedit ramus non mediocris magnitudinis, sequitur vertebralem usque ad originem ejus ex subclavia, firmiter eidem appressus, ex trunco cardiaci nervi ipso duo rami transversaliter illi inferuntur, ut vertebralem arteriam plexus in modum cingant et amplectantur, junctis dein his nervulis ramus ipse insignis sub angulo acuto ad ortum arteriae subclaviae ex prima, cum trunco cardiaci nervi conjungitur. Truncus cardiaci in ulteriore versus cor progressu integrum rete ex tribus quin quinque filamentis a recurrente dextro ortum, binis radicibus sibi adsociat. Quo facto nunc tandem ex omnibus radicibus conflatus integer nervi cardiaci truncus profundius in thoracem demergitur, et planum posterius aortae in cavitate superius descripta attingit.

§. XXVIII.

Descriptionis continuatio.

Ab ultimae radicis in cardiacum magnum insertione, usque ad novam in minores ramos divisione, truncus nervi cardiaci maximi ad duorum pollicum et ultra longitudinem laevis et aequalis incedit. Iam ab illo loco, ubi ultimam radicem ex recurrente accepit, intumescere incipit, ganglion novum formaturus: imperceptibiliter intumescentia augetur, donec crassissimo et latissimo loco lineae latitudinem et dimidiae crassitiem attigerit.

§. XXIX.

Nervi cardiaci in ramos distributio.

Ex oblonga hac gangliformi nervi intumescentia divisio nervi cardiaci in plures ramos contingit, qui omnes in intervallo inter aortae planum posterius, venarum cavarum et pulmonarium sinus, ramum arteriae pulmonaris dextrum et bronchum, cor petunt sequenti ratione.

Primus ramus, omnium maxime *anterior*, cum directio totius nervi cardiaci maximi cum sua intumescentia gangliformi a dextris versus sinistra, in intervallum inter aortam et pulmonarem procedat, in isto intervallo ramo arteriae pulmonaris dextrae incumbit.

Mox post factam a trunco separationem, tenuem emittit surculum, cum parvis aliis ex nervis cardiacis minoribus plexus posterioris provenientibus irretitum, et per

 posteriorem

posteriorem arteriae pulmonaris dextrae superficiem tam in tunicas arteriae, quam in bronchum vicinum distributum:

Inclinat dein rami hujus primi truncus versus sinistrum arteriae aortae latus, ubi pulmonarem dextram tangit, et copiosa tela cellulosa laxiori involutus, quae in plerisque subjectis adipe repletur, versus ortum arteriae aortae, ubi ex ventriculo aortico prodit, decurrit. Ibidem circa principium arteriae coronariae sinistrae et posterioris in plures ramos dehiscit, alii eorum tunicis aortae implantantur, alii iidemque copiosissimi in egregios plexus mutati, cum arteria coronaria dicta per omnem cordis substantiam, cui haec arteria prospicit, distribuuntur.

Secundus ramus parvus, arteriam pulmonarem dextram petit, et in tunicis ejusdem manet.

Tertius ramus, etiam minoris voluminis, per superficiem posteriorem arteriae aortae in tunicis dispergitur.

Quartus ramus, seu continuatio trunci nervi cardiaci maximi, statim in plures ramos fissus, per dictum inter aortam et pulmonarem arteriam intervallum, versus anterius aortae planum excurrit, et late super illam exspatiatur: Praecipui et validissimi illius rami circa arteriam coronariam dextram seu anteriorem in similes elegantes plexus mutantur, uti de ramo primo respectu alterius coronariae dictum est, et cum ramificationes hujus arteriae sequantur, mediantibus illis vasorum ramis per alteram cordis dimidiam late disperguntur.

§. XXX.

Plexus circa arteriam vertebralem.

Coronidis loco adhuc, donec paratas meas et absolutas observationes de nervorum vasa cingentium in reliquis corporis partibus amplexibus publici juris faciam, insigne vas paucis attingere volo, quod in excitandis animi affectuum sequelis, inter praecipua et efficacissima pertinet, nempe *arteriam vertebralem.* Duo praeprimis loca sunt, ubi non mediocres nervorum rami illam amplectuntur; *Par primum nervorum cervicalium* Aschii, *et ansae nervi intercostalis* in regione ganglii cervicalis infimi, in loco igitur ingressus et egressus, ubi arteria vertebralis canalem vertebralem petit.

De inferiore loco primum dicturus.

Arteriam vertebralem subclavia egredientem varii insignes nervi amplectuntur, antequam canalem suum osseum attingit. a) Continuatio nervi intercostalis ex ganglio cervicali medio, ansae instar circa arteriam subclaviam recurva, et in ganglion cervicale infimum abiens: b) c) d) tres fasciculi fortes ex ganglio cervicali infimo, et cum surculis ex recurrente in plexum cardiacum magnum consumti: e) f) duo minores rami ex ganglio in intervallum quod subclaviae et vertebrali intercedit: g) h) i) tria crassa filamenta ex pari septimo et octavo cervicalium, et primo dorsalium, ad augendum et amplificandum ganglion cervicale infimum consumta:

Ex omnibus his nervorum ramis circa ingressum arteriae vertebralis in suum canalem sitis, partim ex uno partim ex altero, semper autem ex tribus vel quatuor eorundem,

dem, multi nervorum fasciculi super arteriam sparguntur, quorum irretitae inter se complicationes in aperto canale facile cerni possunt.

Alteram nervi memorabilis cum arteria vertebrali copulam perficit, paris primi nervorum cervicalium ill. ASCHII truncus [1]). Arteria nempe ex foramine processus transversalis atlantis emergente, et inter occiput et primam vertebram versus foramen magnum occipitis properante, integri paris ASCHII truncus dura matre medullae spinalis egressus, posteriori arteriae vertebralis superficiei arctissime incumbit, et, latae fasciae instar, super dimidiam superficiei partem arcuatae arteriae expanditur: Ex ipso jam divisionis loco, ubi par primum in varios ab ill. ASCHIO enarratos ramos dehiscit, tres vel quatuor tenelli fasciculi per arteriae vertebralis tunicas sparguntur, et cum eadem foramen occipitale ingrediuntur, ut saepe albicantia nervorum fila in arteria basilari distinguere potuerim.

Si cum his arteriae vertebralis fasciculis comparare volumus, quae carotidi cerebrali, per canalem suum progredienti, ex intercostali, ejusdemque praecipue ganglio cervicali supremo impertiuntur nervulorum propagines, nervorum in has cerebri primarias arterias imperium minime in dubium vocari potest.

1) Elegantissimam et accuratissimam hujus paris cum descriptionem tum picturam exhibuit Vir summus in Diss. anat. *de Primo pare nervorum medullae spinalis*. *Goett.* 1750. (hor. script. nevr. min. T. I. p. 310.)

III. HENR.

III.
HENR. AUG. WRISBERG
DE
NERVIS PHARYNGIS.

§. I.
Utilitas et necessitas disquisitionis subtilioris nervorum pharyngis.

Nervorum pharyngis novas traditurus observationes, facile ab iis assensum me impetraturum fore arbitror, qui cum dignitatem quin necessitatem hujus disquisitionis perpendunt, tum accuratam, concinnam et completam illius nevrologiae partis explanationem in scriptis anatomicorum et physiologorum frustra quaerunt. Observantes enim attenta mente deglutitionis rationem, admirabuntur, quanta nempe, imo saepe incredibili, velocitate omnia, sive solida sive fluida fuerint ori ingesta, tam regulariter in oesophagum promoventur, ut nisi musculorum actio ab alia superveniente causa, ut tussi, risu, fletu, voce, sternutatione etc. turbetur, mirabili ordine succedat.

Non sine justa autem misericordia homines intueri possumus, qui labefactata ex qualicunque causa, sive corpus peregrinum faucibus impactum haereat, sive ex vulnere quodam externo unus alterve pharyngis nervus affectus fuerit, deglutiendi difficultate laborant, quanta torqueantur anxietate, quantum dolorem patiantur, donec remoto impedimento partium libertas restituta est. Similem angorem et inquietudinem in omni anginarum specie observamus, praecipue autem in angina tonsillari.

Omnem tandem superant fidem horrenda illa sub spastico hydrophobiae stadio, sive morsu animantis rabidi contaminatus homo fuerit, sive febre acuta maligna et phrenitide laboret, oborta symptomata, anginoideis, si tantum horrorem aquae excipias, cum acutis tum chronicis admodum similia. Haec cum in variis hominibus, praecipue hypochondriacae atque hystericae naturae, nervosis itaque affectibus et quodammodo tumultibus quam maxime pronis, si in febres malignas et phrenitides incidunt, probabiliter analogiam quandam habent cum notis illis colli, pharyngis laryngisque spasticis doloribus, qui in febribus malignis, itidem minori in gradu in anginae quibusdam speciebus, uti nuper in juvene hypochondriaco aegroto expertus sum, deliriorum prodromi esse solent. Propter illam hydrophobiae et quibusdam anginis familiarem summam pharyngis stricturam, dolorem ardoremque, non modo excusandus est Josephus ab Aromatariis cum Boerhaavio illi assensum praebente, si rabiem caninam anginoideam faucium inflammationem esse dixerit, sed etiam, non ob-

stante

ſtante ſectione cadaverum, et egregio vomitoriorum in hoc morbo rabioſo uſu, ſatis refutatus nondum eſt.

Si ultimo denique loco abominabile hydrophobiae proprium ſymptoma perpendimus, aegros, licet ſummo potus deſiderio flagrent, ſi gutta tantum aquae linguae partem tetigerit, horrendas illas pharyngis ſtricturas oriri, ex conſenſu vagi et acceſſorii truculentas illas cardialgias et tormina produci, et ex ſympathia nervorum faucium, pharyngis, reliquique corporis, univerſam machinam convelli, de utilitate et neceſſitate ſubtilioris nervorum pharyngis diſquiſitionis et indaginis perſuaſi eſſe poterimus.

Nevrologiae ſtudium et cognitio etiam hic multum ad illuſtrationem et comparationem mali truculentiſſimi confert, neque vel hoc nomine, quae a quibusdam ignavis hominibus dicuntur vulgo anatomicae ſubtilitates, decet per ignorantiam contemnere, cum nullibi haec ſubtilia ſatis ſint, quae lucem qualemcunque praecludant.

Cum primae huic canalis primarum viarum parti, quam pharyngem appellamus, ex tribus fontibus nervi ſuppeditentur, ex *pari quinto, octavo*, et *intercoſtali*, in tria itaque capita commode diſpeſci poteſt, quod obſervationes et experientia me docuerunt.

CAPUT I.

DE NERVIS PHARYNGIS EX QUINTO PARE ORTIS.

§. II.

Generaliores de nervis pharyngaeis ex quinto pare ortis obſervationes.

Licet haec prima canalis primarum viarum pars, *pharynx* dicta, praecipuos ſuos nervos ex octavo, ſeu potius illius portione, *gloſſopharyngaeo* nanciſcatur, ſunt tamen omnino in *parte pharyngis ſuperiore*, a nobis *palatina* [1]) nuncupata, minime contemnendi nervorum faſciculi, qui originem ex quinto pare petunt. Referimus huc praecipue, a) ſurculos ex *ramo vidiano* rami ſecundi, b) ramulos *nervi palatini* ejusdem fontis, c) ramulum *pharyngaeum* rami tertii, qui in multis ſubjectis, niſi id jam a *nervo palato-pharyngaeo* factum fuerit, cum ramo retroflexo ex gloſſopharyngaeo tradito in unionem abire ſolet.

§. III.

1) Ut in ampla pharyngis regione ramulorum nerveorum diſtributio accuratius determinari poſſit, in tres partes illam diſpeſcere convenit, *palatinam*, *tonſillarem*, et *laryngaeam*. Reſpondent ſatis bene receptae diſtinctioni muſculorum pharyngis in conſtrictorem ſuperiorem, medium et inferiorem. Quemadmodum vero poſt elegantes clar. GAUTIER *Myologie complete en couleur. Paris* 1746. *fol. max. Tab. IX.* beati ALBINI *Tabulae Sceleti et muſculor. corp. hum. Lugd. Bat.* 1747 *fol. max. Tab. X.* J. B ** *Traité de la cephalotomie. à Avignon* 1748. 4. *Tab.* 15. SANTORINI *Septendecim Tabulae. Parmae* 1773. 4. *Tab. VI*, figuras vix quidquam magni momenti de hac parte pingi poteſt, ita egregia ill. HAASE *deſcriptio in Myotomiae ſpecimine de muſculis pharyngis et veli palatini.* Lipſ. 1784. omnia exhauſit.

§. III.

Nervi pharyngis ex Vidiano.

Primam omnium pharyngis nervorum originem procul dubio formant, tenelli illi fasciculi, qui ex *nervo vidiano* in ipso canale [*]), numero inconstante, cum duos, tres, modo unum viderim, musculos ingrediuntur a tuba eustachiana et alis pterygoideis ortos, sub nomine salpingopharyngaei et pterygo-pharyngaei, cum cephalopharyngaeo altissimam crassae illius tunicae muscularis quae pharyngem format partem petentes, quam regionem pharyngis palatinam brevitatis causa appellamus. Propter duriorem hujus regionis naturam, cartilagini fere similem, praeparatio horum nervulorum admodum difficilis est: conabimur vero aliqualem descriptionem exhibere.

Nervus vidianus, quem b. MECKELIUS tam egregie repraesentavit in suo canale, magnum nervulorum fasciculum caudae equinae instar format, arteriam venamque vidianam includentem, qui minimis surculis, arteriolis ciliaribus similibus modo teneribus, circa nervum ejusque surculos ludunt: Uti nunc ex nervo vidiano plures surculi cum ad nares, tum ad aquaeductum Fallopii nervum durum continentem, et ad canalem caroticum ablegantur, ita cum ramulis vasorum vidianorum aliquot tenella filamenta paullo post quam rami *nasales superiores posteriores Meckelii* ad vomerem et tubae Eustachii aperturam exierunt, ex eodem principium pharyngis ab osse occipitis etc. proveniens ingrediuntur. Difficile omnino est in crassa et fere cartilaginea substantia qua pharyngis initium cum osse occipitis, petroso et tuba Eustachiana nectitur, exiles et molles nervulos praeparare. In subjectis autem, in quibus vasorum repletio cum in arteriis rubra, tum in venis coerulea materia bene successit, si examen instituitur, prouti in duobus ego feci, elegantes anastomoses cernere possumus, quas tenera haec vasa propter repletionem vero visibilia et discernenda, cum ramis vasorum palatinorum formant. Procedunt deinceps cum musculorum fasciculis a tuba Eustachiana sub nomine salpingo-pharyngaei in pharyngem inserti, ad eundem saccum, et imperceptibili tenuitate distribuuntur.

§. IV.

Nervi pharyngis ex ramo palatino quinti secundo, et ex ramo tertio quinti.

Harmonia, et conspirans actio functioque palati et pharyngis ex illa quoque elucescit anatomica observatione, quod superiori pharyngis principio, ex uno eodemque insigni rami secundi paris quinti, qui respectu praecipuarum palati partium, quibus prospicit, summo jure *nervus palatinus* appellatur, surculos nerveos non mediocres obtineat.

Ex ramo nempe palatino posteriore, seu minore, qui uvulae, velo palatino pendulo, itidemque tonsillarum vicinitati, uti etiam *ex nervo palatino exteriore* [1]), quem commode *palato-pharyngaeum* appellare possumus, duo vel tres fasciculi ablegantur ad

*) Secessum horum ramorum bene expressit ill. SCARPA *Anat. ann. Lib. II. Tab. II. Fig. II.* 10.

1) Eleganter repraesentati apud ill. SCARPA *T. II. Fig. II.* 25. 32.

ad pharyngis partem palatinam, qui per carnes ejusdem diſtributi, in nonnullis ſubjectis occurrunt aliis ſurculis ex ramis gloſſopharyngaei retrocedentibus verſus ſuperiora, ut una, cum vaſorum plexu, cum his nervulis in copulam abeunt.

Tertius tandem fons, ex quo pharyngis parti palatinae ramuli nervei ſubminiſtrantur, eſt ramus tertius quinti paris ipſe; in verticaliter diſſecto capite, par quintum a parte interna perquiſivi, removebam itaque omnem poſteriorem ſ. internam partem oſſis petroſi, corporisque ſphenoidei, diſſecui tubam Euſtachianam et omnes ibidem jacentes muſculos cum velo palatino, palato ipſo, lingua etc. removi, relictus manſit muſculus pterygoideus. Iam vidi duo tenuiſſima filamenta nervea trunco rami tertii exire, quorum alter ſuper muſculos pterygoideos oblique verſus os et velum palatinum progreditur, alter autem verſus poſteriora inclinans per duriores altiſſimi pharyngis carnes diſpergitur, cum hujus ramis denuo anaſtomoſes fiunt cum ramis recurrentibus ex gloſſopharyngaeo. Mihi non omnino improbabile eſſe videtur, hanc forſan nervorum copulam inſignivisſe ill. Cotunni, cujus mentionem fecit ill. et exoptatiſſ. Martin [2]), licet ego nec unionem cum ſeptimo pare, nec peculiare gangliolum in illo invenire potuerim.

CAPUT II.

DE NERVIS PHARYNGIS EX OCTAVO PARE.

§. V.

De integra octavi paris nervorum ſerie generaliores obſervationes.

Dudum jam procul dubio oportuiſſet inciſores antiquum dimittere errorem, tres, in tam multis attributis diverſas nervorum ſeries, quae recte monente Santorino [1]) incongrue faſces nominantur, ſub uno eodemque *octavi* vel *vagi* paris nomine comprehendere. Res vero ſemper eodem in ſtatu manſit, donec beatus Andersch, et ſecundum mentem meam egregius olim diſcipulus meus celeb. Soemmerring [2]), ramum *gloſſopharyngaeum* ab octavo ſeparare inceperint. Id mihi a primis temporibus, quo auditoribus meis fabricam corporis humani oſtendere et illuſtrare debui, naturae convenientius viſum eſt, cum *nervo gloſſopharyngaeo*, alteram nervorum claſſem inchoare, et medullae *par primum* nuncupare, cujus *alterum* deinceps ipſe nervi truncus ſit, et *tertium* par linguale medium vulgo nonum dictum, quae tria paria, primum univerſae medullae nempe *medullae oblongatae* nervorum ordinem componunt; alter dein ordo continet *nervos cervicales* quorum principium eſt notiſſimum par primum ill. Aschii.

§. VI.

Exitus octavi paris.

Omnes tres faſciculi, vel potius ſeries, nempe *Gloſſopharyngaeus*, *Vagus* et *Acceſſorius*, qui juncti juxta receptum loquendi uſum integrum *octavi paris* truncum

 compo-

2) *Inſtitution. Nevrologicae. Part II. p.* 36.

1) *Tabulae Septendec. p.* 26.

2) *Diſſ. de baſi encephali. p.* 159. (hor. ſcript. nevr. min. Tom. II.)

componunt, intrant ſinum illum oſſeum, inter partem petroſam oſſis temporum et os occipitis medium, vel cum vena jugulari communem, vel uti ſaepiſſime fit, lingula oſſea a foſſa jugulari ſeparatum.

Profundum quaſi illud ahenum, ſatis accurate ſub foramine meatus auditorii interni, quem auditorius nervus cum communicante faciei intrat, ſitum eſt, aliquot lineas ſaltem inferius, magnitudinis fere ejusdem. Laxa quadam arachnoideae continuatione in patina vel aheno dura matre obducto, cinguntur, ad exitum vero ſeſe accingentes, hi tres nervi in ipſa hac fovea ſeparantur, et tribus in dura matre fabrefactis canalibus, qui ſaepe etiam in oſſibus ſeorſim parati ſunt cavitate cranii egrediuntur. Melius hoc ſane cerni nequit, quam ſi bini ſuperiores faſciculi, *gloſſopharyngaeus* inquam et *vagus* ab interioribus verſus exteriora reclinantur, nitidiſſime enim ſub hac encheireſi oblongum et horizontaliter directum canalem ſuperiorem, quem *gloſſopharyngaeus* ingreditur, medium eundemque maximum pro *vago* magis verticaliter deſcendentem, et tertium inferiorem pro *acceſſorio*, ab initio leni acclivique quodammodo aſcenſu, deinceps declivi deſcenſu directum cernere poſſumus. Quemlibet autem nunc jam ſeorſim conſiderabimus.

SECTIO I.

DE NERVIS PHARYNGIS EX GLOSSOPHARYNGAEO.

§. VII.

Progreſſus gloſſopharyngaei, gangliolum petroſum et diviſio ejusdem.

Primus eorum *Gloſſopharyngaeus* recte appellatus, ex 4 5 etiam 6 minoribus faſciculis nerveis coalitus, per canalem ſuum in dura matre factum deſcendens, intra calvariam nullum amplius habet cum vago commercium, ſi apperturam ſui canalis ſemel ingreſſus eſt. Cum pone parietem poſteriorem et inferiorem cavitatis tympani verſus inferiora progrediatur, facile ſuſpicari poſſumus, anne filamentulum communicans cum nervis auditoriis adeſſet [1]); nihil vero deprehendi, quod ullo modo huic opinioni anſam dare poſſet, id tamen minime infrequens eſt, in ipſo canale filamentum abire, quod principio ſtatim muſculorum a ſtiliformi proceſſu orientium impertitur.

Proxime adjacet nervus in *ganglion petroſum* intumeſcens lateri anteriori venae jugularis internae, cui etiam unum alterumque tenuem ſurculum in multis ſubjectis exhibuiſſe vidi. Si tenellorum illorum ſurculorum abientium plures adſunt, *gangliolum illud petroſum*, quod omnino ratione figurae oblongae ganglio cervicali ſuperiore ſimile eſt, non inter minima ganglia referri debet.

Truncus

1) Beat. ANDERSCH lib. cit. §. 3. p. 4. de ramo a cendente auris internae, et ganglio petroſo ex hoc nervo gloſſopharyngaeo (ipſi *octavo* nervo capitis) loquitur; fateri autem debeo me quidem tenerrima filamenta albicantia, ex canale membranaceo hujus nervi parieti auris internae adhaerentia vidiſſe, quae vero potius pro fibris durae matris, quam nervorum habenda eſſe arbitror. — cf. hor. ſcript. nevr. min. T. II. p. 115.

Truncus nervi *gloſſopharyngaei* per canalem ſuum cranio egreſſus in plerisque ſubjectis in quinque ramos praecipuos dehiſcit, quorum quatuor priores et minores, partim cum ramis ex vago, partim cum nervis mollibus ex intercoſtali, partim inter ſe diverſimode cohaerent, omnes autem per pharyngem diſtribuuntur, quintus idemque maximus, *lingualis* recte dictus, verſus linguae radicem procedit. Hanc diviſionis rationem in plus quam viginti cadaveribus annotavi: in 7 exemplis in tres ramos ſeceſſit, in 4 cadaveribus duos ramos aequalis magnitudinis vidi, unicum mihi tantum huc usque obvenit, in quo cum ramus lingualis jam altiore in loco in ramos ſuos muſculares, pharyngaeos et linguales diviſus eſſet, octo ramos majores aliquotque minores numerare potuerim, et ſub hac varietate vidi, ramulum unum vel alterum cum nervulis ex claſſe mollium copulatum, in plexum cardiacum deſcendiſſe, non abſolute conſtans eſſe puto, in omnibus hominibus altiſſimam nervorum cardiacorum originem ex gloſſopharyngaeo repetendam eſſe.

§. VIII.

Ramus communicans primus.

Primus conſtans et perpetuus ramus, etiam ratione magnitudinis ſua attentione et appellatione dignus eſt *communicans primus gloſſopharyngaei*, cum ramo pharyngaeo ex *vago* plerumque ex infima ganglii extremitate egreditur, et in variis ſubjectis ſurculum communicatorium, uti beatus Andersch illum appellat, in truncum vagi abire vidi: minimo vero conſtans eſt, nam in aliis cadaveribus humanis, etiam in cane, in quo animantium genere nervus gloſſopharyngaeus admodum grandis eſſe ſolet, illum ramulum non inveni. Craſſiuſculus quidem hic ramus eſt, ſed reliquis brevior, praeter tenerrimos binos ſurculos, cum nervis mollibus ex intercoſtali confluentes, recta via deſcendit ad latus exterius arteriae carotidis, et cum ramo pharyngaeo ex vago in latere exteriore hujus rami confluit, et notabile voluminis augmentum huic ramo affert, ex quo confluxus loco dein plures per pharyngem nervi diſtribuuntur, de quibus occaſione rami pharyngaei ex vago ſermo erit.

§. IX.

Secundus gloſſopharyngaei ramus muſcularis.

Secundus ramus *Muſcularis* a me dictus, quoniam praecipue ſtylohyoideo et biventri proſpicit, priori ratione magnitudinis ſimilis, ex eodem fere loco ortus, paullo magis verſus exteriora dirigitur. In molli et mucoſo cellulari contextu, qui muſculos a ſtyliformi proceſſu provenientes, cum carotide et vena jugulari nectit, a ramo communicante primo, quocum adhuc nectebatur, ſecedit, et verſus exteriora pauliſper decurrit, ſtatimque ramoſus fit; minorum ſurculorum alii pariter cum nervis mollibus junguntur, et reti vaſorum pharyngaeorum immixti, ſuperiorem pharyngis regionem attingunt, ibidemque finiuntur, et anaſtomoſes ſupra notatas efficiunt: maxima autem portio partim in muſculum ſtylohyoideum, partim in muſculum digaſtricum diſtri-

 buitur.

buitur. Interim tamen notandum eſt caſus occurrere, in quibus vel digaſtricus, vel ſtylohyoideus hunc ramum ſolus abſumit, frequentius vero per utrumque diſpergitur.

§. X.

Ramus communicans ſecundus.

Tertius ramus ſatis accurate iterum *communicans* idemque *ſecundus* cum ramo pharyngaeo ex vago appellari poteſt. Cum quarto ramo pari ratione aliquantulum cohaeret, uti primus et ſecundus ramus cohaeſerant. Excepto ramo *quinto* ſ. *linguali*, qui trunci gloſſopharyngaei uti continuatio ita et finis eſt, hic ramus tertius reliquos ramos magnitudine ſuperat. Paullo magis declivi deſcenſu verſus anteriora dirigitur, admodum inconſtans vero eſt ratione diviſionis, licet ſummam naturae conſtantiam reſpectu finis obſervaverim. In multis, et aſſerere auderem in plurimis ſubjectis, abs-que omni alio ramo edito verſus ramum pharyngaeum ſuperiorem ex vago properat, et in mediam hujus rami circiter partem paullo exterius in illum abit, illo praeciſe in loco, ubi ex eodem ramo pharyngaeo ſuperiore praecipuus ramus pharyngaeus inferior ſeu radix ejusdem exit. In aliis duo, tres, quin quatuor parvi ſurculi abeunt, et pharyngis regionem tonſillarem attingunt, factis nonnullis anaſtomoſibus cum proprio *ramo tonſillari* ſeu quarto ex trunco gloſſopharyngaei: et editis his ſurculis deinceps cum ramo pharyngaeo ſuperiore ex vago, uti ſuperius dictum eſt, coaleſcit.

§. XI.

Ramus tonſillaris.

Quartus ramus conſtans quidem, ſed omnium minimus, ſatis convenienter *tonſillaris* dicitur, cum praecipue vel ſolus, vel cum aliis remixtus, ambitum pharyngis tonſillarem petat. Emiſſis aliquot exiguis ſurculis in muſculum ſtylopharyngaeum, ramus ipſe verſus ramum pharyngaeum ſuperiorem ex vago inclinat, et in binos ramos dehiſcit, *alter minor* revera ramo pharyngaeo inſeritur, ſeu potius nacta ex ramo pharyngaeo ſuperiore, ejusdemque ganglio radice, in alium ramum *tonſillarem interiorem* increſcit, et dum retro venam pharyngaeam ejusque ramos tonſillares incedit, cum alter major ramus tonſillaris exterius ante venam proceſſerit, in plures ramulos inconſtantis numeri dividitur, qui omnes in pharyngis regionem tonſillarem diſtribuuntur. Egregium ſane ſpectaculum eſt, frequentes illas anaſtomoſes intueri, quas hi ramuli, reti venoſo pharyngo-tonſillari impliciti, partim cum ramo tonſillari exteriore, partim cum ramulis recurvis, ex ramo pharyngaeo ſuperiori vagi verſus anteriorem pharyngis regionem aſcendentibus formant. *Alter* ramus *major tonſillaris* proprie dictus exterior inter muſculum ſtylopharyngaeum et rete venarum pharyngo-tonſillarium in exteriore latere decurrit, et ubi venam tonſillarem magnam tangit, cum ſurculo ex tonſillari ramo minore et interiore elegantem anſam format, qua ipſam venam amplectitur et fulcit. Nunc ſtatim multi ramuſculi exeunt in regione tonſillari pharyngis, cum ſurculis ſuperius deſcriptis uniti, et multiplicibus anſis et anaſtomoſibus cum venis irretiti,

irretiti, maximus horum ramorum paullo magis a regione tonfillari deflectit, et per fibras tunicae mufcularis pharyngis repetitis divifionibus fparguntur, quae fub nomine gloffopharyngaei, hyopharyngaei etc. notae funt. Infinitis ibidem cohaeret anaftomofibus cum ramulis ex pharyngaeo fuperiore vagi factis *).

Copiofis illis nervorum cum vafis fanguiferis copulationibus, et in genere magno nervulorum per tonfillarem pharyngis regionem diftributorum numero, vehementia dolorum et fymptomatum, fi hae partes affectae funt, adfcribenda eft.

§. XII.
Ramus gloffopharyngaei lingualis.

Quintus ramus, ratione partis cui profpicit, *lingualis* commode dictus, eft vera trunci continuatio et finis, quatuor prioribus ramis longe major. Exeunt ramo, antequam ductu mufculi ftylopharyngaei verfus pharyngis regionem tonfillarem et linguae radicem progreditur, tres, interdum plures parvi et exiles furculi in pharyngis partem palatinam, ibidemque diftinctis anaftomofibus cum ramulis rami defcendentis duri, fubcutaneis rami tertii quinti, et cum furculis fubcutaneis ex plexu cervicali coeunt.

Dein cum mufculo ftylopharyngaeo pharyngem et linguam attingit: in eo itinere duo exiles fed conftantes, furculi mufculum quodammodo includentes, trunco exeunt, qui per pharyngis regionem tonfillarem diftribuuntur, et cum tonfillaribus nervulis antea defcriptis multiplici ratione uniuntur. Nunc demergit fe truncus ipfe in carnes mufculi ftylopharyngaei, et in fiffura, quae mufculum in duas portiones dividit, verfus linguae radicem excurrit, et in plures ramulos incerti numeri difpefcitur, plerumque fex numeravi, quorum duo majores et parvus, pharyngis illi tonfillari parti impertiuntur, quae fuper epiglottidem eft: minimis filis ad interiorem tunicam porriguntur, et cum tonfillaribus, et pharyngaeis fuperioribus ex vago, multifarie communicant. Duo majores vero, qui faepe tertium minorem furculum medium, ex uno alterove majore faepe orientem includunt, foli linguam petunt. Natura ipfa duce hi duo rami linguales a fe invicem diftinguuntur.

Alter nempe *minor* et fuperior commode *fublimis* et *fuperficialis* nominandus optime ab ill. Monro [1]) icone repraefentatus. Denominationi decurfus ratio perfecte refpondet, nam inter linguae integumenta, et partem mufcularem lateraliter et fuperficialiter incedit, in multos furculos divifus, quorum validiores pofteriores, cum nervulis tonfillaribus adhuc communicant, anteriores autem ultra mediam dorfi partem procedentes, in papillis, linguae marginem obfidentibus, finiuntur. Ab hoc ramo derivari poffe arbitror deglutiendi difficultatem, qua afficiuntur, quibus aphtae dolentes latera linguae occupant.

Alter

*) Cf. Andersch in hor. fcript. nevr. min. T. II. p. 113 et Exc. Haase de nervo phrenico dextri lateris duplici parisque vagi per collum decurfu. Lipfiae 1790. L.

1) *Obfervations on the ftructure and functions of the nervous fyftem. Edinb.* 1783. *Tab.* 26. *M.*

Alter major ramus *profundus*, quodammodo muſcularis dicendus, in profundiores linguae partes ſeſe demergit, et in plures minores ramulos diviſus, per muſculares linguae fibras diſpergitur.

SECTIO II.
DE NERVIS PHARYNGAEIS EX VAGO.

§. XIII.

Egreſſus nervi vagi et nervi inde prodeuntes communicatorii.

Nervus vagus ſemper fibrillatim, vel 6, 7 vel 8, 9, 10 faſciculis tenellis parallelo ordine ſibi accumbentibus ex medullae oblongatae loco cognito ortus, et molli lanugine ex arachnoidea inveſtitus, verſus medium foramen vel canalem in foramine lacero ſibi deſtinatum dura matre cinctum progreditur. Ibidem ſatis conſtanter inſignem filamentorum nerveorum faſciculum, acceſſorio ex medulla ſpinali ſaepe majorem, per peculiarem in dura matre haerentem canaliculum, cum nervo *acceſſorio* Williſii per proprium canalem deſcendentem, conjungit. Huic primo ramo communicatorio, uti et ſecundo et plexiformi filamentorum eorum inter ſe nexui, et magnae trunci acceſſorii ipſius cum ſecundo et tertio pare nervorum cervicalium ope anſae anaſtomoſi, adſcribenda eſſe arbitror ſymptomata aliquoties a me obſervata, ut ex vulnere, quod muſculum trapezium illo in loco penetravit, ubi nervus acceſſorius per eundem diſtribuitur, ab ipſo laeſionis momento loquendi difficultas enata, et per reliquam vitam ſuperſtitem in balbutiem mutata fuerit: qui porro gravi in cucullari, ſplenio, et ſterno-claidoque maſtoideo afficiuntur rhevmatiſmo, loquelae difficultatem, ventriculi moleſtiam, et in genere in omnibus viſceribus adverſam ſentient valetudinem, quae ex vago nervis proſpiciuntur.

§. XIV.

Continuatio ejusdem argumenti.

Edito faſciculo communicatorio dicto, truncus nervi vagi tres circiter lineas in ſuo canali membranaceo, a vicino, qui acceſſorium continet, plane diverſo, verſus exitum ex foramine lacero progreditur, venae jugulari proxime incumbens, ita quidem, ut anterius habeat canalem gloſſopharyngaei, poſterius et inferius acceſſorii; venam jugularem autem in foſſa ipſa inter gloſſopharyngaeum et vagum, medium locum occupaſſe, uti cel. MARTIN [1]) aſſeruit, ego nunquam vidi. Mox in margine inferiore foraminis laceri, nervo vago ex canale ſuo infra caput in collo comparenti, manifeſtiſſime denuo adſociatur inſignis nervorum ramus ex acceſſorio ortus, et per peculiarem canalem membranaceum verſus vagum properat, illique ſub angulo acutiſſimo in parte poſteriore immittitur. Appellare poſſumus hunc ramum *communicantem ſecundum*, et ſiſtit quodammodo alteram radicem, ſ. alterum nervi vagi crus ex medulla ſpinali ad illum augendum accedens. Minor licet ſit hic ramus communicante primo,

1) *De Nervis T. II. p.* 117.

primo, apparet tamen exinde, partes, quae ex uno alteroque nervorum trunco ramos fortiuntur, fub diverfis rerum conditionibus confenfum fuftinere, et medici chirurgique attentionem practicam requirere.

§. XV.

Progreffus nervi vagi in collo.

Cum nervi vagi truncus extra foffam jugularem integer et indivifus comparuerit nam in plus quam 500 cadaveribus, in quibus nervum vagum in regione colli luftravi, unicum tantum varietatis exemplum vidi, *truncum vagi bifidum fuiffe in dextro latere*, qui fuper arteriam anonymam in unum denuo coalefcerent, usque ad originem rami *pharyngaei* fuperioris in plurimis fubjectis ad longitudinem integri pollicis et ultra nullum memorabilem furculum emittit, forti cellulofa venae jugulari adhaeret, et nervo hypogloffo vel nono pari, qui facto arcu oblique ante illum verfus linguam procedit. In quibusdam autem individuis omnino animadverti, duos vel tres tenellos furculos fuper ramum pharyngaeum trunco exiiffe, unum cum nono pare, duos reliquos cum ganglio cervicali fuperiore ex intercoftali coiviffe, unumque vel alterum filamentum in plexum cardiacum mififfe.

Ramus itaque *pharyngaeus*, bene ab HALLERO ita appellatus, inter ramos vagi ullius dignitatis primus eft. Ex trunco prodit plerumque illo in loco, ubi nonum par ante illum incedit, et ipfe ramus aliquantifper ab hypogloffo nervo obtegitur. Vel jam paullo prius recepit in plerisque cadaveribus unum alterumque filamentum ab acceffo- rio, bene a beato LOBSTEINIO [1]) animadverfum.

§. XVI.

Ramus pharyngaeus ex vago.

Infignis hic ramus *pharyngaeus* cum ratione magnitudinis, tum refpectu ufus et multiplicis cum aliis partibus copulationis, praecipue autem propter egregium ganglion quod format, inter celebriores vagi nervi ramos pertinet. Defcriptionibus iisdemque fatis prolixis de hoc ramo equidem non caremus, licet huic prolixitati faepius moleftae, perfpicuitas cedere debuit, quod praecipue in ANDERSCHII enarratione defideramus, picturam autem fidelem, exactam et rei confentaneam nullibi deprehendo. Ab ortu ex trunco fuo vagi per aliquot lineas progreditur ramus pharyngaeus indivifus, rarior enim eft obfervatio, in unico modo fubjecto a me facta, tum ex nervo cervicali fecundo, tum ex ganglio primo intercoftalis furculum in eum abiiffe, et filamentulum ad plexum cardiacum defcendiffe.

Dum leni arcu verfus pharyngem inclinat, fuperius approximatum fibi ramum communicantem primum ex gloffopharyngaeo recipit, et inde craffior, deorfum vero plerumque duos, faepe tres, quatuor, rarius unicum modo furculum verfus ganglion cervicale

1) *Diff. de nervo fpin. p.* 32. (hor. fcript. nevr. min. T. II. p. 219.)

cervicale ſuperius nervi intercoſtalis mittit, qui vel ſeorſim absque coalitu in majores ſurculos, quod frequentiſſimum, vel in majores coaliti totidem ſurculis ex ganglio occurrunt, et hoc modo anaſtomoſes formant, ex quibus dein unum alterumque filamentum in plexum cardiacum conſumitur.

§. XVII.

Diviſio rami pharyngaei ex octavo et ganglion pharyngaeum.

Nunc ulterius facto verſus anteriora progreſſu fibrae nervi parumper a ſe invicem diducuntur ut lateſcat, nonnullis earum fibrarum pauxillum verſus inferiora inclinantibus. In ſuperiorem marginem et aliquantulum anteriorem recipit jam ramum communicantem ſecundum ex gloſſo-pharyngaeo, quo recepto ramus noſter in nodiolum *ganglio* vero perfecte ſimilem *pharyngaeum* commode appellandum intumeſcit. In hoc nervi loco, ubi *ganglion pharyngaeum* format, quinque nervorum rami confluunt et uniuntur, qui partim ingrediuntur, partim exeunt: 1) primus ramus idemque maximus eſt continuatio rami pharyngaei: 2) ſecundus ramus eſt communicans alter ex gloſſo-pharyngaeo pariter inſignis: 3) tertius eſt anſula illa communicans ex ramo tonſillari gloſſopharyngaei: 4) quartus eſt continuatio rami pharyngaei verſus pharyngem ipſum: et 5) quintus eſt grandis ramus deſcendens verſus nervos pharyngaeos ex intercoſtali.

In centro quinque horum ramorum enarratorum confluentium locatum eſt noſtrum *ganglion pharyngaeum*, ratione figurae ſtellam refert, tot radiis inſtructam, quot ramuli nervei in illud coaleſcunt, reſpectu magnitudinis gangliis mediae claſſis ſimile, uti renale ganglion fere, majus certe ophthalmico in orbita.

§. XVIII.

Continuatio diviſionis.

Dividitur nunc ramus pharyngaeus facto ganglio in duos ramos, quorum alter paullo *minor* horizontalis, totus quantus in pharyngis regionem trachealem impenditur, alter major deſcendens, cum ramis ex ganglio cervicali ſuperiore provenientibus in novos ramos coaleſcit. Minor vel horizontalis pone venam pharyngaeam incedit, et ubi pharyngem attigit, in 4 ramulos dehiſcit, quorum bini ſuperiores adhuc in pharyngis regionem tonſillarem abeunt, et infinitis anaſtomoſibus cum tonſillaribus nervis ex gloſſopharyngaeo communicant: bini inferiores autem magis deſcendunt, et multis ſurculis per pharyngis regionem trachealem diſſeminantur, ex quibus 5, cum totidem ſurculis ex pharyngaeo inferiore, verſus ſuperiora reflexis, in egregios arcus coeunt, ex quorum margine convexo infinita copia filorum nerveorum per muſculos thyreo- et cricopharyngaeos diſtribuitur.

Ramus major deſcendens brevior quidem praecedente ſed craſſior mox denuo in duos dehiſcit ramulos, quorum *longior* et *tenerior* cum alio ramo ex intercoſtali prodeunte in nervum pharyngaeum inferiorem coaleſcit, *brevior* autem ramus partim in

ramum

ramum laryngaeum fuperiorem abit, partim cum intercoftalibus mifcetur. Bini autem hi rami ope anfae cohaerent, quae arteriam plerumque pharyngaeam transmittit.

§. XIX.

Ramus pharyngaeus inferior ex vago.

Ramus *longior* et *tenerior* revera primam radicem nervi *pharyngaei inferioris* fiftit, quae cum altera et tertia radice ex ganglio cervicali fuperiore fingularem ramum format, quem *pharyngaeum inferiorem* appellare poffumus, cum vago, tum intercoftali communem, ex binis itaque fontibus ortum. Quicquid de hoc ramo ad nervum intercoftalem pertinet, ut maxima pars, occafione hujus fontis enarretur, nunc modo ultimam portionem abfolvemus, quae ex vago pharyngi exhibetur.

Facta igitur cum ramo ex intercoftali circa arteriam pharyngaeam anfa, ramus hic ad pharyngem procedens paullifper verfus inferiora declinat: affumit in progreffu ex ramo intercoftalis mediocrem furculum, quo fibi juncto paullo poft in duos ramos dividitur, inferior in ramum pharyngaeum ex intercoftali abit, fuperior ftatim verfus pharyngis regionem trachealem excurrit, et infra cornu offis hyoidis per pharyngis fibras mufculares, ex cartilagine thyreoidea ortas, diftribuitur, ab inferioribus verfus fuperiora leviter reflexus, ubi elegantes fupra memoratos arcus format, quibus ramuli pharyngaei fuperioris ex vago cum his uniuntur.

SECTIO III.

DE NERVIS PHARYNGIS AB ACCESSORIO SUPPEDITATIS.

§. XX.

Generalia de relatione nervi acceffforii ad pharyngem.

Paucos modo pharyngi exhibet *nervus fpinalis ad vagum acceffforius* furculos, nec quidem immediate ad illum progrediuntur, eamque igitur ob cauffam tanquam praecipuus nervorum pharyngaeorum fons fpeciatim de illo differere non opus effet. Interim cum hic nervus propter conftantem cum faucibus organisque vocis et deglutitionis confenfum, tot fymptomatibus et phaenomenis manifeftum, in plerasque harum partium actiones tam in fano, quam in morbofo ftatu influxum habeat, et in defcriptione hujus nervi Lobfteiniana, quam fere omnes poft eum fequuti funt, et fere exfcripferunt, varia occurrant emendationem pofcentia, novam illius quoad decurfum imaginem, a natura depromtam, minime fuperfluam effe arbitratus fum.

§. XXI.

Divifio nervi acceffforii.

Nervus accefforius, factis cum vago intra canalem membranaceum copulationibus, nunc extra canalem comparens, venae jugularis fuperficiei interiori et paullo

poſteriori arctiſſime adhaeret, et ante nervum noni paris incedit, ut ita medium locum inter venam jugularem et nervum nonum occupet. Si hunc ſitum optime cernere volumus, praeparatio, non uti plerumque a Lobſteinio, aliisque adminiſtrata fuit, ab exteriore colli latere inchoanda, ſed in capitis dimidio, verticaliter ſecti, ab interioribus verſus exteriora progrediendo perficienda eſt. Opus quoque eſt, ut examen vel in ſubjecto inſtituatur, cujus venae materia ceracea non repletae fuere, vel, ſi hoc factum eſt, vena jugularis evacuanda, ut in planitiem expandi poſſit. Mox infra nervi egreſſum, truncus quatuor vel quinque filamenta diverſae craſſitiei emittit, quorum duo vel tria craſſiora cum ramis pharyngaeis ex gloſſopharyngaeo confluunt: unum cum filamento ex pari primo nervorum cervicalium Aschii verſus ſuperiora aſcendente confluit, et cum ſurculis ex nono et intercoſtali accedentibus, in longe pluribus ſubjectis in egregium *gangliolum* confluit: ultimum, ſi 4 fuerint, vel duo ſi 5 cum nervis mollibus uniuntur.

His ſurculis exhibitis truncus acceſſorii in plerisque ſubjectis absque omni alio ramo dato verſus conjunctionem cum nervis cervicalibus properat. Cum nunc inter muſculum longiſſimum et venam jugularem deſcenderit, circa vertebram colli ſecundam truncus acceſſorii in duos ramos dehiſcit, quorum poſterior *ramus communicans*, anterior *ramus muſcularis* dici poteſt. *Ramus communicans* denuo ſtatim dividitur: altera et prima portio, duobus faſciculis grandibus cum anſa inter par cervicalium ſecundum et tertium media confluit. Reliqua, eademque major portio, ſive muſculum ſternomaſtoideum ſive cleidomaſtoideum perforaverit, quod in multis contingit, ſive illum plane non tangat, verſus colli ſcapulaeque muſculos excurrit, et pluribus filamentis per trapezium et cutem diſtributis finitur. Alter ramus, quem muſcularem dixi, nacta et data radice ex pari nervorum cervicalium tertio, in multos ramulos diviſus, per muſculos ſterno- et cleidomaſtoideos diſtribuitur.

§. XXII.

Conſenſus inter varias partes ope hujus nervi enaſcens.

Memorabilis omnino nervus eſt hic deſcriptus *ſpinalis ad vagum acceſſorius*, cauſa et inſtrumentum adminiculans multorum phaenomenorum, ex conjunctione et conſenſu ejus cum gloſſopharyngaeo, et per hunc cum quinto pare encephali, vago, intercoſtali et cervicalium plurimorum pendentium, in morboſis praecipue affectibus ſaepe animadvertendorum. Noſtrum equidem non in praeſenti eſt, ſaltem a ſcopo meo jam alienum, omnes enarrare affectus, qui ex conſenſu nervorum hujus regionis, cum nervis per thoracem, abdomen, et pelvim diſtributis oriri queunt, in qua re prudentes viri Rega, Kaw-Boerhaave, Haller, Langhans, Tissot, Rahn, multique alii plurimum fecerunt.

Addere modo horum virorum veritati pauca philoſophumena volui, quae practicum ſeu potius therapevticum me docuit exercitium.

1) Notum omnibus medicis practicis eſt phaenomenon, inſolitum ſtuporem et rigorem in movenda ſcapula et brachio ſentiri, ſi affectus catharrhalis in veram anginam tranſire videtur.

2) In

2) In veris anginis, aut ſub ſymptomate anginode in hydrophobia, procul dubio conſenſualis eſt ex infimo ventre ſpecifice ſpaſtica ſtrictura, nervis pharyngis, laryngis, acceſſorioque communicata, cum viderim, inter has convulſiones, inſolito more attollendo deprimendoque viciſſim ſcapulas moveri, interdum adeo rigidas et immobiles eſſe.

3) Si ebrietatis effectus, praecipue ex vinis auſteris et mangoniſatis obſervamus, ſaepius ſingularem ſcapularum inertiam deprehendimus.

4) Vidi nuper in uxore centurionis vehementis convulſionis ex cardialgia hyſterica enatae exemplum.

Propter motum periſtalticum, lento modo verſus oeſophagum directum, omnis bilis et ſuccus pancreaticus ex duodeno in ventriculum retrocedebant, quoties ſufficiens ſaburrae copia ventriculum repleret, ſpaſtica faucium convulſio enaſcebatur, rigor et immobilitas ſcapularum tanta erat, ut elevare corpus nequiret, et ſingularis durities in ſternomaſtoideo oriretur, ſubveniente vomitu, omnia ceſſabant.

5) In deplorabili illo feminarum hyſtericarum ſtatu, ſi impedimentum in qualicunque tractus inteſtinorum parte oboritur, quo minus liquores inteſtinales, ut ſuccus gaſtricus, pancreaticus et bilis non bene deſcendant, quod frequentius in jejuni principio fit, a meſocolo transverſo conſtricto, vehementiſſimi dolores convulſivi in ventriculo, oeſophago, et pharynge oriuntur, ex quibus conſenſualiter colli ſcapularumque muſculi ſimul afficiuntur.

CAPUT III.

DE NERVIS PHARYNGIS EX INTERCOSTALI PROVENIENTIBUS.

§. XXIII.

De relatione nervi intercoſtalis ad pharyngem.

Nervus ille corporis animalis mixtus, qui ex pare nervorum encephali quinto et ſexto [1]), et quoad maximam partem ex medulla ſpinali [2]) prodit, et qui partim *intercoſtalis*, nomine licet maxime incongruo, attamen frequentiſſimo et omnibus cognito, partim *ſympathetici maximi* a Winslowio praecipue adhibito, et quoad uſum et functionem praecipue commendabili, notus eſt, pharyngem equidem non pluribus munit nervis, attamen illum minime intactum relinquit.

Numerus et magnitudo ramorum pharyngaeorum ex intercoſtali illis omnino minor et inferior eſt ex gloſſopharyngaeo exhibitorum, dum teneri modo illi ſurculi ex ordine nervorum mollium, et proprii pharyngaei exinde prodeant, nihilominus autem in explicandis variis phaenomenis, propter conſenſum nervi intercoſtalis cum tot aliis, et toto fere nervoſo ſyſtemate magni omnino momenti cenſendi ſunt.

1) Evidentiſſime evicta eſt origo dicta a beat. Meckelio *Diſſ. cit.* et clar. Hirsch. (hor. ſcript. T. I.)

2) Demetrius Iwanoff. *de origine nervorum intercoſtalium.* Argent. 1780. — in ſubſequentibus paginis hujus T. III. ſcript. nevr. ſequetur impreſſa.

§. XXIV.

Nervi pharyngaei ex classe nervorum mollium nervi intercostalis.

Oriuntur proxime nervi pharyngis ex classe *nervorum mollium* supra ganglion cervicale superius, statim ab egressu nervi intercostalis ex canale carotico. Non exiguum numerum sistunt, nec inter minima pertinent filamenta, quorum constantem per pharyngis tunicas distributionem jam beatus HALLERUS agnovit. Interim tamen in his ipsis filamentis multum varietatis et inconstantiae subrepit.

Si junctae radices ex nervo vidiano quinti, et una vel altera sexti paris per canalem caroticum delapsae in collo in conspectum prodeunt, et truncum nervi intercostalis efficiunt, inter carotidem cerebralem, et crassum nervorum, glossopharyngaei vagi et accessorii fasciculum tenaci cellulosae immersus jacet. Ex ipso hoc coalito trunco, antequam ex ullo nervorum colli radices accessorias nactus fuerit, vidi in 7 cadaveribus tria, vel quatuor filamenta, in 2 subjectis unicum surculum in regionem pharyngis palatinam distribui. Incedunt haec filamenta pharyngaea inter nervum glossopharyngaeum ejusque ramos et arteriam carotidem, cum nonnullis glossopharyngaei ramis communicant, et fere cum omnibus arteriae pharyngaeae ascendentis ramificationibus per pharyngis superiorem regionem distribuuntur.

§. XXV.

Nervi pharyngaei ex ganglio cervicali nervi intercostalis, superior et inferior.

De radice accessoria quae ex ganglio cervicali superiore ad nervum pharyngaeum ex octavo accedit, jam superius dictum est; Praeter hanc duo adhuc magni fasciculi nervei, *pharyngaei* intercostalis appellandi, ganglio cervicali superiore exeunt pharyngi impertiti.

Alter superior idemque major factis per tenella fila cum pharyngaeo ex octavo anastomosibus infra cornu cartilaginis thyreoidis superius pharyngem petit, et pluribus divisionibus et subdivisionibus perpessis super pharyngis partem laryngaeam seu trachealem dispergitur.

Alter inferior s. *minor*, ex infima ganglii parte egressus in duos finditur ramos, quorum superior infimae pharyngis parti impenditur, inferior major, rami ipsius continuatio vasis thyreoideis superioribus se adjungit, et multiplici ratione iisdem irretitus finitur.

IV.

I. B. PALLETTA

DE

NERVIS CROTAPHITICO ET BUCCINATORIO.

MEDIOLANI 1784.

In nervorum historia multa desiderari jam pridem querebatur Magnus Hallerus [1]), cujus aequissimae expostulationi etsi plurium, qui insecuti sunt, Anatomicorum laboribus multa ex parte fuerit satisfactum; ita tamen satisfecisse non videntur, ut praestantissimis eorum observationibus nullus adjiciendi locus supersit. Et ne per singulos nervos eamus, quintum, quod vocant, par, ut omnium, qui e cerebri basi prodeunt, maximum, ita ob fibrarum copiam, et nexum omnium est implicatissimum. Exinde, opinor, factum est, ut quamvis praeclari nominis Anatomici in eo extricando et describendo omnem posuerint industriam, nonnulla tamen aut prorsus incomperta, aut levius fortasse explorata habuerint, quae aliorum demum sedulitate sunt in lucem prolata.

Veterum sane Anatomicorum scripta si evolvamus, ubi de tertio et quarto pare sermo est, facile intelligemus, eos non satis perspectam habuisse originem, et divisionem nervorum, de quibus nunc agere instituimus. Nam Galenus, etsi quartam a tertia conjugatione revera sejunctam ex Marino proposuerit [2]), tertiamque bifariam dividi ipse cognoverit [3]), hos tamen truncos et misceri interdum affirmat, et ambigua descriptione ita confundit, ut eorum surculos per se distinctos magis magisque praeter naturae institutum ipse de industria miscere videatur.

Qui deinde longo temporis intervallo secuti sunt Anatomes cultores eandem omnino, aut certe non meliorem descriptionem exhibuerunt. Inter hos Mundinus [4]) tertium par fecit, cujus pars faciem pervadit; alteram vero ejus portionem quarto pari admisceri scribit, quod ipsi procul dubio nostrum *octavum* est, quum et ad stomachum venire, et ex eo *reversivos* oriri affirmet.

Alexander Benedictus [5]) paulo aliter nervos enumerat; nam, quae tertia illi est, nervorum *syzygiam ad tubercula papillaria narium* pertinere ait; quartam [6]) transire ad palatum; quintam vero et ad linguam abire, et buccas movere, et septimae etiam conjugationi *(pari vago)* copulari.

Carpus

1) Praefat. ad Elem. Physiol. Tom. I.

2) De Dissect. nervor. cap. 5.

3) De usu Part. lib. IX. cap. 9.

4) De Anat. nervor. ortor. a cerebro.

5) Anatomiae lib. IV. cap. 17. edit. Venet. 1502.

6) Cap. 18. 19. l. c.

Carpus [7]) tertium par itidem per faciem ſpargi dicit, ita tamen, ut ejus portio cum ſexto communicet, a quo *reverſivos* ortos vult; quartum vero par ad palatum pro *ſenſu guſtus* deſcendere ait, monetque promiſcue id par accipi a nonnullis modo pro tertio, interdum pro quarto.

Curtius Ticinenſis Profeſſor [8]) qui in Mundinum commentatus eſt, tertiam conjugationem linguae ſenſum guſtus tribuere; quartam nervos palato ſuppeditare ſcribit, reverſivos vero ex ſexta cum Carpo deducit. Monet inſuper eſſe animadvertendum, aut erraſſe Mundinum, aut corruptum eſſe codicem, quum quod de quarto nervorum pare dicit, dicendum ſit de ſexto.

Columbus [9]) poſt Galenum duo principia habere tertium nervorum par aſſeruit, ramosque etſi non diligenter, prioribus tamen melius deſcripſit. Tertio proximum fecit quartum ſuum par, videturque eſſe maxillaris noſter inferior, cui ſenſum guſtus tribuit, carpitque hactenus recte Galenum et Veſalium, quod quarti hujus conjugii munus tertio adſcripſerint.

Ne autem ſingulos Anatomicos recenſeam, qui aut eadem omnino, quae priores viderunt; aut obſcura reddere ea, quae jam innotuerunt, conati ſunt, ad accuratiſſimum Falloppium tranſeo. Is forte primus, quod Alex. Benedictus adumbraverat, clarius retulit, et non ſolum originem iſtius nervi pluribus chordis aliquot quidem durioribus, aliquot mollioribus conſtare, ſed etiam manifeſtiſſimam, ut ipſe fatetur, quinti paris, poſtquam duram membranam perforavit, in tres nervos diviſionem agnovit, quorum priorem ad oculum, alterum ad faciem, tertium ad linguam aliasque partes ferri obſervaverat. Sed quum omnium chordarum eidem una viſa fuerit origo, omnesque fibrae ſimul junctae per unicam viam ex dura matre egrediantur; quumque ab nemine ante ipſum quo modo, quasve in partes ſinguli divaricentur tunc proditum fuerit, maluit hos tres in unum contrahere, atque pro unico tantum pari enumerare [10]).

Verum qui naturali quadam ſolertia in minutis rebus indagandis Anatomicos omnes longe antecelluit praeclariſſimus Santorinus, ut difficilem multo quinti paris inveſtigationem eſſe ſenſit; ita ejusdem diverſas fibras ex triplici potiſſimum exoriri principio ſibi deprehendiſſe viſus eſt [11]). Quam deinde triplicem originem in lato illo quinti paris trunco, qui extra duram membranam eſt, accuratius perſcrutatus eſt vir cel. et induſtrius Vincentius Malacarnaeus. Is enim in extricandis praedicti nervi fibris ea dexteritate, et felicitate uſus eſt, ut luculenter non ſolum ex tribus nervis diſtinctis eum latum truncum conſtare oſtenderit, ſed eorum inceſſum et diſpoſitionem in intimiora caudicis medullaris tam diligenter eſt proſecutus, ut origines cujusque nervi plane diverſas eſſe deprehenderit.

Hujus praeſtantiſſimi viri obſervationibus nihil eſt in praeſentia quod addam; eſt tamen quod addam duos nervulos prioribus tribus ab ipſo egregie prorſus deſcriptis. Quum enim ea perquirerem in humanis cerebris, quae de nervorum originibus in his animadver-

7) Iſagoge. Anat. ventris ſupremi. De nervis a Cerebro ortis. Edit. Venet. 1535.

8) Anat. H. C. de anat. nervor. a cerebro ortor. edit. Venet. 1580.

9) De Re Anat. lib. VIII. cap. 3.

10) Obſervat. Anat. p. 87. edit. Venet. 1606.

11) Obſ. Anat. cap. III. §. 16.

animadverterat, et pro ſua ſingulari humanitate mecum communicaverat [12]), in iisque potiſſimum ſubſiſterem, quae circa originem et diviſionem quinti paris idem vir amiciſſimus propoſuit; auſpicato accidit, ut reſectis ad cranii baſim nervis ophthalmico, et maxillari ſuperiori, et in medullam oblongatam reflexis, nervi, quos hic deſcribam, in conſpectum prodirent.

Etſi autem hi nervi pari quinto accenſeri poſſe videantur, atque illud nervorum par, quod trigeminum audiebat, nunc ex quinque omnino diſtinctis faſciculis eſſe coagmentatum dicendum ſit; eos tamen nequaquam ad quintam pertinere conjugationem certum eſt, ut inferius aperte a nobis oſtendetur.

Verum antequam de ipſis nervis dicamus, aequum eſt nonnulla praemittere de iis, quae circa par quintum ſunt; nempe de ovali durae matris foramine, quod totum quinti paris truncum admittit, deque rete illo, quod ſub extima durae membranae lamina quintae conjugationis nervo zonae in modum circumjectum eſt.

Dura

12) Solertiſſimi hujus Profeſſoris quartam Encephalotomiae partem, quae de Nervorum originibus agit, propediem expectamus, quam uti priores tres Anatomicis omnibus valde acceptas fore confidimus. Obſervationes, quas continet, ante tria ferme luſtra incoeptae nonniſi accuratis et frequentibus Encephali diſſectionibus nituntur, quod quanto reliquis partibus praeſtantius eſt, eo magis excolendum ſibi ſuſcepit, ſicque praecipuam hanc, minusque perveſtigatam Anatomes partem inſignibus acceſſionibus locupletavit. Et ut pauca ſolum attingam praeter ea, quae de quinto pare commemorata ſunt, olfactorii nervi, cujus mollities inveſtigantes fatigat, triplex principium conſtituit. Longius filamentum a nervoſo funiculo promanat, qui ſurſum provehitur per tertii ventriculi latera lanugine cinerea obtectus. Minus filamentum perſaepe a fine ejus tractus medullaris, qui commiſſurae cerebri anteriori continuus eſt, producitur, ubi nempe is tractus gibbam et inferiorem corporis ſtriati faciem perfodit. Tertium denique filamentum a medullari cerebri corpori ſtriato circumpoſita proficiſcitur ad imum ſulcum, qui cerebri lobos dirimit, ibique prioribus ſociatur.

Thalami optici deſinunt poſterius in eminentias quasdam bulboſas nonnihil exterius ſtriatas, quae arcuatim medullam oblongatam amplexae in cylindros primum, dein in nervos opticos abeunt. Mitto experimenta de decuſſatione et cavitate opticorum in ea ſede, ubi coaleſcere videntur.

Ab ea cavitate, quam *antrum* vocat, quaeque retro papillas medullares poſita eſt, plurimis filamentis ad inſtar penicilli, ſed in tres ordines diſpoſitis emergit oculorum motor communis. Huic *acceſſorium* dedit nervum noviſſime abs ſe detectum, qui a crurum cerebelli ſuperiori parte ſurſum provehitur, et per ſuperiorem pontis marginem ad ipſas radices tertii paris roborandas accedit. Nec motori ſolum oculorum, verum etiam pathetici exilitati, cujus binae ternaeve ſunt a velo medullari radices, *acceſſorio* interdum nervo natura proſpexit. Prodit is ex quarti ventriculi cavitate duplici tenuique principio, emenſusque ſummam proceſſus cerebelli ad medullam ſpinalem ſedem inter *floccos* et pontis inferiorem marginem prorepit, atque cum priori acceſſorio decuſſatus in ſuperiores radices pathetici inferitur.

Verum nimius eſſem, ſi caetera perſequi vellem, nempe origines nervorum aut confirmatas aut melius determinatas, acuſtici ex quarto ventriculo, ſympathici maximi radicem ex orbitali, medii ex calamo ſcriptorio, et minimi ex *fovea quadrilatera;* varios item funiculos, et inconſtantem diſpoſitionem nervi lingualis ſpinalisque; quae omnia in ejusdem Auctoris Tractatu licebit planius intelligere.

Dura membrana ubi processui clinoideo posteriori adnectitur, in duas secedit laminas, quarum inferior sinui cavernoso insternitur, et fossae mediae basis cranii; superior autem priori supertensa margine extremo tereti foramen relinquit ovalis figurae, quod nervus quintae conjugationis subit. Haec lamina quatuor linearum tractu eidem nervo incumbit sic, ut ejus transitum liberum relinquat, et per eum hiatum latiusculum specillum immissum usque ad zonam pertingit, quae dein utrasque laminas sibi, et inter se ita jungit, ut nonnisi scalpello separari possint.

Zonam hanc, seu reticulum illud compactum, quod latum quinti paris truncum, antequam in tres ramos facescat, revincit, cum cl. Malacarnaeo *Armillam* voco. Hanc Wrisbergius Anatomicus Göttingensis celeberrimus satis congruenti vocabulo *intumescentiam semilunarem* appellavit [13]. Nam dimidiam plerumque lunam figura refert, cujus obtusa cornua medullae oblongatae, margo autem convexus tempori obversus est. Color ad lateritium vergit plerumque, in selectioribus cerebris nonnunquam rubellus observatur; at in leucophlegmaticis ut semper pallidior, sic armillae compages admodum laxa frequentes inter fila nervosa intercapedines relinquit.

Nondum autem ex anatomicis liquido constat, undenam cellularis ille contextus proficiscatur. Wrisbergius [14]) videtur eum deducere ex duabus durae menyngis laminis semilunari intumescentiae annexis. Illud tamen adeo ambiguum est, ut potius a pia membrana ipsa fila nervosa investiente sit deducendus, quum utraque durae menyngis lamina sine armillae laesione separari possit; aut ex septo, quod nervum ophthalmicum a sinu cavernoso dirimit, et ad posteriora productum in cornu anterius armillae utrasque durae membranae lamellas connectit sic, ut e sinu cavernoso in nervi caveam nullus pateat aditus. Ita quacumque demum ratione nata armilla incumbenti primum durae membranae adstringitur, et tenuissimis filamentis nervi fibris interfusa singulas illaqueat, quibus etiam filamentis ophthalmicum et maxillares nervos subjectae laminae adnectit per totum eum tractum, qui ejusdem convexum marginem sequitur; demum cornu posteriori nervi maxillaris inferioris crepidinem iisdem adductis laminis firmiter alligat. Tota vero nervi quintae conjugationis lata expansio, quae ab armillae corpore et sinuoso margine obtegitur ab utraque menyngis lamina soluta esse deprehenditur.

Armilla, de qua diximus, a quibusdam pro ganglio accepta est, inprimis a Gassero et Hirschio [15]) qui fusius modum exponit, quo Praeceptor ejus Gasserus ad inquirendum ganglion utebatur [16]). *Eximebat nimirum cerebrum e calvaria, mox nervum quinti paris abscindebat in origine, tum a parte postica antrorsum capsulam incidebat a dura matre factam scalpelli apicem sursum dirigendo, ne corpus subjectum laederetur.* His alia subjungit ad idem artificium pertinentia, quae tamen omnia praeter praeposteram administrationis rationem aut nimis studiose conquisita, aut nil ad institutum conducere nobis videntur. Wrisbergius, quum, quod aliis gangliis familiare est, in intumescentia semilunari desiderari observaverit, censet eam inter plexus nervosos esse referendam

13) De quinto pare Nerv. Encephali Sect. II. §. 10. Göttingae 1777. — hor. script. I. 268.

14) L. c. §. 11.

15) Disquisit. Anat. Paris quinti cap. 4. §. 38. 39. — hor. script. I. 252.

16) L. c. §. 41. seq.

rendam [17]. Viro huic illuſtri adſentiri videtur cel. Scarpa nunc in Ticinenſi Archigymnaſio Anatomes Profeſſor meritiſſimus, dum iteratis obſervationibus ſe edoctum eſſe ſcribit, ſtamina nervea quinti paris ubi ſecedunt in triplicem ramum *aliquantulum primo dehiſcere, et plexuoſa incedere* [18]. Equidem non eſt negandum fila interdum nervoſa ab uno faſciculo obliqua in alium ſeſe dimittere, et cum aliis fibris in diverſa tendentibus intricari; fateri tamen ſimul oportet eum plexum ſaepius deeſſe [19], et faſciculos quodammodo in quibusdam inter ſe contorqueri, ſicque fibras nerveas oblique decuſſari, et etiam pro nerveis fibris cellularis filamenta interdum impoſuiſſe, meque demum iterum ac ſaepius tres principes quinti ramos methodo a Malacarnaeo propoſita absque filorum nerveorum laceratione disjunxiſſe, ut fere aliud eſſe non videatur, quam reticulum fibrarum validarum, quibus interſperſa ſanguifera vaſcula ex receptaculo advenientia rubellum colorem inducunt [20]. Proinde optime, ut ſemper ſolebat, annotaverat Morgagnus [21], ſe in non paucis cadaveribus *neque usque adeo notabilem et peculiarem iſtius plexus craſſitudinem, neque texturam adeo implicitam, et compactam, neque demum naturam iſtam tanquam carnem obſervare potuiſſe.*

Cavea, quae ab quinti paris ingreſſu ad armillam protenditur, peculiari ſepto diſcreta eſt a receptaculo, quod deinde ophthalmico nervo nexu fere inſeparabili cohaeret, et ſenſim evaneſcit eum nervum a reliquo receptaculo diſtinguens [22]. Ergo nec quintus nervus, nec ophthalmicus ſanguine receptaculi abluuntur, quemadmodum ſcripſerat Winslowius.

Etſi igitur conſtaret caveam quinti paris a receptaculo penitus eſſe ſecluſam, tamen ne qua dubitandi mihi locus ſupereſſet, durae menyngis laminam, quae caveam obtegit, diſſectam ad ſuperiora reclinavi; deinde patefacto ſuperne receptaculo tenuiſſimum ſpecillum immiſi, pertentavique num aliquis ex eo pateret aditus in caveam. Id quidem ſpecillum juxta ſeptum ac nervum ſextae conjugationis longius deorſum ſub ophthalmico et maxillaribus ferebatur, ſed inter extimam durae membranae laminam et ophthalmicum nervum nunquam in caveam ſibi viam aperire potuit. Neque uni ſpecillo reſiſtit ſeptum illud caveae, quum ex ſinu cavernoſo non ſinat injectam ceram [23] nec ſanguinem [24] in caveam ipſam penetrare.

Quoniam de iis dictum eſt, quae illuſtrare, aut proxime attinere videbantur ad ea, quae ſumus propoſituri, oportet, ut noſtram diſſectionis rationem exponamus, qua ad detegendos novos nervulos uſi fuimus.

Exciſo cranio et menyngibus tota cerebri moles, et quidquid loborum ſupereſt in cranii baſi horizontali ſectione eſt auferendum, ſervatis tamen caudice medullari, ponte, et eminentiis quaternis. Dein tentorio ſimiliter deſtructo, alterius hemisphaerii cerebelli id omne tollitur, quod ſupra crura aſcendentia cerebelli (proceſſus cerebelli ad

I 2 teſticulos

17) L. c. §. 12.

18) Anat. Annot. cap. 11. §. 29.

19) Meckel Tract. de quinto pare nervor. cerebri. Göttingae 1748. Sect. 11. §. 33. 37.

20) Haller Auctar. faſcic. IV. p. 37. Wrisberg l. c. §. 11.

21) Adverſ. Anat. VI. 21.

22) Haller Elem. Phyſiol. T. IV. lib. X. ſect. V. §. 27. Tabarrani lettr. Anat. 1. p. 33. ſegg.

23) Hirſch l. c. cap. 11. §. 19.

24) Meckel l. c. Sect. 11. §. 34.

testiculos vocat Hallerus) positum est, qua administratione quinti paris truncus pia matre involutus in conspectum venit. Pia membrana remota multiplices hujus nervi fibrae ab eodem oriri principio, et parallelae videntur incedere, uno excepto fasciculo. Is editiori loco positus est, et a superiori, posteriorique cruris cerebelli parte pronatus, primum distinctus procedit, tum obliquo ductu ad ophthalmicum accedit, atque, ubi ovale durae matris foramen subit, cum reliquis videtur commisceri.

Nullo autem pacto eundem commisceri comperiemus, si ejusdem per caveam quinti incessum ulterius exploraverimus. Nam truncato ophthalmico ad rimam orbitalem, dein ab armilla, et maxillaribus sociis solerter extricato, truncoque ejus in cerebelli pedunculum rejecto, fasciculus ille nudatus nil cum reliquis habere commercii deprehenditur.

Huic magis noto it comes fasciculus nervosus alter, qui quidem prioris directionem servat, sed tunc primum apparet manifeste, quum eadem ratione, qua ophthalmicus, prope foramen rotundum sphaenoidis obtruncatur maxillaris superior, et ad suam originem secando persequitur.

Prior fasciculus profundas trahit ab imo sulco, qui crura cerebelli ascendentia dirimit a cerebri cruribus, aut sub ea foveola radices, a qua originem habet *nervus accessorius* Malacarnaei ad tertium par; tum oblique per medullarem pedunculi incedens ex editiori et posteriori medullae oblongatae parte prodit duabus circiter lineis supra ophthalmici exortum, cujus superiores fibrae interdum a descendente fasciculo teguntur. Hic vero sex, septemve linearum tractu delabitur ad ovale foramen durae matris, ubi leviter inflexus sub ophthalmico et maxillari superiori se condit, et extrorsum tendens maxillari inferiori sociatus per ovale cranii foramen elabitur. Hunc fasciculum, quem ab nemine antehac fuisse animadversum existimabam, nunc memoratum invenio apud Santorinum in utroque, quo Anatomen ditavit, opere.

Et primum quidem in observationibus anatomicis [25]) ubi triplicem quinti originem assumpserat: *saepius, ubi firmiora cerebra offendisset, tenuiorem fibram seorsum paulo supra emergere, ac mox caeteris copulari* se deprehendisse scribit. In explicatione vero tabularum posthumarum quas cl. Girardus edidit (Tab. II. litt. yy) priores observationes ad trutinam revocans duplicem facit nervi gustatorii originem, quarum altera descriptum modo fasciculum nerveum comprehendit. Hujus igitur viri accuratissimi verba aequum est hic proferre, quae et ejus solertiam in dissecando et observando ostendunt, et auctoritatem addunt quam maximam iis, quae adhuc pene in abdito latebant. „De quinti origine ac processu duo mihi non levis sane momenti monenda sunt „alterum ad originem spectans, alterum ad iter. Etsi a diligentioribus adversae fibrae „hujusce sic saepe discretae sunt, ut in binos fasciculos separari facile possint, harum „tamen fasciculum minorem non ab eodem cum caeteris exoriri loco certum est. Nam „major e diductis transversis protuberantiae annularis fibris emergit, minor autem ab „ulteriori loco procedens majori quidem copulatur; quamquam harum principium in „ejusdem cerebelli pedunculi longitudinem ab lateribus penetralium cerebelli emergat; „qui ubi ad majorem accessit, copulari quidem videtur, sed revera sic adjungitur, ut „cum

25) Cap. III. §. 16.

„cum eodem procedens diſtinctus tamen, mox eidem ſubjiciatur, atque duram matrem „ingreſſus ex interiori latere adjicitur, ut diverſum iter inſtituat, et diverſam naturam „praeſeferat. Nam faſciculus major mox poſt penetratam duram matrem in plexum „conformatur non quidem ganglioformem ſed retiformem potius, cui quaedam quaſi „carnoſa natura late, laxeque ſuperinducta videtur, noſtro interea, minorique faſcicu„lo, neque huic majori immixto, neque hoc plexu donato procedente. Ubi autem „ſic diſcretus, ſic immutatus ex ovali calvariae foramine evaſurus eſt in plexum vere „ganglioformem mutatur, ac poſtmodum in faſciculos diſcretus in maxillae muſculos „maſſeterem ac pterygoideos praecipue inſeritur.“

Eadem fere quae Santorinus docuerunt poſtea alii exercitatiſſimi Anatomici, inprimis Wrisbergius [26]), Soemmerring [27]), Scarpa [28]), et Girardus aſſerentes in univerſum par quintum ex *duabus portionibus*, ſeu faſciculis progerminare; niſi quod cl. Girardus paulo aliter ac reliqui, atque ego obſervavi, *minoris portionis* fibras diſtribuerit. Ait enim [29]) „retiformi plexui aliquando ex interiori parte fibras ex eodem trunco „procedentes, propemodum albas, mox in plexum conformatas — adjici, quarum „majores aliae in faſciculum collectae, et plexui arcte haerentes — in maxillarem in„feriorem contendunt; aliae ſed minores eodem modo diſtinctae et conſtitutae ſecun„dum maxillaris ſuperioris directionem incedunt; omnium denique minimae, quaeque „vix apparent, ophthalmicum ramum ſubeunt.“ Mihi autem iteratis diſſectionibus compertum eſt, non modo eas fibras (*minoris portionis*) ex eodem trunco non procedere, ſed, licet a diverſo principio conſtanter procedant, et perpetuo reperiri, et a retiformi plexu eſſe diſtinctas, et una omnes ad maxillarem inferiorem contendere; nullas vero maxillarem ſuperiorem, aut ophthalmicum ſubire.

Verum dolendum eſt ſane Santorinum, qui tam eleganter verbis expreſſit nervum, de quo agimus, in Tabula II ad litt. yy, ubi par quintum exhibetur, nec minorem ſuum faſciculum, nec ejus originem delineari curaſſe. Nec minus dolendum eſt praeſtantiſſimum Meckelium in elegantiſſima tabula Tractatui de quinto pare annexa non pinxiſſe ejus originem, adeoque nec cerebelli pedunculos, nec aliud quidpiam ad cerebrum ſpectantis. Horum omiſſionem ſupplere quodammodo annifus eſt ſaepe jam laudatus Wrisbergius, ſed ſi ejus iconem litt. P. S. cum natura compararemus, non omnino perfectam inveniemus; nam et faſciculi principium, et progreſſio multum a naturali diſcrepant.

Haec de majori faſciculo, quem plane non omnibus ignotum fuiſſe ſuperius memoravimus. Minor autem faſciculus, quem majori comitem ire diximus, exortum ducit ab columnae medullaris axi, ſeu ab intimis pedunculi cerebelli penetralibus, rectaque per mediam medullam decurrens ſub maxillari ſuperiori emergit aliquot lineis infra faſciculum majorem, et diſtinctus plerumque ſub armilla pergit, ubi priori junctus planam taeniolam conſtituit, et cum eo ad ovale cranii foramen contendit.

I 3 Quamquam

26) L. c. Sect. 1. §. 5. 6.

27) Comment. de rebus in ſcient. natur. et Med. geſtis vol. XXIV. P. 1. p. 73. et hor. ſcript. Tom. II.

28) Anat. Annot. cap. 111. §. 17.

29) Adnot. ad Tab. 11. Sant.

Quamquam hi nervi ea, qua diximus, adminiſtratione demonſtrari poſſint, ſcilicet reſcindendo ophthalmici et maxillaris ſuperioris extrema in cranii baſi; altera tamen multo expeditior eſt, qua quinti principium prope crus cerebelli truncatur illaeſo interim eo faſciculo, qui caeteris eminentior eſt: nempe aperta nervi guſtatorii cavea, is a caudice divulſus una cum armilla in baſim cranii reflectitur, quo peracto utriusque nervi per caveam inceſſus et directio conſpicitur.

Hactenus ea expoſuimus, quae plerumque in bene conſtitutis cerebris ſpectari ſolent; nam in his quoque, ut in aliis nervis, tam in ipſa origine, quam in itinere aliqua varietas deprehendi ſolet. Sic prior faſciculus humiliori nonnunquam loco, et fere eodem cum ophthalmicis fibris ordine in foemineo praecipue cerebro prodit, a quibus aegre, aut vix non diſcernitur, niſi prius reſectus ad rimam orbitalem ophthalmicus ſupra crus cerebelli reflectatur. Alterius vero nervi ortus ſaepius ad lineam ſub priori, nunc fere ad ejusdem latus, aliquando etiam ſub ophthalmico obſervatus eſt. Quacumque autem ratione ſeſe habeat, a priori ſemper ſejunctus exoritur, ita ut quo remotior eſt, eo majus inter utriusque principia ſit intervallum, ſenſim tamen ad majorem accedit, et intercedente cellulari in unum abire videntur faſciculum.

Ut ortu hi nervi, ſic fibrillarum numero variant. Quae nudo oculo diſcerni poſſunt filamenta in ſuperiori ſunt quinque aut ſex, in inferiori usque ad octo numerantur. Superior autem fere duobus tribusve fibris toroſis, albis, teretibus conſpicuus eſt, quarum unaquaeque in minora abit filamenta, et quo paucioribus fibris alteruter nervus inſtructus eſt, eo pluribus alter compoſitus eſſe deprehenditur.

In viraginis cerebro duabus ſupra ophthalmicum lineis ex ſiniſtro latere oriebatur prior faſciculus quinque inſtructus fibris, atque eidem inſigne filamentum accedebat ex confinio ophthalmici cum maxillari ſuperiori prope cerebelli pedunculum, tranſcendensque praedictos nervos jungebatur faſciculo, qua is ſub ophthalmico conditur. Tam conſpicui filamenti aberrationem me nunquam antehac vidiſſe memini; nec vidiſſe meminerant alii, qui crebro ſectionibus intererant, et in his multa doctrina et ingenio praediti, Chirurgiae et Anatomes ſtudioſiſſimi adoleſcentes Monteggia et de Marchi.

Horum nervulorum fibrae diverſam omnino naturam praeſeferunt; nam multo ſunt candidiores et robuſtiores iis, quae quintam faciunt conjugationem, et in duas parallelas faſciolas coaptatae ſic incedunt guſtatorio obtecti, ut anterius accumbentes maxillari inferiori, dein etiam eidem ſubſtrati, fere autem prope exitum firmius ei adhaerentes e cranio ſimul elabantur. In toto per caveae parietem poſteriorem itinere illud profecto digniſſimum animadverſione eſt, quod armilla ſubjectos hosce nervos nullibi coerceat, implicetve, quemadmodum adnotarunt etiam Santorinus, et Girardus (Tab. II. litt. yy), imo potius armilla adductis cornubus veluti in canalem aut ſulcum eos recipiat fibrarum ordine et colore nusquam mutato.

Quum igitur extra omne dubium poſitum ſit nervos noſtros non ſolum ortu differre, et, ut infra oſtendemus, filamentorum diſtributione, ſed inceſſu etiam a reliquis eſſe ſeparatos; oportet ſane, ut inter nervos peculiari loco recenſeantur, et propriis etiam nominibus diſtinguantur.

Vetus

Vetus eſt mos nervos per paria ſeu conjugationes numerandi, qui tamen a praeſtantioribus noſtri aevi Anatomicis merito improbatur. Quum enim a Galeni temporibus haud pauca nervorum paria adjecta ſint prioribus, quumque propterea numeri cuique nervorum pari aſſignati fuerint immutandi, ne ipſe numericus ordo turbaretur, ſatis, opinor, patet, quanta in nervorum hiſtoria oriretur confuſio, ſi eadem ratio numerandi perpetuo ſervaretur. Eam ob cauſſam Veſalius, ut ex Falloppio colligitur [30]), ne numerum ab aliis Anatomicis poſitum et confirmatum turbaret, quartum noſtrum, ſeu patheticum pro diſtincto pari non propoſuit, ſed pro minori propagine tertii paris enumeravit. Igitur ne aut nervos noviſſime propoſitos et diſcretos aliis adjiciamus et conſociemus, aut hujusmodi numerum iis apponamus, quo jam diu alii nervi innotuerunt; vitanda eſt, ni admodum fallor, nervos per paria recenſendi conſuetudo, qua ratione vitabitur etiam utrumque vitium in diſſectionis hiſtoria certe graviſſimum, etiamſi inpoſterum novi nervi Anatomicorum induſtria proferantur.

Longe melius rei Anatomicae conſuluerunt ii, qui nervorum appellationem deſumpſerunt a munere, quod cuique peculiare eſt, et a partibus, ex quibus prodeunt, aut ad quas ſunt a natura amandati, aut a multiplici, quam in corpus exercent, actione ex aliorum nervorum conſortio.

His igitur de cauſſis primum nervorum noſtrorum faſciculum *Crotaphiticum*, quia fere in muſculo temporali abſumitur, alterum *Buccinatorium* a praecipuo, quem ad buccas mittit, nervulo appellabo, quibus nominibus inſigniores eorum rami apud Anatomicos jam gaudent. Quae quidem appellatio, etſi verear. ne ab omnibus fortaſſe probetur, iis praecipue, qui nervos hosce ad par quintum, aut certe ad maxillarem inferiorem *acceſſorios* nuncupari maluerint; confido tamen illos mecum eſſe ſenſuros, ubi perpenderint rationes, quae me ad novos nervos praedictis nominibus inſigniendos impulerunt.

Recte quidem monuerat Falloppius in nervorum paribus diſtinguendis non eſſe obſervanda calvariae foramina, ſed diſtinctionis occaſionem repetendam eſſe ab origine, et diviſione intra membranas facta [31]). Igitur ſi horum nervorum origines ſpectemus, eae tam ſunt diſſitae a maxillari inferiori, ut ſi illud attendendum eſſet, ad ſuperiores potius viderentur pertinere; quamquam et ab hujus, et ab ophthalmici initiis ſic ſunt diſcretae, ut ad horum neutrum referri poſſint. Deinde eorum principium inſigne, multis conſtans filamentis, cum nullo nervo intra cranium communicantibus, quid aliud denotat, quam nervos eſſe ſui juris, et peculiaribus officiis deſtinatos? Demum ſurculi eorum nullam habent cum magno trunco maxillaris inferioris proportionem, et ii quidem diſtribuuntur in partibus, quas maxillares non adeunt, et ſoli in iis imperium exercent. Quamobrem ſi *acceſſorii* dicendi ſunt ii nervuli, qui alicui principi nervo quodammodo auxiliantur, et ſuppetias ferunt, vix, opinor, alios in toto cerebro inveniemus, qui eo nomine ſint vocandi praeter *acceſſorios ad tertium et quartum par* a Malacarnaeo repertos. Nam acceſſorius Williſii, qui per propriam vaginulam effertur e cranio, origines ab octavo remotiſſimas habet, et in partes ſe disjicit, quas par vagum non pervadit, ut proinde nil eidem videatur opitulari. Valſalva inverſa

30) Obſ. anat. p. 92.

31) Obſ. anat. p. 87.

versa ratione considerans hujus nervi originem, non eum a medulla spinali nervisque cervicalibus oriri existimavit, sed potius ab octavo pare, atque ab eo profectum ad spinam amandari, et propterea *nervum paris vagi recurrentem ad spinalem cervicis medullam* nuncupavit 32). Quae quidem opinio, quum sentiendi facultas a cerebro ad nervos deferri, non ab his ad cerebrum reduci credatur, minus naturae legibus videtur esse consentanea. Praeterea, quum is nervus tali modo ab octavo pronatus duos habeat fines, unum nempe intra, alterum extra cranii cavitatem, consequitur, aut duos *accessorios*, aut duos *recurrentes* per vagum nancisci oportuisse. Haec quidem facilius cum natura conciliari posse viderentur, nisi pro altero fine nervi illud obstaret, quod supra monuimus, videlicet sentiendi vim a cerebro et medulla unice per nervos propagari. Quare pro certo habeo radices *accessorii* Willisianii esse tenuissimas illas ab medulla et cervicalibus ortas fibras, quae quum in unum ampliorem truncum coeant crebris deinceps anastomosibus augendum, uti intercostalis nervus, eum proinde, si quid ego judico, inter *sympathicos* seu communicantes referendum censerem.

Nervi, quos a cerebelli pedunculis ad ovale cranii foramen hucusque deduximus, tenuissima piae membranae lamina conteguntur, atque ubi memoratum foramen subeunt, eum in ordinem disponuntur, ut maxillaris inferior magis externus versus auriculam sit; Buccinatorius interior est a maxillari ipso protectus; crotaphiticus autem anteriora magis foraminis ovalis tenet.

Eo in loco primum maxillaris cum novis nervis copulatur; sed non uno semper modo consociantur. Etenim saepius plexus observatur ex transversis fibris truncos colligantibus natus; nonnunquam ipsimet trunci coaliti per aliquod spatium deprehenduntur, ut disjungi sine laceratione prorsus nequeant. Est etiam, ubi intimius inter se cohaerent novi nervi, dum e contra maxillaris duobus tribusve solum filamentis iis conjungitur, quae in minima ganglia intumescunt prope truncum, in quem inseruntur. Ganglion autem tribus nervis commune a Santorino et Girardo memoratum vix aut nullo modo deprehendere potui.

Rarius etiam contigit animadvertere a Buccinatorio editam fibram nervosam satis validam supra plexum aut ganglion commune se producere, maxillarem transversae zonae in modum complecti, atque in ramum massetericum aut crotaphiticum desinere.

Ex plexu, aut ganglio, aut coalitu superius dicto plures nervosi surculi promanant, qui extra calvariam a rete venoso *emissariorum* Santorini excipiuntur. Etsi varius et multiplex sit horum surculorum numerus et ortus, plerumque tamen quinque magis conspicui reperiri solent, nempe *massetericus*, *temporales* duo, *buccinatorio-labialis*, et *pterygoideus*. Horum priores tres a *crotaphitico*, postremi duo a *buccinatorio* proficiscuntur, quos tamen omnes ab maxillari inferiori hucusque deduxerunt Anatomici, quem proinde ad stellae similitudinem dividi 33), aut radiorum instar secedere scripserunt 34). Eorum ramorum iter, directionem, surculos fusius persequi non est animus; nec enim quidquam perfectius in eo genere proferri potest, quod absolutissimae, quam

32) Differt. Anat. 1. §. 20. 22.
33) Haller Elem. Physiol. lib. X. sect. VI. §. 21.
34) Meckel sect. V. §. 86. — et hor. script. I. 199.

quam dedit Meckelius, descriptioni queat comparari. Illud solum proferam, quod hos nervos non esse trunci maxillaris inferioris soboles patefaciat, et quod varietates aliquas caeteris praetervisas, et praecipuam eorum actionem a suis truncis pendere, quantum per me licet, commonstret.

Ramorum primus et extimus *massetericus*, a musculo nomen habens, duas plerumque origines obtinet a crotaphitico nempe, et maxillari inferiori. Hic vel surculo ex transverso dato sibi jungit crotaphiticum, antequam secedat in massetericum et binos temporales; vel ex utroque promanat surculus, qui geminatum massetericum constituit. Perrarum est ex solo maxillari prodire massetericum, quamquam in eo quoque casu geminatum deprehendi; a buccinatorio vero nunquam derivasse memini, prout Hallerus videtur observasse 35).

Ita constitutus massetericus recta procedit ad condylum maxillae inferioris, quo in loco gignit nonnunquam temporalem minorem, aut plura filamenta emittit, quae ejus vice funguntur. Tum juxta internum processus condyloidis latus inter membranas ligamenti capsularis se insinuat 36), quandoque extra membranas sub ipsa capsula articulari, cui surculo uno, alterove prospicit, pterygoidis externi marginem legit, et masseteris musculi interiores fibras penetrat medius, et sub ipsum jugum venit, dumque flectitur in anteriora, emergit ex fibris brevioribus masseteris, ut in exteriores et longiores se immittat ad modum litterae ∽ inflexus, excurritque usque ad fibrarum terminum, qua eaedem ad maxillae angulum proferuntur.

Interiores magis sunt temporales duo, aut plures, quos profundos vocant 37). Temporalis minoris et exterioris ortus parum constans est; saepius enim a crotaphitico proficiscitur, non raro a temporali majori, quandoque ab ipso masseterico uno pluribusve, ut dictum est, exiguis surculis. Prospicit exteriori magis musculi crotaphitici parti, quae sub ipso jugo est, ut tamen cum interiori temporali frequenter inosculetur.

Truncus ipse crotaphiticus videtur in temporalem majorem et interiorem desinere. Is cum prioribus pluribus locis communicat, atque cum maxillari per plexum superius memoratum; deinde in filamenta divisus, interdum bifidus, per interiorem musculi crotaphitis carnem insumitur fibras ipsas sequendo, qua eaedem supra pericranium, et supra planum temporalis fossae elevantur. Communicare etiam cum nervulo a lacrymali nato, et ex orbita in fossam temporalem penetrante dicitur a Meckelio 38).

Buccinatorius duos potissimum nervos progignit *buccinatorio-labialem* (nomen enim, quo a plerisque designatur Anatomicis, non est ex toto, nec temere immutandum) et *pterygoideum*. Prior nervus temporalibus ipsis profundior est, anterior, teresque, nonnihil ad conum vergens, laevissimus, et sat validus. Etsi in hunc videatur plerumque continuari truncus buccinatorius, nonnunquam tamen ex binis fibris a trunco maxillari et crotaphitico advenientibus ortum vidi: vidi etiam fibras accepisse ab unoquoque

35) L. c. §. 24.

36) Fallop. l. c.

37) Haller l. c. §. 24. Meckel sect. V. 88.

38) L. c. §. 89.

unoquoque ſimul trunco maxillari nempe, crotaphitico, et buccinatorio, qua iidem invicem inter ſe miſcentur. Interdum a ſolis truncis crotaphitico et buccinatorio proficiſcitur, rariſſime vero a ramo communi cum temporali majori prodit, quod quum fit in anteriori magis exteriorique parte poſitus invenitur. Non eſt praetereundum buccinatorio-labialem interdum, ubi principium paulo anterius ſumit, inſigni ramo augeri ab maxillari inferiori, qui in fovea temporali ad angulum ei adjungitur inter muſculos crotaphitem et pterygoidem minorem.

Ita ortus buccinatorio-labialis oblique deorſum fertur ad muſculum pterygoidem minorem, nervulosque largitur ſuperioribus ejusdem fibris, et magis interioribus muſculi crotaphitis [39]), quae ad exteriorem oculi canthum ſunt, tum perforato ejusdem muſculi pterygoidis ventre modo in elatiore, modo in demiſſiori parte deſcendit inter tendines pterygoidis externi, et muſculi crotaphitis, atque buccinatori muſculo preſſius ſeſe applicat [40]); tum ſinuoſum maxillae inferioris marginem ſecutus ad maſſeteris medium ventrem emergit in faciem veluti ex longo itinere. Dum eam viam legit variis ſurculis proſpicit ligamento, quod inter utramque maxillam eſt, glandulis molaribus, muſculo cognomini, adipi, cutique. Porro antrorſum trans buccinatorem ad oris angulum contendit, et tunc vere *labialis* nervus eſt. Ibi, poſtquam multa filamenta exhibuit vicinis muſculis, qui ad oris angulum coeunt, cutem, glandulasque ſalivales adit, et ſub orbiculari labrorum in implicitas illas fibras carneas diſperditur.

Buccinatorii nervi alter, ſed minor ramus eſt pterygoideus, qui aliquando ipſius trunci videtur eſſe propagatio, ſurculoque ad muſculum pterygoidem externum miſſo, altero non conſtanti cum maxillari trunco communicat. Interdum exili ortus principio ſenſim in ganglii formam intumeſcit et in binos ſecedit aequales nervulos. Ubi autem, quod quandoque contingere adnotavimus, buccinatorio-labialis a trunco ipſo buccinatorio non emanat, nervulus pterygoideus duplicem originem nanciſcitur, minorique propagine naſcentem pterygoidem muſculum externum, et palati circumflexum adit; majori vero cognominis muſculi carnem penetrat, et ſecundum fibrarum directionem multis emiſſis filamentis ad ejus tendinoſum finem profertur. Una haud amplius vice ex 30 cadaveribus obſervare contigit, nervum pterygoideum prodiiſſe ex ramo linguali maxillaris inferioris, qui quidem ramus a conſueta directione deflectens ſuper alam exteriorem proceſſus pterygoidei deſcendebat, flexuque poſt emiſſum pterygoideum ad anteriora facto linguae demum propius accedebat.

Quae de horum nervorum uſu peculiari dicenda ſuperſunt, ea ſic tenebris obvoluta ſunt, ut vix quidquam certi ſtatui poſſit, et niſi obſervationes pathologicae facem praeſeferrent, nec quidem cum aliqua ratione conjectandi locus eſſet. Illud tamen videtur certum, praecipuam eorum actionem eſſe in partes a voluntate motas, quum rami inferantur in muſculos temporalem, maſſeterem, buccinatorem, labiales, et pterygoideos, quorum praecipui voluntariis maxillae inferioris motibus famulantur. Maxillae autem morbus, quem illi familiarem et gravem omnes ſciunt, eſt Trismus, ſcilicet ſpaſmodica adductio et conſtrictio maxillae inferioris, in qua elevatores muſculi temporales,

39) Fallop. obſ. anat. p. 88.

40) Fallop. l. c.

porales, et masseteres, et forte etiam pterygoidei valide contrahuntur, et obrigescunt superstite linguae, pharyngis laryngisque, saltem in morbi initio, functione. Trismus ergo est a nervis Crotaphitico et Buccinatorio proxime affectis. Equidem non inficior irritatis surculis Crotaphitici et Buccinatorii in consensum trahi maxillarem inferiorem, et vicissim hoc laeso aut vulnerato propagari irritationem ad Crotaphiticum et Buccinatorium, cum quibus consociatur; at illud constans est, prima et graviora trismi symptomata sive a vulnere sive ab alia caussa pendeat, sive Tetani sit praenuncius, in rigore musculorum maxillam inferiorem attollentium observari.

Trismi, qui lactantes infantes exercet, post Aretaeum [41]) graphicam omnino descriptionem exhibuit eruditissimus Brendelius [42]), caussamque solerter non minus quam vere ponit in quinti paris nervis, et *propiora cum illo commercia habentibus*. Sed undenam *isthuc impetum faciat* non aeque patere ultro fatetur vir cl., qui suspicatur unice ex primis viis repetendam esse caussam per consensum sympathici maximi, et medii ex vitio etiam hepatis, bilisque, quum faeces moeconio similes, virides, foetentesque prodire observaverit. Aretaeus [43]) potissimam hujus vitii caussam frigus esse opinatur, puerosque assidue hoc morbo vexari, sed non admodum perire tradidit. Apud nos licet non infrequens malum sit crebrius tamen eo vexati infantes intereunt. De caussis vero dicere, arduum videtur, neque sententiam nostram proferre lubet, antequam iteratis observationibus compertum sit, quot, quantaeque sint, quo anni tempore insolescant, quibusve potissimum praesidiis tollantur.

EXPLICATIO TABULAE.

Exhibent icones calvariae basim cum medulla oblongata resectis cerebri et cerebelli hemisphaeriis, ut nervorum plerique e basi cerebri prodeuntes conspiciantur. Etsi autem Tabula ea diligentia et studio confici non potuerit, ut omne vitium evitaretur, quum delineatore uti oportuerit parum in Anatomicis figuris exercitato, opinor tamen hancce satis idoneam esse ad sistendos nervos, quorum deinde examen in cadaveribus sit repetendum.

Fig. I. Sistit portionem cerebri et cerebelli cum medulla oblongata, e qua prodit nervus quintae conjugationis in naturali sede conspiciendus. Ostendit etiam crotaphitici originem, ejusque exitum per ovale cranii foramen.

A. Cranium excisum.
B. Processus falciformis durae matris.
C. Portio hemisphaerii dextri cerebri.
D. Portio hemisphaerii dextri cerebelli.
E. Fossa media basis cranii.
F. Crus descendens cerebri.

a. Pons Varolii.
b. Crus ascendens cerebelli.
c. Truncus quinti paris.
d. Ramus ophthalmicus quinti paris.
e. Ramus maxillaris superior.
f. Ramus maxillaris inferior.

K 2 g. Armilla

41) Acutor. lib. 1. cap. 6.
42) De Spasmo maxillae inferioris infantili Program. Göttingae 1757.
43) L. c.

g. Armilla truncum quinti paris revinciens.
h. Origo nervi crotaphitici.
i. Ejus e cranio exitus ad latus interius maxillaris inferioris.
l. Nervus tertii paris.
m. Nervus acceſſorius Malacarnaei ad tertium par.
n. Nervus patheticus.

Fig. II. Repraeſentat nervos Crotaphiticum et Buccinatorium in media baſis cranii foſſa collocatos reſecto quinti paris trunco prope crus cerebelli, et ſuper cranii baſim reclinato.

A. Cranium exciſum.
B. Proceſſus falciformis D. M.
C. C. Portio hemiſphaeriorum cerebri et cerebelli.
D. Foſſa media baſis cranii.
a. Crus deſcendens cerebri.
b. Crus aſcendens cerebelli.
c. Pons Varolii.
d. Nervus tertii paris.
e. Nervus acceſſorius tertii paris.
f. Nervus quarti paris.
g. Nervus ſexti paris.
h. Truncus exciſus quinti paris.
i. i. i. Tres rami quinti paris.
l. Radix quinti paris reſecti.
m. Nervus crotaphiticus.
n. Nervus buccinatorius.

Fig. III. Alia adhibita adminiſtratione eosdem nervos oſtendit ex capite viri fere quadragenarii, cui reſecto cranio cerebri hemiſphaeria cum cerebelli portione dempta ſunt. Effracto oſſe temporum dextri lateris, et oſſe jugali muſculus temporalis in faciem reflexus eſt, ut nervorum noſtrorum inceſſus, et diviſio exhibeatur.

A. Cranii exciſi pars.
B. Portio cerebri.
C. Hemiſphaerium dextrum cerebelli ſecundum horizontem ſectum.
D. Eminentiae quadrimae.
a. Proceſſus cerebelli ad teſtes.
b. Crus cerebri deſcendens.
c. Pons Varolii.
d. Sulcus dirimens crura cerebri a proceſſibus cerebelli.
e. Foveola in imo ſulco.
f. Nervus tertii paris.
g. Nervus acceſſorius Malacarnaei ad tertium par, qui interdum duobus, tribusve, et etiam pluribus filamentis ex foveola pronatus per ipſum ſulcum aſcendit medullae oblongatae applicatus; tum paululum in latus inflexus extremum pontem attingit ſub nervo pathetico, cum quo interſecatur: dein marginem pontis ſuperiorem legens, interdum etiam velut in ſulco deliteſcens, prope ipſas tertii paris radices deſinit. Hic nervus ſaepe deeſt modo ex uno tantum, modo ex utroque latere.
h. Nervus patheticus.
i. Nervus ſexti paris.
l. Nervus octavi paris reſectus.
m. Foraminis ovalis portio exciſa, per quod nervi exeunt.
n. Muſculus temporalis in faciem reclinatus.
o. Muſculus maſſetericus.
p. Muſculus pterygoideus minor.
q. Proceſſus condyloideus maxillae inferioris.

1\. 1. Nervus ophthalmicus et maxillaris superior in basi cranii resecti, et supra cerebellum reclinati, ut nostrorum origo nervorum conspiciatur.

2\. Nervus maxillaris inferior e sua sede non dimotus.

3\. Fasciculus primus, seu nervus Crotaphiticus, cujus radices usque ad eam foveolam pertingunt, quae accessorium ad par tertium emittit.

4\. Fasciculus secundus, seu nervus Buccinatorius, qui ab axi medullae oblongatae sumit initium, et sub ophthalmico, aut maxillari superiori emergit.

5\. Nexus nervi maxillaris inferioris cum nervis Crotaphitico et Buccinatorio.

6\. Ramus massetericus.

7\. Ramus temporalis profundus major.

8\. Ramus temporalis profundus minor.

9\. Ramus buccinatorio-labialis.

10\. Continuatio trunci maxillaris inferioris.

11\. Nervus temporalis superficialis maxillaris inferioris soboles.

V.

M. GIRARDI
DE
NERVO INTERCOSTALI.

FLORENTIAE 1791.

Qualis, et quanta fuerit veterum Anatomicorum solertia, atque sollicitudo ut humani corporis compagem, intimamque structuram poenitus assequi possent, eorum scripta plane luculenterque testatum faciunt. Verum cum omnia non omnibus rimari, atque introspicere datum sit, cumque naturae velamen, quo ipsa partium dispositionem, ordinem, diversitatem, nexum, mutuumque omnium consensum, atque harmoniam caute Observatorum oculis abdit, difficillime auferatur, hinc factum est, ut plura saecula partim inter tenebras, partim inter lucis crepuscula praeterierint, antequam magnum illud Anatome, quo in praesens fruimur, jubar utilissime effuderit. Laboribus imprimis magnorum virorum id acceptum debemus, qui saeculo decimo sexto potissimum floruere Vesalii, et Eustachii, qui cum Anatomen angustis finibus circumscriptam invenerint adeo adlaborarunt, ut expulsis maxima ex parte erroribus, quibus tunc temporis obruebatur, novam, genuinam, mirabilem humani corporis historiam tabulis illustrarint, nobisque veluti novum spectaculum exhibuerint. Tantorum virorum vestigia presso pede sectati sunt viri longe celeberrimi, Fallopius, Cananus, Columbus, aliique plures, qui licet integram Anatomes historiam haud conscripserint, tamen aut additis quibusdam novis, aut aliis illustratis, aut castigatis aliis, veriorem utilioremque Anatomen reddiderunt. Subinde prodiit magnum illud Academiae Bononiensis lumen Marcellus Malpighius, qui inter coetera plura, dum Omenti structuram praebuit, tunicae etiam cellularis fabricam accuratissime indigitavit. Et licet in exponendis glandulis nimius fortasse fuerit, ea tamen in re non tantum peccavit, quantum Rujschiani contendunt, quibus caeteroquin ars illa summa injectionum debetur, quae incessus, directiones, et fines vasorum mirifice declaravit. Artem hanc, cum tertiam Cerebri substantiam detegeret, ulterius Albinus produxit, qui praeter alia accuratam musculorum, et ossium historiam lucupletavit. Auris, et Pharyngis structuram illustravit Valsalva, universam Anatomen accuratissime Winslovius descripsit. Maximam Anatomes partem observationibus ditavit, et auxit Santorinus, et Uteri structuram, ac sedem amplissimis tabulis luculentissime exposuit Hunterus. At post tam magna, quid non praestitit magnus ille Jo. Baptista Morgagnus ad perficiendam Anatomen natus? Summus hic vir, perpetua mihi recordatione colendus, tum pluribus inventis artem nostram mirifice cumulavit, tum in illa explicanda eo stylo, eaque ele-

gantia

gantia ufus eft, ut aequari difficillime, fuperari vero nullo pacto a quolibet unquam poffit. Tantorum virorum, aliorumque labores, atque inventa, fumma, ac fere dixerim, incredibili eruditione in unum collegit, propriisque obfervationibus amplificavit vir eximius Phyfiologorum Princeps Albertus Hallerus, qui laboribus fuis eo pervenit, ut extremos Anatomes definitos limites fere attingere videretur. Verum (quis crederet?) in hac meffe colligenda, manipuli, et quidem copiofiffimi adhuc fuperfuerunt, quemadmodum propriis obfervationibus viri fane praeftantiffimi demonftrarunt. Sic enim Thoracis, ac Ventris nervos copiofius explanavit Walterus, lymphatica vafa Mafcagnus, Olfactus, et Auditus organum Scarpa, et plura nunc ad magni intercoftalis nervi initium pertinentia, neque ab aliis adhuc reperta in medium adducit, promovet, elegantiffimisque figuris exornat Felix Fontana. Nos igitur, cum ignoret nemo, quantus fit hujusce nervi in explicandis vitae phaenomenis influxus et actio, tanti viri veftigia fequi, non modo gloriofum, fed utile in primis ducimus, praefertim cum quaedam etiam propriae obfervationes eadem magis magisque confirment. Primum igitur quaedam generalia ad hujusce nervi hiftoriam fpectantia praemittam; deinde illud non effe intercoftalis nervi initium, quod hactenus ab omnibus habebatur, oftendam; denique nonnulla ex recta hujusce nervi notione phaenomena explicare conabor, quorum enucleatio haud fatis apte aliunde poterat hauriri. Adefte igitur eo animi mentisque favore, quem mihi humanitas veftra pollicetur, et me dicentem benigne excipite, arrigite, fuftentate.

Omnibus, qui vix a limine Anatomen falutaverint, notum eft intercoftalem nervum ad latera corporum vertebrarum omnium, ante apophyfes earumdem transverfas, et latera etiam interna offis facri, fingulis in lateribus, chordae inftar a fummo ad imum protenfum affurgere, et paffim fecundum ejusdem longitudinem corpufcula quaedam habere, quibus quodammodo intercipitur, quae ganglia appellantur. Hujusce nervi craffitudo ad latera corporum vertebrarum dorfi maxima eft, tenuiffimae vero ejusdem extremitates. Ganglia non fecus ac nervi, in cervicalia, dorfalia, lumbaria, et facra diftinguuntur, quorum numerus, magnitudo, color, ac confiftentia varia eft; cervicale tamen primum omnium eft maximum. Ex hisce gangliis varii producuntur nervi, quorum alii in ganglia fefe dimittunt, alii vero per varias differminantur partes. Qui ex gangliis trunci emergunt, ubi ejusdem craffitudo major eft, tenuiffimi funt, contra non adeo exiles, qui ab extremitatibus trunci proficifcuntur. Intercoftali itaque trunco, fecundum fpinae longitudinem per thoracem incedenti, binos unusquisque fpinalis, dorfalis nervus ramos tribuit, quorum alter fuperior et brevior, longior alter et inferior eft. Ex hisce itaque gangliis, quae inter coftarum interftitia occurrunt a quinta usque ad decimam, aut undecimam dorfi vertebram fingulis in lateribus radices quinque ut plurimum emergunt, quae verfus mediam anteriorem vertebrarum partem deorfum ad poftremam dorfi vertebram contendunt, quo ubi pervenerint, ac fimul accreverint nervum conftituunt qui, Splanchnicus, five Collateralis dicitur. Hic nervus per pofteriorem diaphragmatis mufculum traductus, cui et furculos impertit, hinc et hinc ganglium illud peculiare efficit, quod femilunare dicitur, licet hujusce ganglii figura varia fit, et irregularis. Tum dexterum femilunare ganglion, tum finiftrum pone ventricu-

ventriculum per coeliacam arteriam cum excurrentibus nervis inſimul, atque etiam cum Pari vago communicant. Ex ganglio autem dextero plexus hepaticus, ex ſiniſtro plexus ſplenicus producitur, qui cum hepatico conjugatur, atque etiam cum Pari vago, arteriam ſplenicam comprehendit, Pancreati proſpicit, et per Lienem diſpeſcitur. Ex duobus hisce gangliis, ut brevis ſim, nervi proficiſcuntur, qui cum primis lumbaribus conjuncti plexum renalem efficiunt, qui per emulgentes arterias, atque etiam ſpermatica vaſa diſſeminatus in Renes, glandulasque renales disjicitur. Plexus autem hic renalis per plura nervorum filamenta magnum meſentericum plexum fovet, et perficit, ſimulque per plures nervos cum coronario ventriculi plexu communicat. Ex hoc ipſo plexu ſurculi proficiſcuntur ex utroque latere, qui ad primas lumborum vertebras cum praecipuo intercoſtalis trunco copulantur.

At poſt tot ganglia ac plexus quos commemoravimus, prope piaculum eſſet ſi plexum illum ſingularem omitteremus, quem Solarem dicunt, ex quo praeſertim Phyſiologi in explicandis vitae phaenomenis tam magna, ac peculiaria deſumunt. Ex duobus itaque ſemilunaribus gangliis, plures nervorum ſurculi proficiſcuntur, qui ſuperius ante primam lumborum vertebram varie ſimul intertexti, atque implicati plexum hunc conſtituunt, ex quo nervi radiorum inſtar, per diaphragma, ac potiſſimum per meſenterium diſſeminantur.

Ex hoc autem plexu, atque etiam renali, et hepatico, et ganglio ſemilunari dextero plures nervi dimanant, qui in retiformem veluti membranam conformati meſentericam ſuperiorem arteriam comprehendunt, ejusque propagines, per quas ad meſentericas glandulas, ac potiſſimum ad inteſtina traducuntur. Plexus hic meſentericus ſuperior appellatur: inferior autem ex iisdem fontibus profectus per meſentericam arteriam inferiorem, per glandulas atque etiam per inteſtina longe, lateque diſpeſcitur. Hosce plexus, quos feſtinanter commemoro, Auditores optimi, memoria retineatis oportet, ut ex his plura phaenomena, quae ab inteſtinis originem habent, dignoſcere, apteque explicare poſſitis. Porro ex duobus hisce plexibus utroque in latere nervorum faſciculi aſſurgunt, quibus alia nervorum filamenta e Plexu renali, et e lumbaribus gangliis conjunguntur, qui varia ratione implicati hypogaſtricum plexum conſtituunt. Plexus hic ante poſtremam lumborum vertebram in duo veluti plana ganglia ſeſe dividit, et recti inteſtini initium poſterius comprehendit, et per inteſtinum ipſum per veſicam, ac vaſa ſpermatica, non ſecus ac per partes omnes pelvi comprehenſas disjicitur.

Truncus autem intercoſtalis nervi poſtquam productiones illas emiſit, e quibus ſplanchnicus componitur, extenuatus ad undecimam dorſi vertebram ipſi Collaterali accedit, et ipſe quoque per diaphragma trajectus, ac ſupra corpora vertebrarum vergens, ac ſenſim e dorſalibus nervis, quibus conjungitur craſſeſcens, excurrensque inter muſculos Pſoas, et tendineas diaphragmatis appendices per vertebrarum, lumborum latera usque ad anteriorem et inferiorem extremamque oſſis ſacri partem deſcendit. Nimis longum eſſet productiones omnes, et gangliola recenſere, quibus hic nervus intercoſtalis cum meſentericis, hypogaſtricis, lumbaribus, ac ſacris nervis rationem habet, atque etiam partes illas, quibus proſpicit: haec omnia paſſim apud Winsloviurn, Hallerum,

Hallerum, et potiſſimum apud Walterum aperte invenietis: ſufficiat interim quae attulimus ſic attigiſſe, ut in explicandis implicatiſſimis interdum malis, maximum inter nervos thoracis, ventris, ac artuum inferiorum conſenſum, atque harmoniam eſſe cognoſcatis. Hactenus de media, ac inferiore hujusce nervi parte, nunc de ſuperiore verba faciemus.

Ex ganglio itaque primo, et ſupremo dorſali nonnulla proficiſcuntur filamenta, quorum alia proximis partibus inſerviunt, alia vero cum cervicali extremo, ac cum Pari vago conjuncta verſus intima thoracis contendunt, cardiacum plexum, atque etiam ex parte pulmoniacum factura. In hac mirabili nervorum implicatione, et minimos alios plexus, et gangliola, et anſulas ſaepiſſime efficiunt, quae cum vario modo in variis cadaveribus ſe habeant, atque etiam non raro deſiderentur, eorumdem accuratam exhibere hiſtoriam inutile, atque ſupervacaneum prorſus cenſemus. Ex anſulis tamen una ſpecialis eſt, et conſtans, quae ſubclaviam arteriam comprehendit, quaeque ganglio cervicali extremo et primo dorſali debetur. Ex hisce autem gangliis nervi prodeunt, qui non raro cum Pari quarto, quinto, ſexto, ac ſeptimo ex cervicalibus conjunguntur. Inter tamen hosce nervos haud praetermittendi ſunt, qui recurrenti connectuntur, quique pone arteriam axillarem atque etiam carotidem excurrendo plexum pulmoniacum petunt.

Ex plexu autem pone ſubclaviam, quo dorſale ganglion cum cervicali conſociatur nervorum filamenta deſcendunt, quae ex parte cardiacum plexum componunt. Eſt et peculiaris nervus a memoratis gangliis profectus, qui cum pari octavo conjunctus inter arcum Aortae, et truncum arteriae pulmonalis pergens plexum gangliformem efficit, a quo nervi ad baſim cordis, ejusque auriculas, et ventriculos excurrunt. Non me fugiunt intercoſtalis nervi alii, atque álii ſurculi, qui vaſa plura pharyngem, Oeſophagum, et proximas partes petunt; verum, humaniſſimi auditores, ſi eos praetereo haud me reprehendatis, quaeſo, cum me potiſſimum extremae hujusce nervi ramificationes ſollicitum teneant, e quibus praecipuum hujusce exercitationis argumentum pendet.

Ex ganglio itaque cervicali inferiore intercoſtalis truncus ſuperiorem petens membranis obvolvitur, quibus inſimul Par vagum, atque etiam arteria Carotis comprehenduntur. Dum per hasce membranas traducitur eductis ramis cum Pari vago, atque etiam cum cervicalibus nervis copulatur. Pone pharyngem, ante tres primas cervicis vertebras, ganglium illud praecipuum ex intercoſtali aſſurgit, cui primi cervicalis, aut olivaris nomen factum eſt. Ganglium hoc cervicalibus nervis, et Pari vago conjunctum ex ſumma ejusdem parte nervum caeteris molliorem emittit, qui una cum carotide interna per canalem ſerpentinum ſurſum ſcandit, cranium petiturus. Statim ac hic nervus canales ſubit, in plures, qui molliſſimi ſunt, ſe findit ramos, quique arteriam carotidem, cui arctiſſime adhaerent, comprehendunt, ac comitantur. Ex extremo denique trunco duo aut tres, interdum etiam plures rami emergunt non adeo molles, quorum unus aut alter Pari ſexto ex cerebralibus, alii vero quinto nervorum Pari conſociantur.

Hi ſunt rami, optimi adoleſcentes, de quibus paulo ante dicebam, quique attentionem veſtram quam maxime poſtulant, cum ex iis Anatomici ferme omnes intercoſtalis initium deducant. In hisce perpendendis non auctoritas, non rerum apparatus, non verborum copia vos moveat; poſtquam ſenſibus caute, diligenterque rem perpenſam, eamque rationibus, quas adducam, comprobatam habueritis, num hae ramificationes initium intercoſtalis, aut finis ſint, veſtrum erit ſententiam ferre.

Operam fortaſſe quis perderet, tempus inquirendo, ex quo ab hisce ramificationibus intercoſtalis initium plerique omnes Anatomici deduxerunt; haud ita tamen eventurum cenſemus, ſi harum ramificationum maximam perpendendo cum ſexto, ac cum quinto connexionem in cauſſa fuiſſe aſſereret, cur veteres et neoterici intercoſtalis initium ab iisdem adhaeſionibus deduxiſſent, maxime quidem ſi praeter totius corporis analogiam, inſertionis locus non adeo a cerebro remotus adderetur. Quae quidem ſententia de nervi intercoſtalis initio, tametſi non leve momentum habere videatur, tamen habitis a praeſtantiſſimis viris obſervationibus in dubium revocare minime dubitarunt. Primus omnium Petitus fuit; hic enim obſervavit fibras illas, quae ſexto, atque etiam quinto pari conjunguntur non ſolum a poſterioribus ad anteriora, verum etiam ad angulum adeo acutum copulari, ut pro ramis ab iis paribus profecti haberi nequeant: deinde hasce fibras, e quibus intercoſtalis initium deducitur, adeo exiles eſſe ut tam longo, atque adeo craſſo intercoſtali nervo convenire non poſſint: porro nervum ſexti paris ab ejusdem origine usque ad inſertionem intercoſtalis tenuiorem eſſe, quam ab inſertionis puncto ad oculum, luculenti indicio eſt abducentem nec hilum dediſſe, aliquid vero ab intercoſtali accepiſſe, neque haec omnia tantummodo aſſeruit, ſed obſervationibus etiam alterius confirmavit. E regione itaque tertiae, aut quartae cervicis vertebrae utrinque intercoſtalem in canibus abſcidit, et tum ea omnia, quae circa oculos contingunt, cum ſextum par in orbitam abeat, ſumma cum diligentia adnotavit, ſummaque perſpicuitate deſcripſit. Oculorum itaque ſquallor, decrementum, pupillarum contractio, ut plura alia omittam, eos ipſos luculentiſſime ab intercoſtalis nervi abſciſſione affectos fuiſſe demonſtrarunt; ſi autem intercoſtalis nervus ab uno latere ſcindebatur, phaenomena modo expoſita uni oculo reſectioni reſpondenti tantummodo contingebant; quibus ſi addatur magnum virum Winslovium viginti annorum experientia haec omnia confirmaviſſe, jam non minimum Petiti ſententiae pondus acceſſiſſe ipſi per vos clare, aperteque videtis. Verum licet haec obſervationibus et veritati conſentanea quam maxime videantur, tamen viri in arte ſummi argumenta in medium adduxerunt, quibus nova haec explodere, et vetus dogma iterum iterumque confirmare annisi ſunt. Inter hosce commemoraſſe ſufficiat Meckelium, Hallerum, et quidem primum Morgagnum, qui ceteroquin poſtquam ea omnia, quae ad infirmandam Petiti ſententiam facere poſſent, ea qua ſolet eruditione, atque elegantia in medium modeſtiſſime adduxiſſet, ac ſi in iis, quae attulerat, minime acquieſceret, nec novum dogma ei poenitus diſpliceret, haec addidit, *ubi verum poſt repetita examina eſſe intellexero, ſeu vetus dogma, ſe novum ſit in eo non modo non gravate, ſed perlibenter conſiſtam.*

Summa haec praeclariſſimorum hominum auctoritas, nec non ipſamet fortaſſe Petiti ſententia haud poenitus, quantum ſatis eſſet, enucleata effecit, ut vix unum aut alterum ad haec usque tempora invenerit, qui propriis obſervationibus eam iterum confirmare auſi ſint [1]). Erat id vero ſummo Felici Fontana reſervatum, qui innumeris experimentis, obſervationibusque ſpartam hanc mirifice exornando Petiti ſententiam pleno in lumine collocavit. Ipſe enim, quo pollet, ingenio, ſummaque praeditus ſedulitate iis, quae Petitus attulerat plura peculiaria addens, ejusdem ſententiae certitudinem fere, et evidentiam adjunxit.

Primum itaque adhaeſionem ipſam inter intercoſtalem nervum, ſextumque Par ſibi imprimis diligenter attendendam eſſe propoſuit, ut autem id rectius aſſequeretur, fibrarum inceſſum ac diſpoſitionem accuratiſſime expendit. Quae itaque fibrae Par ſextum verſus contendunt, ipſique adhaerent eas, quemadmodum mihi ex ejusdem delineationibus conſtat, varia ratione ſeſe explicare, varieque incedere, ac finem habere apertiſſime obſervavit. Ex fibris enim intercoſtalis nervi, quae in ſexta cerebri conjugatione inferi videntur, aliae in mollem, tenuemque ſubſtantiam evolutae ipſum ita comprehendunt, ut non in nervum ipſum ſeſe immittere, ſed potius ipſum abvolvere quodammodo videantur; aliae autem in tenuia filamenta ſejunctae, ipſique abducenti accretae, una cum ipſo aliquantulum incedunt, tum denique non in ipſo, ſed praeter ipſum excurrentes in carotide finem habent; aliae denique prope Par ſextum perreptantes, neque ipſum vel minime tangentes, per ipſam carotidem diſſeminantur.

Neque quis credat celeb. hunc Virum intercoſtalis nervi cum ſexto implicationem, adhaeſionemque negare; nam in ejus delineationibus, quas nunc ante oculos habeo, eam bis, terque deſignatam video, imo praeter fibras illas, quae duplices interdum, et triplices in ſextum ſe immittunt, fibras intercoſtalis nervus habet, quae non modo ophthalmico, ſed pluribus explicatis fibris, maxillari etiam ſuperiori adhaerent. Et quoniam de intercoſtalis propaginibus ſermo eſt, me vobis haud eſſe diſpliciturum confido, ſi addam me, poſt longam intercoſtalis nervi cum ſexto macerationem obſervaſſe fibras, quae ſexto adhaerent non modo duplices, aut triplices, ſed et quintuplas, et ſextuplas fuiſſe, quae licet primum obducenti firmiſſimis adhaeſionibus necti viderentur, tamen innovatis experimentis eas facillimo negotio a ſexto ſejungere mihi datum fuit. Hanc tamen intercoſtalis nervi cum ſexto facilis ſejunctionis obſervationem ne meam eſſe credatis velim; ipſemet Fontana dum eſſem Florentiae anno 1787 eam mihi, cum nervum a nervo levi manu deduxiſſet, apertiſſime oſtendit. Neque me fugit ex ornatiſſimis hisce auditoribus, aliquem adverſus me urgere poſſe facilem fibrarum ſeparationem non a tenui fibrarum cum ſexto conjunctione, ſed ab earumdem tantummodo ſubtilitate pendere. Quae res licet haud levis momenti ſit, neque tam

 facile

1) *Argumenta et obſervationes Petitianae, a quibusdam hujusce hypotheſis fautoribus allatae ac propugnatae, refulſae omnino reperiuntur, ac uti fallaces declaratae apud ſummos in re Anatomica viros Morgagnum, Albinum, Santorinum, Hallerum, Walterum, Meckelium, Zinnium, nec non apud omnes recentiores clarioresque Anatomicos; ita ut Petiti ſententia, ante noſtrum Auctorem tamquam mera hypotheſis intuebatur, victrici quidem manu confutata.*

facile expediatur, tamen hanc quoque Fontanae dubitationem obſervationes poenitus ſuſtulerunt. Optimis itaque ad id Vitris ſexti, aut quinti ſubſtantia explorata, poſtquam intercoſtalis diviſio peracta fuit, nullum ipſi in quinto, aut ſexto pari lacerationis veſtigium apparuit, nihilque ipſis deeſſe obſervavit, immo eorumdem membranulae, filamenta, ac filamentorum faſciculi ea ſe obtulerunt integritate, ut lacerationis dubium omne excluderent.

Aſt Fontana haud ſatis habuit nervorum nexum, diviſionem, et integritatem in tuto ponere; verum etiam de fibrarum ipſarum inceſſu ſollicitus fuit. Erat ipſi apprime perſuaſum, ſi intercoſtalis a ſexto penderet, fibras reflexas, deorſumque inclinatas eſſe debere, e quibus intercoſtalis initium conſtaret. Hinc tota animi contentione in eo fuit, ut hasce fibras, ſi adeſſent, detegere poſſet. Verum licet maximam adhibuiſſet diligentiam, et undique nervum, et ſingulas ejusdem fibras accuratiſſime exploraret, nullam vel minimam reflexam, ſed fibras omnes recto inceſſu orbitam verſus pergere ipſi tantummodo obſervare datum fuit. Quibus obſervationibus ac ſi parum aſſenſum praeberet, et ſenſibus ſuis non ſatis fidem haberet, alias, atque alias iterum obſervationes inſtituit, quae omnes in idem jugiter convenerunt. Quare admodum rationi conſentaneum eſſe videtur, ſi hinc colligetur, eas fibras, e quibus intercoſtalis initium deducitur, haud a ſexto eſſe, ſed in ſextum ſeſe immittere, ideoque finem illud dicendum eſſe, quod hactenus omnes initium appellabant. Verum licet haec omnia maximi ſint ponderis, tamen in hisce haud conſtitit Fontana, ſed ipſam ſexti paris, et intercoſtalis nervi ſubſtantiam ſibi eſſe perpendendam exiſtimavit. Cum itaque utrumque nervum ad trutinam ſedulo revocaſſet, ac diligenti inſpectione, et tactu exploraſſet, intercoſtalis nervi ſubſtantiam, ſexti et quinti ſubſtantia molliorem eſſe adeo deprehendit, ut diſcrimen apertiſſimum inter utrumque intercederet. Quam rem licet alii accuratiſſimi viri ante ipſum animadverterint, tamen eam nunc iterum confirmaſſe praeſtat, ut ex horum nervorum comparatione etiam a tyronibus quantum intercoſtalis fibrae, de quibus hactenus dictum eſt, a ſexti ſubſtantia diſtent facillime dignoſcatur: nec ſubſtantia tantum, verum, ni ego plurimum fallor, colore etiam a ſexto diſtinguuntur. Si enim optimae lentis ope utriusque nervi colorem perluſtretis, intercoſtalis fibras quodammodo albicantes, diaphanasque, ſexti vero nonnihil cinereas eſſe facile perſpicietis.

Nec fortaſſe a veritate aberraret, qui obſervationes, quas ille inſtituit, fere innumeras eſſe dixerit, quibus intercoſtalis per cranium diramationes poenitus aſſequi poſſet. Neque hic ſermo eſt de illis, quibus intercoſtalis ad quintam, ſextamque cerebri conjugationem defertur; hasce enim jam fuſius expoſuimus; aliae ſunt intercoſtalis diramationes, quarum plures ipſe invenit, atque etiam accuratiſſime delineavit. Ex ganglio itaque cervicali ſupremo, intercoſtalis una cum carotide ſurſum ſcandit, ac deinde in plures, pluresque ramos ſejunctus varias petit partes. Primum tenues, mollesque ramos per carotidem ipſam immittit a Lanciſio diligentiſſime animadverſos, atque aliorum inveſtigationibus propoſitos, quorum plures in minores alios, ac in retis modum quodammodo ſe expandentes in tunicis ejusdem finiri videntur. Hi tamen rami

non

non omnes per arteriam disjiciuntur; bini enim ſurculi non nihil ulterius progreſſi cum ramuſculis conjunguntur, qui e nervoſo trunco diſcedunt, qui ſupra promontorium migrat: faſciculus autem alter ex hoc ipſo trunco profectus cum intercoſtalis ramis per carotidem perreptantibus copulatur: porro intercoſtalis nervus filamenta etiam Pituitariae glandulae tribuit, et alia, quae una cum ſexto usque in orbitam traducuntur. Atque ut redeamus ad adhaeſiones illas, quibus cum Vidiano conſociatur, quinque intercoſtalis fibras diſtinctas video, quae radiorum fere inſtar diſpoſitae eo tendunt, ut omnes in mollem Vidiani ſubſtantiam abeant, quibus ſi ramificationes illas addatis, quarum ope intercoſtalis nervus cum nono, ac octavo pari conſociatur, jam videtis, quot ſint intercoſtalis ramificationes, atque adhaeſiones, quibus non ſolum cum deſcriptis nervis, verum etiam cum ipſa carotide interna, cum ſexto, atque etiam cum quinto conjungitur. Hinc ſi quispiam, hisce omnibus perpenſis aſſereret totidem eſſe intercoſtalis nervi origines, quot ejusdem per cranium, ac potiſſimum per carotidem arteriam ramificationes, atque adhaeſiones ſunt, nonne aſſertum hoc prorſus abſonum et abſurdum eſſe puteretis? Si ita, cur non idem de intercoſtalis fibrarum adhaeſione cum ſexto, ac quinto dicendum? En ornatiſſimi auditores, quo Fontanae experimenta veluti manu ducunt, ut vel inviti, eam non eſſe intercoſtalis nervi originem fateamur oporteat, quae hactenus ac plerisque omnibus venditabatur.

Neque in perquirenda intercoſtalis nervi origine Fontanae inveſtigationes conquieſcunt: innumera ſunt, quae ipſe circa nervorum originem, progreſſum et finem peculiariter obſervavit. Et ne praecario haec dicta quis putet, nemo ante ipſum nervum gloſſo-pharyngaeum una cum quinto, ac nono pari ad linguae papillas adire animadvertit, aliisque apertiſſime oſtendit; ideoque ad nervum hunc quemadmodum noni, ac quinti paris nervi ex cerebralibus guſtus organo inſervire, ipſi jure optimo viſum fuit. Ac ne a propoſito egredi videamur, hoc unum addam quod mecum per literas communicavit, quodque certe maximum eſt, nempe cum in perquiſitionibus ſuis nihil praetereat, ſed omnia cunctanter, diligenterque perpendat, factum eſt, ut non modo ſemel, atque iterum, ſed pluries obſervaverit, aliisque obſervandum praebuerit nervorum vertebralium filamenta haud ad cerebrum usque adire, quemadmodum communis ſententia eſt, ſed prope eum ſpinalis medullae locum finem habere, e quo egredi obſervantur; idque non modo in animantibus frigidi, ſed calidi etiam ſanguinis ſe obſervatum habuiſſe firmiter aſſerit, ac tamquam dogma conſtanter proponit. Ex quibus obſervationibus illud ipſemet eruit maximopere attendendum nempe organum ſenſationum, haud ſolum cerebrum, ſed ſpinalem quoque medullam eſſe, licet Boerhaviani, ac Phyſiologi omnes quoque contrarium tueantur. Utinam tanti Viri Neurologiae, ac Phyſiologiae abſolutum opus haberemus, quod quidem ſe eſſe facturum mihi promittit; quid ab homine non modo anatomico, ſed mathematico, ac phyſico ſummo non expectandum?

Neque hic omittendum, quod noviſſime mihi per literas ſignificavit, ſe poſſe ſibi febrim pro libitu adeo excitare, ut in primo tantummodo horae minuto, pulſationum numerus quinquagies plus ſolito augeatur, ſeque illam poſſe ſuo nutu compeſcere.

Quae res ut nervis potiſſimum tribuenda videatur, ſic ubi accuratiſſimis obſervationibus fuerit confirmata, quantum ad clinicam doctrinam adaugendam juvare poſſit quis plane non videt [2]?

Sed ut ad intercoſtalem nervum redeamus; ſi ejusdem initium hucusque receptum rejiciendum eſt, urget fortaſſe aliquis, quodnam aliud erit habendum? Fortaſſe e gangliis illis, quae a ſumma ſpina ad os usque ſacrum deſcendunt, e quibus Petitus, ac Winslovius ejus initium deduxerunt? certe, licet nos eorumdem ſententiae haud ſubſcribamus opinanti ganglia veluti cerebra quaedam eſſe, e quibus intercoſtalis origines mutuatur; tamen cum hodie receptum habeamus mixtioni, coalitioni, diviſionique nervorum ganglia inſervire, atque deinde ex gangliis ipſis tenues nervorum ramificationes, et veluti radices egredi, quae poſtea craſſiores fiunt, ac in diverſa abeunt, pluribusque inſerviunt partibus; haud admodum rationi contrarium eſſe exiſtimabimus, ſi quis ex radicibus illis, quae gangliis modo memoratis emergunt intercoſtalem nervum, coaleſcere, atque ex iisdem originem ducere arbitraretur. Neque certe ex gangliis illis dorſalibus quinque aut ſex alia ratione radices emergunt, e quibus magnus ille enaſcitur nervus, qui Splanchnicus appellatur. At hic aliquis iterum urget ſi intercoſtalis nervus e ſolis ſpinae gangliis coaleſcit, neque a ſexta, et quinta cerebri conjugatione proficiſcitur, quomodo phaenomena erimus explicaturi, quae et ſpinales et cerebrales nervos inſimul in conſenſum trahunt, atque utramque facultatem nempe motricem atque ſentientem labefactant? Jam ſuperius attulimus plura eſſe ganglia, ſive cervix, ſive Thorax, ſive abdomen ſpectetur, quibus intercoſtalis cum Pari vago conjungitur; hinc ſi iis adhaeſiones cum quinto, ac ſexto pari addantur, jam ſatis intercoſtalis cum cerebralibus coalitiones eſſe intelligetis, per quas, quae animali oeconomiae affectiones contingunt, poſſumus explicare.

Hinc tamen haud vos morabor, ut rem hanc pluribus confirmem, neque id refert Oratione jam exitum verſus properante; exemplis tamen (quantum temporis, et diſſertatio-

2) *Pulſus accelerationem (phaenomenon apprime ſingulare ac fere inauditum, ex quo jure affirmavit Hallerus = numquam cor obedit voluntati, neque pulſum citare datum fuit ulli, nec tardare =) examini nonnullorum obtulit Florentiae Auctor noſter, ac praeſertim ineunte hoc anno clariſſimo viro Thompſonio, Anatomes Profeſſori Oxonienſi perpendendam exhibuit. Ipſe enim, dum inſidens omnino quieſcebat, ad arbitrium Thompſonii pulſum illico accelerabat, absque ulla ſenſibili Muſculorum contractione. Scimus praeterea quod ipſe, voluntatis nutu, pulſum, haud facili negotio aeque retardat, ita ut horae momento octo vel decem pulſationes amittat. Nervorum ſyſtema, cujus influxus in omni Animalium Oeconomia ex hac obſervatione tryumphans elucet, ab Auctoris noſtri laboribus rapidos undequaque progreſſus apprime agnoſcit. Impulit enim ipſe proprias obſervationes usque ad extricanda* Nervorum fila primordialia, vaſculoſam eorumdem naturam *declarandam*, fluidumque, *quo ſcatent* nerveum: *Inventa quidem magni momenti, ac vere originalia, quantum humanis conatibus inconcinna usque huc a ſummis Philoſophis et Anatomicis habita fuere! Hae non ſolum in ejusdem operibus, Florentiae et Pariſiis editis reperiuntur, verum etiam illuſtribus in arte Viris qualibet occaſione ab eodem demonſtrantur, uti contigit inter alios clariſſimo rerum naturalium ſcrutatori* Dolomieu, *necnon illuſtri Anatomico* Scarpa, *quibus datum fuit propriis oculis inſpicere fila Nervorum primordialia, eorumque vaſculoſam naturam, fluidumque, quo ſcatent nerveum.*

diſſertationis hujusce ratio poſtulat) haec omnia illuſtrabimus, ut hinc majus pondus acquirant, et eorumdem veritas in oculos omnium incurrat. Hypochondriaci homines primum vobis exemplum ſuppeditent. Ignorat nemo hypochondriacorum eam eſſe naturam, ut lucem quodammodo effugientes, tenebras quaerant; hominum ſocietati ſolitudinem anteponant; jocoſa lepori conjuncta odio habeant; ſeriis tantummodo delectentur; graves, melancholici extenuati, et quod potiſſimum eſt oculos jugiter languidos habeant, moerentesque aſpectu, ac ſi aſſidue flerent, ac ex eorum oculis invite frequentes lachrymae per genuas dilabuntur. Aſt undenam hae lachrymae? Conſentiunt omnes in hujuscemodi affectionibus abdominis viſcera, lienem nempe et jecur, potiſſimum affecta eſſe; hinc ſi in memoriam revocetis viſcera haec potiſſimum ab intercoſtali nervos habere, et intercoſtalem una cum ſexto lachrymalis glandulae filamenta ſuppeditare, jam intelligitis eſſe ex nervorum vellicatione, compreſſione, aut eroſione in ventre facta affectam iri glandulam lachrymalem, ex qua lachrymae profunduntur. Nec aliunde illorum phaenomena facilius explicabitis, qui Colica Pictonum laborant. In diriſſimo hoc morbo, cujus ſedes in abdomine inteſtina potiſſimum tenet, praeter innumera alia ſymptomata interdum artuum inferiorum, interdum et ſuperiorum, aliquando quorundam muſculorum tantummodo relaxatio obſervatur, verum hujuscemodi relaxationis erit ne cauſſa in cerebro inquirenda? Nequaquam; in hisce enim cerebrum inculpate ſe gerit, et cauſſa inteſtinorum nervis eſt tribuenda. Si memineritis igitur, quae a me vobis dicta ſunt de nervis illis, qui ex intercoſtali profecti, ac in retis modum diſpoſiti per inteſtina diſſeminantur, et nervis artuum ſuperiorum, et inferiorum vinciuntur, jam, ni plurimum fallor, veſtrorum oculis facile obveniet totam reſolutionis cauſſam a nervis hisce compreſſis aut eroſis eſſe repetendam. Neque certe alia ratione et epigaſtrii dolor, et vomitus, nec non aſpera vox et rauca diriſſima Colicae Pictonum ſymptomata facilius explicabuntur, quam ſi ganglia illa attendantur, quibus intercoſtalis nervus in abdomine cum octavo pari conjungitur.

Nonne et eadem dicenda de leviori apoplexia, de paralyſi a vomica intra pulmones haerente, illaeſo cerebro, et absque ullo chylopoieſis et haematopoieſis vitio, quoties ad nervos pulmoniaci plexus confugiamus, qui ex intercoſtali, et octavo pari componuntur? Hujuscemodi paralyſis modo abeuntis, redeuntis modo, ſputis, aut quieſcentibus, aut ingruentibus exempla, apud Hippocratem, et fuſius apud Haenium videre poteſtis. Praeſtantiſſimus hic vir ſe non poſſe hasce obſervationes, aliasque his reſpondentes per intercoſtalem nervum a ſexto, et quinto profectum dilucide explicare plane cognovit, ideoque Petiti dogmate recepto, ita de vulgato habet: *communis explicatio ſyſtematis nervorum, et a me olim, et a plerisque paſſim ad hunc nodum ſolvendum adhibita imperfectior eſt, multa aegre ſolvit, repugnat nonnunquam, relinquit hiatus.*

Paſſim apud Clinicos eorum exempla reperiuntur, quibus ex draſtico medicamento, aut veneno paralyſis ſubſecuta eſt. Vidi ego mulierem, quae e fungorum eſu cum magno ventris μετεωρισμω in paralyſim inciderat, vomitu, diarrhoeaque, cum morbi cauſſam rejeciſſet, brevi priſtinam recuperavit valetudinem. Quid ſi paralyſes

comme-

commemorem a vermibus inteſtinis latitantibus, quid ſi univerſalem torporem a nephritide calculoſa? Quid ſi convulſiones ab iſchuria et dyſuria? Quid tandem ſi linguae dolorem, ſpaſmum, paralyſim a pure thoracem opplente deſcribam? Nonne intercoſtalis nervus, Pari vago conjunctus et per viſcera pelvis, totiusque abdominis atque thoracis, et per linguam, et laryngem excurrit, ipſisque proſpicit? Nonne et lumbaribus, et ſacris, et cervicalibus nervis adhaeret? Si ita nonne ex hisce effulget ratio, qua ſymptomata haec, et rectius, et facilius per intercoſtalem a gangliis thoracis, ac ventris, nec non a cervicalibus, et ſacris, quam a ſexto profectum explicentur? Neque huic ſententiae quidquam obſtat, ſi in hisce affectionibus non raro caput dolore, aut ſtupore afficiatur; nam haec quemadmodum et ſuperius expoſita a praecipua cauſſa intra thoracem, aut abdomen latitante pendentia aptius per intercoſtalis radices ſexto, et quinto applicitas explicantur, quam ſi ab hisce tantummodo haec tantorum phaenomenorum leges deduceretur. Plura alia haec eadem comprobantia in medium afferre poſſem, niſi longiori ſermone patientia veſtra nimis abuti vererer. Si itaque ea, quae de intercoſtali nervo breviter hodie dicta ſunt (fuſius alias me de hoc ipſo differentem audiviſtis) ſi experimenta Praecl. Fontanae, ſi obſervationes haec eadem comprobantia, quo eſtis ingenio atque ſedulitate in unum colligetis, attenteque perpendetis, me iis omnibus, quae ab initio propoſueram, ſi non pro viribus ſatisfeciſſe, ſaltem me eo perveniſſe perſpicietis ut quid hac in re judicandum ſit plane dilucideque cognoſcere queatis. Haec nova, quae in anatome proferuntur, vobis meridiana luce clarius demonſtrant anatomes provinciam fere inexhauſtam eſſe, ejusdemque limites adeo late patere, ut plura adhuc ſuperſint aut tenebris involuta, aut imperfecto expoſita, quae novos adhuc anatomicorum labores expoſcunt. En, ornatiſſimi auditores, cur nova haec hodie in medium attulerim ut ex iis, quae in hac ſolemni anatomes proluſione vobis ſunt patefacta, ſumatis animos, ſive ad ea addiſcenda, quae in anatome traduntur, ſive ut laboribus veſtris peculiaria obſervando novis frondibus tandem tempora praecingatis. Dixi.

VI. DEME-

VI.

DEMETRIUS IWANOFF DE ORIGINE NERVORUM INTERCOSTALIUM.

ARGENTORATI 1780.

§. I.

Nervi intercoſtales, improprie dicti, ſunt illi duo praegrandes nervi, qui juxta partes laterales omnium corporis humani vertebrarum, immediate ante apophyſium transverſarum radices, ac denique ſecundum laterales faciei internae oſſis ſacri partes ſuam poſitionem occupant.

Hoc ſpatium dum emetiuntur, duos longos funiculos repraeſentant, unum a dextro, alterum a ſiniſtro totius vertebrarum ſpecus latere ſitum, qui in magnum tumorum gangliformium numerum per intervalla intumeſcunt. Mediantibus hisce gangliis anterius innumeros producunt ramos; poſterius vero cum omnibus nervis cervicalibus et dorſalibus a medulla ſpinali ortis; lumbaribus et ſacris a cauda equina ſuam originem petentibus per fila lateralia communicationes alunt [1]); alunt etiam inſignes cum nervis cerebri. Prima haec communicatio eorum in cranio contingit, dum cum ſexto quintove pari ejusque ramo ſecundo coaleſcunt. Extra cranium occurrit, ſecunda, quae ibi per fila brevia fit, ubi ganglion eorum primum cervicale cum trunco octavi paris quaſi conjungitur [2]). Dein tertia cum ramo ejusdem paris, quem ad laryngem mittit,

1) Medullam ſpinalem a capite ad *os ſacrum* usque deſcendere intra canalem a vertebris efformatum olim credidere: verum illam ad primam duntaxat lumborum vertebram pertingere ibique in apicem definere ab Anatomicis recentioribus evictum eſt. Quae a ſecunda lumbari vertebra ad finem usque oſſis ſacri cavea invenitur, eam non medulla occupat continuata; ſed replent nervi, ex imo dorſo demiſſi cum arteriis et venulis atque ita congeſti, ut caudam equinam quaſi repraeſentent. Haec cauda his conflata nervis atque cum fine medullae ſpinalis confuſa, falſo pro hujus medullae parte habita fuit, neque enim ejus ſeries continua eſſe poteſt, cum illa in prima lumborum vertebra finem habeat, qui hujus rei clariorem ideam animo effingere voluerit, adeat 1° Eustachium videatque ejus tab. 17. f. 2. 2° Bartholinum, *in Anatomia* pag. 23. 3° Arniseum, de partu—— pag. 256. 4° Vieussenium, tab. 20. f. 2. 3. et tab. 21. 5° Cl. Huberum, qui videtur in hoc opere omnibus palmam praeripuiſſe, pag. 56. f. 2. faſc. 7. tab. 4. 5.

2) Vide Tractatum Winslovii *de nervis* pag. 219. n. 370.

mittit, quique portio parva octavi paris nominatur [3]), tum quarta cum nono pari aut hypogloſſo per filum, per duo interdum, a ganglio cervicali primo oriunda [4]). Tandem quinta cum quinto pari atque tertio ejus ramo ſub maxilla inferiore circa glandulam maxillarem ramuſculi molles horum nervorum confluunt cum ramis hujus paris [5]). Caeteras mitto conjunctiones, quibus intercoſtalium rami cum ramis octavi paris in pectore et in infimo ventre coëunt paſſim, atque plurimos ſimul plexus et ganglia quaedam producunt.

§. II.

Ex his communicationibus adeo multivariis eluceſcit nunc nobilitas, dignitas et utilitas nervorum, de quibus ſermo: cerebrum enim et medullam ſpinalem, utramque partem adeo nobilem, cum corde et viſceribus abdominalibus tam arcto multiplicique nexu conjungunt, ut nullum paulo majoris momenti viſcus ſit, quo cum ratione quadam commercium non habeant. Quapropter ſi explicanda venit mira illa viſcerum ſympathia, ſi cauſſa vomitus nephritici, ſi hyſterici mali ab utero ad ſuperiora progreſſus, horrorum febrilium ſedes, et quot alia phaenomena miratu digna! ex horum nervorum conjunctionibus debent enucleari.

Recte itaque Winslowius illis ſympathicorum magnorum nomen aſſignavit [1]); tum ut diſtinguerentur a ſympathico medio, quo ſub nomine octavum par venit; tum a ſympathico parvo, qui ſeptimi paris eſt portio dura; diſcriminarentur [2]).

§. III.

Intercoſtalium notitia adeo eſt antiqua, ut ad Hippocratis usque tempora, ſi fides Hallero, [1]), revehatur. Exinde fluxerunt variae reſpectu originis eorum ſententiae,

3) *Ibidem.*

4) In eodem Tractatu. Ill. Hallerus iſtos communicationis ramos, quos Winslowius a ganglio primo cervicali nervorum intercoſtalium ſecedere, atque cum octavo nonoque pari conjungi putat, potius conſideret tanquam ramos ab octavo nonoque pari ſecedentes, qui huic ganglio copulantur; eos tamen eſſe genuinos intercoſtalium ramos ipſiſſimis oculis vidi. Illud idem mollities eorum atque rubicundus color confirmat. Vide Halleri *Elementa Phyſiologiae* Tom. IV. Sect. VI. pag. 255: ubi ſpecialiter tractat de omnibus ramis in hoc ganglion primum cervicale nervorum intercoſtalium ſe immittentibus; et vice verſa de illis loquitur ramis, qui ab hoc ganglio ſurgunt.

5) Ita Winslowius in eodem Tractatu.

1) Hic *illuſtr. Anatomicus* omnem ejusmodi nervum, qui plures cum aliis communicationes alit, Sympathici nomine inſignire duxit ſatius: quoniam autem nullus in corpore humano datur, qui tot cum nervis confluat; ideo expuncto nomine intercoſtalium, quod competere illis minime videtur, cum non ad coſtas ſolas ſint ſiti, eos ab effectu Sympathicos magnos nominavit. Octavum quoque par et portionem duram ſeptimi paris hoc nomine ſalutavit: quoniam primum cum nervis intercoſtalibus in thorace et abdomine coit paſſim, omnibus viſceribus aliisque fere partibus ramos largiendo; et plurimos plexus atque ganglia quaedam ſimul producit; alterum vero cum quinto pari perpetuo et multivarie conjungitur.

2) De differentia Sympathici dextri a ſiniſtro reſpectu diſtributionis ramorum hic tractandi locus fuiſſet, ni utriusque originem rimari praeprimis conſtituiſſem. Iſtius itaque diſcriminis curioſos ad Neubauerum mitto.

1) Vide Diſſertationem *de vera nerv. intercoſt. origine, quae operibus ejus minoribus inſerta,*

ſententiae, quas in ſcriptis ſuis protulerunt Anatomici fama notiſſimi: harum praecipuas recenſere, tum pro viribus in hisce pagellis refutare animus eſt; ac proinde novam in medium opinionem proponere.

§. IV.

Auctores qui de ſympathicorum magnorum origine ſcripſerunt ante GALENI tempora, eos ex vicinitate ganglii intercoſtalis primi cum octavi paris nervi naſci tradiderunt ſcriptis; atque eos tanquam alterum octavi paris ramum interiorem habuerunt. Quam ad opinionem ideo confugiſſe videntur, quoniam hoc ganglion cervicale primum per fila brevia arcte cum hoc pari conjunctum animadverterunt. Verum hanc ſententiam nullo fundamento gaudere ab ill. HALLERO ſatis ſuperque demonſtratum eſt [1]). Neque vero in ea mente fuit GALENUS ex quo Anatomiam colere cepit, animadvertitque ſympathicos noſtros cum carotidibus e cranio egredi: hic enim tunc a quinto pari nervorum eos ſurgere pronunciavit; cujus ſententiam amplexi ſunt ORIBASIUS, RHAZES, CARPUS, GABRIEL A ZERBIS, MASSA atque PARAEUS [2]). Neque praedictis auctoribus adverſantur VALSALVA et RAVIUS, cum illud ſibi contigiſſe teſtentur, ut eos a ſolo quinto pari oriundos viderint [3]).

§. V.

Contraria via inceſſerunt alii, et a ſexto nervo duntaxat contenderunt intercoſtales originem ſuam trahere, nihilque a quinto pari pro eorum radice conſtituenda proficiſci autumaverunt. Inter hos militavit ACHILLINUS [1]), EUSTACHIUS [2]), MORGAGNIUS [3]), SANTORINUS [4]), WALTHERUS [5]), ALBINUS [6]) atque illuſtr. HALLERUS [7]).

 §. VI.

inſerta, *nimirum* Tom. I. pag. 503. n. 11. ubi ſic legere eſt: in thorace juxta vertebras nervi intercoſtales evidenter et fere absque ulla praeparatione apparent: antiquiſſimam adeo eorum cognitionem fuiſſe non valde mirum eſt, quos HIPPOCRATES aut auctor certi libri inter Hippocraticos reperiundi adeo luculenter deſcripſit.

1) Videatur de ea re HALLERI Diſſertatio, pag. 502. n. 4. atque etiam ejus *Phyſiologiae Elementa* Tom. IV. pag. 255. ibi legere eſt haec verba: „id tamen cum octavo „vinculum (*nimirum hujus ganglii primi Cervicalis nervorum intercoſtalium*) non eſt „ejusmodi, ut oportuerit nervum intercoſtalem pro octavi paris parte et interiori „quodam ramo habere, ut quidem olim „magnis viris excidit GALENO, CAROLO „STEPHANO, FALLOPIO, DOMINICO DE „MARCHETTIS, et RICHARDO LOVER. in „animalibus quadrupedibus arctior hujus „ganglii cum pari Vago nexus eſt; neque „tamen in omnibus."

2) Conf. eandem Diſſertationem HALLERI, ubi quoque auctores hos enumerat, qui GALENUM ſecuti ſunt, quos fateor me non evolviſſe.

3) Quod attinet ad iſtos duos auctores, eorum teſtimonium de hac re exſtat in Epiſtola ſecunda *ad Morgagn.* pag. 224.

1) Vide Diſſertationem HALLERI proxime indicatam, in qua aſſeverat, quod hic vir a ſolo pari ſexto naſci crediderit.

2) Vid. ejus tabulam XVIII. f. 2.

3) *In adverſariis Anatom.* pag. 30. et *in Epiſtola ſecunda* pag. 224.

4) *In Obſervat. Anatom.* pag. 67.

5) In *progreſſu nervorum intercoſtalium.*

6) Hanc ſententiam ſe ex ALBINI ore hauſiſſe fatetur ill. HALLERUS in Diſſertatione citata.

7) Eam Diſſertationem de induſtria ſcripſit,

§. VI.

Derivarunt eos Lancisius [1]) et Bidlous [2]), a quinto, ſexto et ſeptimo pari; imo ab omnibus quotquot ſunt in cranio nervis. Quod ſane contra omnem omnino fidem clariſſimi viri propoſuerunt.

§. VII.

Ad veritatem propius acceſſiſſe reputantur alii quam plurimi, dum ſinceram eorum originem a ſexto et ſimul quinto pari e cranio deducerent. Primus hanc ſententiam condidit Willisius [1]), quem Collinsius [2]), Vieussenius [3]), Cowperus [4]), Ridleus [5]), Verheynius [6]), Bourdon [7]), Blancardus [8]), Munniks [9]), Palfyn [10]), Drake [11]), Bianchi [12]), Monro [13]), Heisterus [14]), Commentator ejus [15]), La Charriere [16]), Nicholls [17]), Meckelius [18]), Neubauerus [19]) aliique innumeri, nec non hodierni fere omnes Anatomici ſecuti ſunt.

§. VIII.

Dum hos ipſos ramos, quos a ſexto et quinto pari ſecedere atque primas radices ſympathicis noſtris ſuppeditare imaginabatur Williſiana cohors, attento magis animo ſcrutaretur Petitus, clarus olim Pariſinorum Medicus; dum ſtructuram eorum adeo ſingularem, progreſſum a ſuperioribus ad inferiora, ſuo privo modo comparatum, neque ſit, ut nullum ramum a quinto pari pro conſtituenda horum nervorum radice proficiſci confirmaret: errorem putat ab iis, qui hanc radicem ſe ſe vidiſſe crediderunt, in eo commiſſum; quod radicis loco arteriolam acceperint, quae ſub nervi ſpecie ſollicitis etiam Anatomicis impoſuit, quodque ſi verum fateri licet, non raro occurrere ſolet.

1) *De gangliis* pag. 105. 106.

2) Fide ill. Halleri loquor; ſiquidem Bidloum comparare nequivi; teſtatur autem ill. Hallerus, hunc auctorem eandem tenuiſſe opinionem, quam fovebat Lancisius.

1) *De Cerebro et nervis* p. 153. 154. 156. ait etiam Hallerus in ſua Diſſertatione: „Willisius fuit primus, qui nervum in„tercoſtalem ex hominum memoria a pari „vago ſeparavit, veramque a ſexto pari ra„dicem adgnovit. Addit praeterea“ neque tamen ita ſibi cavit, quin adderet praeter unam duasve a ſexto pari, duas adhuc alias aut unicam a quinto advenire. Quod contra Hallerum eſt.

2) Ex aliquot *ramis ſexti paris et uno quinti intercoſtales nervos oriri contendit*, pag. 1048.

3) Vid. ejus *Neurograph.* tab. 22. 23.

4) *Anatom. of hum. body.* f. 16.

5) *Icon tota* Cowperi illud exprimit pag. 147. 148. f. 2. etc.

6) *Tr.* 3. Cap. 13.

7) *Deſcript. Anatom.* pag. 384.

8) *Anatom. reform.*

9) *De re Anatom.* pag. 172.

10) *Anat. Chirurg.* pag. 22.

11) *Antropolog.* pag. 293.

12) Apud Manget *in Theatr. Anatom.* pag. 315.

13) In Cheseldeni ſcriptis pag. 233. 235.

14) *Compoſit. Anat.* not. 70.

15) Pag. 664.

16) *Anatom. de la tête*, pag. 226.

17) *Compoſit. Anat.* pag. 142.

18) *Hiſtoire de l'Academie royale de Berlin*, année 1759. pag. 88.

19) In Diſſertatione inaugurali, in qua tractat *de differentia nervorum intercoſtalium reſpectu diſtributionis ramorum.*

neque in aliis nervis e cranio oriundis unquam obſervatum; hanc ſententiam invertendi conſilium cepit. Itaque eosdem ramos, quos WILLISIUS cum praedictis Anatomicis a nervo ſexto quintove deſcendere ad primum ganglion cervicale crediderat; aſcendere potius ab hoc ganglio in cranium, ſeſeque dictis paribus ſociare exiſtimavit [1]).

§. IX.

Quaeri jam poſſet ex diverſarum adeo ſententiarum copia quae nam ſit verior? cui quaeſtioni nunc reſponſum dare arduum eſt; prius enim oportet per multa excurrere, illud tamen praemonere animus, et ſi ab HALLERO, MECKELIO, aliisque tot praeclaris viris diſſentiam, nolle me hanc ob cauſſam injurius videri in eos, quorum cum nomina tum ſcripta ſemper in memoriam cum ſuavitate revoco. Minime tamen aequitas ſinit, ut eos ſuffragio proſequar, quorum ea mens eſt, ſympathicos magnos ad cerebri nervos debere referri; quique illos tam a ſexto, quam a quinto pari in cranio oriri contendunt.

Excitaverat quidem in me haec ipſa origo illius inveſtigandae miram cupiditatem, ex quo Anatomiam colere cepi; ea de cauſſa factum ut auctores plurimos evolverem; ſed hac opera nihil ſatisfactum; cum unusquisque non veritatem ſcrutari modeſte, ſed plena ſibi manu praeconia tribuere videretur. Ergo ad ſingula propriis viribus luſtranda me accinxi: quamobrem neque ullam occaſionem praetermiſi, qua liceret hos nervos rite diſſectos tam in demonſtrationibus publicis, quam in privatis ſollicite intueri; neque mihi a ſubtili diſquiſitione temperavi, et hieme una duabus vicibus ipſe hos nervos tum incidi, tum ſedulo introſpexi.

Quid tum? viſa eſt PETITI ſententia, etiamſi ab omnibus fere celeberrimis ſeculi noſtri Anatomicis rejecta, multo caeteris veriſimilior. Quod ut clarius appareat, rem ex omnibus partibus pertractabo. Inquiram igitur in id penitius, quem nam, habita quinti et ſexti paris ratione, ſitum retineant illa fila, a quibus ſympathici magni initium ſumere reputantur: atque ut per ſingula excurram, a deſcriptione ſexti paris ordiar, a quo primam horum nervorum radicem derivare ſolent; illam dein expendam diligenter, quam par quintum ſuppeditare creditur.

§. X.

Sub nomine ſexti paris nervorum cerebralium intelliguntur illi nervi, qui ab unione medullae oblongatae oriuntur inter craſſam protuberantiam transverſalem atque eminentias olivares; dein progrediuntur quisque in ſuo latere ſeſeque ſupra extremitatem proceſſus cuneiformis, retro occipitis cum ſphenoide oſſe ſymphiſim in duram matrem lateraliter inſinuant: in hac cavernoſa durae matris duplicatura repunt poſtea ad latus tum fundi ſellae ſphenoidalis, tum arteriae carotidis cui arcte adhaerent, ibique cum nervo vicino quinti paris, mediantibus filamentis brevibus, communicationes alunt.

 Retro

1) *Hiſtoire de l'Academie royale des Sciences de Paris*, année 1727. — cf. Cl. WRISBERG de nervis pharyngis hor. ſcript. nevr. min. III. p. 61. et GIRARDI ibid. p. 82. L.

Retro hanc communicationem atque foramen caroticum, per quod cranium ſubit arteria carotis, nervus hic ſexti paris, uti in uno, ita et in altero latere filo adhuc inſtruitur: et hoc eſt illud ipſum filum, quod tanquam prima ſympathici magni radix ab illis habetur, qui eum ex cranio derivant; quin ab anteriori retrorſum procedere, ſeque in foramen caroticum immergere creditur.

Aſt quoniam hoc filum in ſenſum rami ad truncum prorſus contrarium poſitum eſt, relate ad hunc ſextum nervum; ſiquidem angulum conſtituit cum eo, cujus lata pars aut baſis verſus originem ejus, acuta vero verſus ulteriorem illius ad oculum progreſſum ita ſpectat, ut videretur certe ab illa ſexti nervi portione ſurgere, quae oculum adit: quoniam praeterea ob angulum hunc verſus anteriora adeo acutum, non poteſt pro retrogrado quodam filo haberi; ideo Petitus hoc idem filum a ganglio primo cervicali per foramen caroticum cum arteria ejusdem nominis aſcendere, ſexto ſociari nervo, atque hujus portionem, quae ad oculum progreditur, ſequi potius credidit. Idem rerum ordo pluries obſervatus in eandem opinionem me traduxit.

§. XI.

Quod haec res vere ita ſe habeat, auctor novo, eoque graviori argumento confirmat. Nimirum illud ipſum filum, quod antea deſcripſimus, ſextum nervum in duas quaſi portiones dividit: altera ejus portio illa haberi poteſt, quae ab origine ipſius mei nervi procurrit ad hoc usque filum; altera vero quae ab hoc filo ad oculum progreditur. Atqui praeclarus auctor hanc poſteriorem in diſſectionibus ſuis priori ſemper craſſiorem reperit; nihil igitur dubitans, hanc portionem ſexti nervi ab acceſſu hujus fili a nervo intercoſtali aſcendentis craſſiorem reddi aſſeverat. Et vero ſi hoc filum a nervo ſexto ſurgeret, juxta naturae leges, ea portio, antequam illud ſecedat, majus volumen retinere deberet: quod nunquam accidit.

Porro quod haec portio ſexti nervi, quae oculum adit, poſt conjunctionem hujus fili craſſior ſit, illud animadverterunt adhuc praeter hunc Petitum, cujus argumenta nunc propono, Petitus minor, Winslowius et Bonhomme, juxta illuſtr. Halleri verba. Eandem ego ipſe fabricam pluribus vicibus intentis oculis contemplatus ſum. Tot teſtimonia debent omnem erroris ſuſpicionem removere.

§. XII.

Tranſeamus porro ad illam radicem, quam a quinto pari credidere proficiſci.

Quintum itaque par, aut nervi trigemini, quoniam in tres principales ramos dividuntur, dicuntur illi, qui anterius e partibus lateralibus protuberantiae transverſalis medullae oblongatae per plura fila arctiſſime ſibi invicem agglutinata oriuntur. Quilibet horum truncorum verſus apicem oſſis petroſi in ſinum cavernoſum ſe inſinuat: hic deinde in tres principales ramos dividitur, ut jam diximus, qui per hunc ſinum progrediuntur; illudque ut in uno, ita fit et in altero latere.

Primus horum ramorum ſive ſuperior nervus ophthalmicus audit, quoniam accedit ad oculum et in muſculis ejus diſtribuitur.

Secundus,

Secundus, ſive medius, per foramen rotundum oſſis ſphenoidis ſeu maxillare ſuperius excurrit; et quoniam diſpartitur in maxilla ſuperiori, nervus quoque maxillaris ſuperior appellatur.

Tertius ramus, ſive inferior, per foramen ovale ejusdem oſſis ſeu maxillare inferius deſcendit; atque ideo maxillaris inferior nominatur.

Minus hic a ſcopo aberrarem, ſi varias et miras conjunctiones evolverem, quas intra ſe fovent hi rami, poſtquam e cranio egreſſi ſunt. Verum de ſecundo ramo hujus paris neceſſario agendum; quippe ab hoc altera ſympathicorum magnorum radix ſurgere creditur. Et en quomodo!

§. XIII.

Poſtquam hic ſecundus quinti paris ramus in foſſam pterygopalatinam egreditur, ex ſe duos ramos dimittere ſolet, qui ſaepiſſime in unum coeunt, quique in pinguedine, qua ut plurimum repletur haec foſſa, retro arteriam naſalem ſuperiorem deſcendunt, atque in progreſſu ſui itineris ſupra partem ſuperiorem faciei convexae ſinus maxillaris infra ſphenomaxillarem foſſam et pone arteriam naſalem, modo duabus radicibus inceperint, inter ſe copulantur. Surgens ex hac copula nervus progreditur ulterius, et circa foramen palatinum anteriora et poſteriora verſus incurvatur, atque quam proxime hoc foramen ganglion efficit, cujus inventionem ill. Meckelio debemus, huic ganglii ſphenopalatini nomen indidit, quoniam prope foramen ſphenopalatinum ſitum eſt [1]). Ab hoc ganglio ſphenopalatino ſurgunt plurimi rami, quos in Diſſertatione ſua Meckelius enumerat: inter quos ramus retrogradus adeſt, Vidianus aut pterygoideus dictus, qui ab extremitate hujus ganglii poſteriori oritur, quam canalis pterygoidei aut Vidiani ab inventore dicti foramen contingit.

Hic Vidianus nervus recta fere per hunc canalem ſupra alas oſſis ſphenoidis inſculptum pergit retrorſum; largitur progrediendo ramos naſales ſuperiores poſteriores, reliquoque trunco in cranium redit, atque tandem in itineris fine in duos ultimos ramos dividitur, alterum ſuperiorem aut petroſum a ſitu nominandum, qui communicat cum portione dura ſeptimi paris, eſtque illius vera propago; alterum profundum, qui pro altera Sympathici magni radice habetur.

Crediderunt nimirum clariſſimi Viri, quibus placuit nervum intercoſtalem noſtrum e cranio derivare, hanc praedictam radicem immittere ſeſe in canalem caroticum, atque cum ea, quam ſextum par ſuppeditat, radice ita ſociari, ut intercoſtalis nervus exinde producatur.

§. XIV.

Circa primam illam radicem, de qua ſermonem antea fecimus, facilior fuit erroris demonſtratio: ſiquidem et angulus conjunctionis ejus cum ſexto nervo, et craſſities

1) Vera itaque hujus ganglii poſitio intra maxillam ſuperiorem et alas pterygoideas ſtat, in foſſula adeo anguſta, et tam copioſa pinguedine circumdata, ut in cauſſa fuiſſe videatur, quam ob rem hoc ganglion anatomicos tam diu latuerit, a quibus forſan ſaepe cum ea pinguedine ablatum fuit.

crassities hujus nervi aucta in ea portione, quae procedit oculum versus, argumenta sunt adeo clara, ut victrix PETITI sententia hucusque sapientibus placere debeat.

Ast res non ita se habet cum hoc filamento, quod VIDIANO nervo conjungitur: nihil enim tale quidpiam in conjunctione ejus occurrit, quod in filo ad sextum nervum accedente videbamus.

Nihilominus illud PETITUS pro ramo nervi intercostalis habet; at vero nullis argumentis innixus, falsa veris potius immiscuit, quod ut rem sincere fatear, minime mirum est; quippe et ganglion sphenopalatinum, et originem, progressum ac divisionem nervi VIDIANI ignoravit, eumque pro aliquo nervo quinti paris a superioribus descendente, non vero pro retrogrado recepit: qua propter in observatione sua respectu radicis hujusce quam ab hocce VIDIANO nervo deducunt hodierni, aliud nihil, nisi eam pro ramo quinti paris haberi non posse proposuit, quoniam ait: eundem angulum servat haec radix, quem ista quae sexto nervo copulatur. Quod cum revera non contingat, seposito in utili argumento, imo erroris pleno, quaedam in ejus locum pro viribus substituere conabor.

§. XV.

Omnis difficultas in eo consistit, quod statim enarrabo. Postquam nimirum hoc filamentum, de quo sermo, aut vera propago nervi intercostalis propter communicationem cum hoc VIDIANO nervo cranium ingreditur; retrogrado quasi modo ab hoc canali progreditur versus anteriora, et demum occurrit nervo VIDIANO, qui etiam a suo ganglio sphenopalatino posteriora versus retrogrado modo procedit, sicque conjungitur cum eo, ut non nisi unum continuum VIDIANUM ramum, absque sensibili crassitiei ejus incremento constituere videatur. Hinc dubium illud controversiaque exorta est, num pars nervi VIDIANI sit, num vero intercostalis? Qui sunt itaque PETITI sententiae adversi, non vident manifeste quapropter hoc filum pro ramo profundo nervi VIDIANI habere nequeant: nam neque situs ejus est contrarius, neque divisioni naturali nervorum cerebralium repugnat, quum a retrogrado nervo illud oriri supponant. Sic patet, hoc filum non ita se habere, quemadmodum illud, quod sexto nervo conjungitur.

Sic itaque ratiocinantur; si filum hoc aut ramus profundus esset pars nervi intercostalis in cranium adscendens atque cum nervo VIDIANO se conjungens, ad minimum hic VIDIANUS ramus in junctionis loco crassior esse deberet, quam in sua origine; observatur autem in origine sua multo crassior: non congruit ergo naturae legibus, ut hicce VIDIANUS ramus hoc filamentum accipere dicatur.

Haec objectio, quam proposuit illustr. MECKELIUS ad illud filum forte alludens, quod sexto cum nervo conjungitur, primo intuitu vera videtur: non perinde tamen recta: responderi namque potest crassitiem hujus nervi in coalitus loco ab accessu hujus fili augeri posse (et re ipsa augetur) quin tamen istam superet, qua hic VIDIANUS nervus in initio gaudet: pendet autem illud tum a diverso aut contrario hujus nervi progressu, tum a proportione hujus minimi fili ad nervum VIDIANUM crassum: illud enim

enim valde tenue eft, atque multo fubtilius finali ifta nervi VIDIANI portione, in quam inferitur.

Praeterea hoc filamentum, quod eft nervi intercoftalis vera propago, pro parte nervi VIDIANI confiderare non finit caftum ratiocinium: et fi enim perpetua fere lege filum, quod fexto cum nervo coit, faepiffime duplex, non raro triplex, illo fit majus, quod conjungitur cum nervo VIDIANO, quodque duplex raro invenitur; ab uno eodemque trunco nihilominus oriuntur: quare fi majora filamenta pro nervi intercoftalis parte habenda effe, validiffimis argumentis evicti fimus; quare minoribus eandem praerogativam denegaremus?

Eundem ramum ex vagina canalis carotici jam dudum deduxit clar. SCHMIDELIUS, fibique inventionem ejus vindicare tentavit atque in figura expreffit.

Duxit me adhuc propius ad veritatem in tanta rei obfcuritate nervorum horum color. Nimirum juxta opinionem eorum, qui nervos intercoftales ab hoc VIDIANO nervo derivant, eum vidimus in duos ramos ad finem fui progreffus dividi, fcilicet unum fuperficialem aut petrofum, alterum profundum, de quo nunc agitur, quique pro altera intercoftalis radice habetur. Porro quum in confiftentia, tum in colore horum duorum ramorum differentiam quandam obfervavi: primus enim aut fuperficialis evidenter ad habitum durior, colore gaudet albido, quo ipfe VIDIANUS nervus; cum alius profundus ramus, quem tanquam radicem confideramus, et ad tactum mollior fit, et colore rubicundo nervis intercoftalibus proprio ab altero diftinguatur. Exinde conclufionem elicere pronum fuit; etenim fi profundus hicce ramus effet nervi VIDIANI foboles, eundem ipfi ac petrofo natura colorem induxiffet: quae cum ita non fint, hanc potius effe veram intercoftalis propaginem in cranium afcendentem atque cum VIDIANO coeuntem affirmare liceat.

§. XVI.

Haec fuerunt argumenta fpecialia: nunc generalia fequuntur. Ac primo quidem veram intercoftalium originem a fexto quintove pari deducere non finunt integumenta. Omnibus nervis in cranio ortis atque extra illud egredientibus commune eft non tenuiffima folum membrana, pia dicta, obvolvi, qua ab origine ad finem usque illos contineri non improbabile eft; fed etiam duriori velamento a productionibus durae matris oriundo cinguntur: quod tamen eos, praeter opticum, omnes deferere folet, quam primum illi per foramina fua e cranio elapfi funt; ut in exteriori cranii fuperficie reflectatur plerumque atque cum periofteo coeat. Accedit tum aliqua robuftae atque albae vaginae imago, quae in ulteriori progreffu hos nervos obvolvit et cuftodit.

Aft quoties in hanc partem nervorum intercoftalium inquifivi, qua a dictis paribus per foramen caroticum ad ganglion cervicale primum defcendere reputantur; toties inveni eam molliffimam, atque his integumentis a dura matre accedentibus prorfus deftitutam. Horum loco obvolvit eam tenerrima quaedam cellulofitas a texto durae matris multo ftrictiore diverfa; quaeque ut mihi vifum eft ab ea non differt, qua fanguifera vafa teguntur.

Hallerus in refutanda eorum opinione, qui dura cerebri membrana totum nervum obvolvi ſtatuerunt, eadem teſtatur [1]) utcunque ait: „antiqua eſt haec opinio et „aliquam veri ſpeciem habet, a vero tamen aliena eſt. Primumque poterat ipſe ner- „vus intercoſtalis meliora oſtendiſſe, qui adeo manifeſto absque dura membrana mol- „liſſimus per foramen carotidi internae deſtinatum migret: ut evidentiſſime eam caro- „tidem non nervum toties minorem ea durae membranae vagina ambeat." Neque tamen opinionem Hallerus, reſpectu originis eorum, mutavit, eosque ſemper e cranio deſcendere credidit. Qua in opinione permanendi occaſionem illuſtri viro dederunt fortaſſe alii nervi molles, in canalibus oſſium cranii hinc inde absque dura membrana diſtributi; quemadmodum in ſuo canali nervus Vidianus, portio mollis ſeptimi paris aliique quos enumerare neceſſum non eſt. At intereſt in ea re plurimum diſcriminis; illi ſiquidem nervi extra cranium cum non egrediantur; minime indigent his integumentis.

§. XVII.

Non repetam hic quae antea propoſui, naturam nempe praedictis radicibus alios induiſſe colores ac ſexto Vidianove nervo, a quibus initium ſumere reputantur: gaudere enim hos colore albo, has vero rubicundo jamjam praemonebam, cujus phaenomeni in praeparatione nervorum teſtis oculatus fui, cum incipiendo a ganglio primo cervicali, et ita ad ſextum Vidianumve nervum progrediendo intercoſtalium originem rimarer. Hanc tamen colorum differentiam, quae inter ſextum nervum et filum ad ſe accedens intercedit, primo intuitu non adeo manifeſte apparere fatendum eſt; ut aſſertum meum quibusdam erroris plenum videretur, inde autem mali labes: haec namque ſexti portio, quae cum iſto filo aſcendente conjungitur, in ſinu cavernoſo durae matris progreditur, atque ita cruore quaſi inundata rubicundo videtur colore gaudere. Aſt omnem fraudem brevi detexit lotio; quae in conjunctione cum nervo Vidiano minime locum habet; cum hoc diſcrimen ſit tunc temporis absque lotione ulla valde conſpicuum.

§. XVIII.

Nova obſervatio clariorem adhuc dictis lucem affundet. Et vero quotiescunque ganglion cervicale primum nervorum intercoſtalium attente conſideravi; toties inveni illud in inferiori ſua parte craſſius, tenuius vero in ſuperiori et longius: tandem in truncum abire vidi, qui colorem ganglii ſervans, quo magis in foramine carotico aſcendit, eo gracilior redditur, ac poſtea in plurima circa carotidem filamenta ſaepiſſime dividitur, quorum quaedam minutiſſima et ſcalpello ſecari neſcia in arteriae membranis evaneſcunt, dum aſcendunt craſſiora alia ſeque cum ſexto et Vidiano nervo conjungunt.

Lectoris fidem! an non nervorum intercoſtalium aſcenſum in cranium declarat et confirmat hic ganglii primi cervicalis ſtatus, tum exitus in truncum colorem ganglii conſervantem, atque diviſio in filamenta, quae partim evaneſcunt in arteria, partim cum

1) Vide ejus *Phyſiolog. Elementa* T. IV. L. X. pag. 191.

cum dictis paribus conſociantur? namque ſi iſtam eorum partem, quae a ganglio noſtro incipit deſinitque in paribus quinto et ſexto, pro parte ab illis deſcendente potius acceperis; ſtatim quaeſtio ſolutu difficilis moveri poteſt, nimirum unde rubor trunci? unde iſti ramuli qui in carotide deſinunt aſcendendo, nullumque cum ſexto et VIDIANO nervo commercium alunt?

§. XIX.

En argumenta, quae ſuppeditavit Anatome, quaeque mihi videntur intercoſtalium aſcenſum extra omnem dubitationis aleam ponere. Anatomicis phyſiologica ſociavit et PETITUS, ut eandem veritatem a ſe detectam firmius ſtabiliret: quae hoc loco praetermittere foret alienum.

Quoddam fluidum nerveum aut, quod idem eſt, ſpiritum animalem in omnibus regni animalis corporibus adeſſe ſupponunt phyſiologi: hunc in cerebro praeparari, in hoc docent omnem ſenſus motusque muſculorum latere rationem. Verum a cerebro, ejusque continuatione medulla ſpinali dicta omnes nervi oriuntur, per corpus diſſeminandi: quapropter poſita ſpirituum animalium ſecretione, facilis, imo neceſſarius fuit ad formandam ejusdem generis hypotheſim aliam transgreſſus; ſcilicet omnes nervos intus eſſe cavos, ab iis fluidum in cerebro ſecretum excipi, uti ab arteriis ſanguis e corde pulſus; atque ſic ad omnes corporis partes ſenſu motuque plus aut minus inſtructas, per cavitates eorum quaſi per tot canaliculos devehi. Innititur principio philoſophico haec hypotheſis: *nihil ſine ratione ſufficiente fieri.*

Jam vero omnes nervos tam a cerebro, quam a medulla ſpinali ortos ſic diſponi putavit, uti ſunt arteriae a corde provenientes, qui facillime liquorem ſuum vi cordis motum ad partes purpureo latice irrorandas deferunt.

Atqui iſtud filamentum aut radicem, cujus ope intercoſtalem a ſexto nervo ſurgere credunt, huic ſtructurae ob angulum cum hoc nervo adeo acutum prorſus non reſpondere vidimus [1]), ita ut ſpiritus animalis per ſextum nervum delatus cavitatem ejus ingredi non poſſet; aut ſaltem retrogrado modo ingrederetur et ab illa nervi parte quae oculum adit: poſita itaque fluidi nervei exiſtentia hoc ratiocinium inſtituit [2]): ſi nervi intercoſtales a ſexto quintove pari originem ſuam traherent, tunc iſti rami aut primae radices eorum ita deberent eſſe ad haec duo paria poſiti, ut poſſent hoc fluidum rapidiſſime a cerebro motum excipere commode, et absque ullo impedimento ad partes inferiores promovere; ſed impoſſibile eſt ut a ſuperioribus poſſit libere in radicem a ſexto nervo oriundam incurrere: exiſtimavit igitur a nervis medullae ſpinalis, quibuscum nervi noſtri ſunt per ramos frequentiſſimos conjuncti [3]), hoc fluidum intercoſtalibus communicari; atque adeo per iſtam eorum partem, quae a ganglio primo cervicali incipit atque ad ſextum progreditur quintumve, illud ab inferioribus in cranium aſcen-

 dere

1) Non loquor de radice, quam a nervo Vidiano derivant, haec enim aliter ſe habet uti vidimus.

2) Voyez ſon obſervation *ſur l'origine des Nerfs intercoſtaux*, qui ſe trouve *dans l'hiſtoire de l'Academie des Sciences de Paris;* de l'année 1727.

3) Ibidem.

dere et progressum horum ramorum sequi credidit. Quam hypothesim experimento sequenti confirmare tentavit. Prius autem generalia quaedam oportet praemittere.

§. XX.

Nequaquam enim argumentum Petiti plus adstringam quam aequum est: siquidem mihi videtur hucusque incertum an omnis sensus et motus musculorum ab hoc fluido nervos perfluente dependeat? An medulla nervi sola absque fluido nerveo haec phaenomena producat? An alia aliqua lege regantur a supremo numine stabilita, quam cognoscere mortalibus non licet? Id tamen non ignoramus, omnem sensum in cerebri nervorumque medulla latitare; et deficiente in aliqua corporis parte nervo deficere omnem sensum novimus. Ipsum praeterea motum musculorum a nervis incitari quem physiologiae principiis imbutum fugit? Habent illi quidem ex sua natura aliquid privi, ita ut a nervo separati, ex propria vi irritabili possint applicatione plurimorum corporum in motum excitari; ligato tamen compresso aut discisso musculi alicujus nervo, cessat ejus actio spontanea, neque voluntati amplius obsecundat.

Requiritur ergo, ut sensus in aliqua parte adsit, aut motus in musculo quodam excitetur; requiritur inquam ut qui istis, in quas distribuitur, partibus prospicit nervus ille ab origine sua ad finem usque integer maneat.

Quodsi vero in animali vivo vel compresseris, vel disciderís nervum quemdam a cerebro aut medulla spinali ortum, inter originem ejus et finem semper et constanti lege sensum et motum perire animadvertis in illis partibus, quae infra compressionis aut sectionis locum sitae sunt, dum supra sitae partes eodem nervo instructae eandem sentiendi movendique facultatem retinent.

Noverat haec omnia Petitus, atque ut illa ad opinionem suam confirmandam detorqueret, veritatis amator indefessus, in vivis canibus experimentum, de quo antea, instituit: nimirum discidit illis nervum intercostalem in collo miraque phaenomena animadvertit: scilicet oculum ejusdem lateris languescere vidit, dein nitorem omnem amittere, corneamque membranam collabi, et caeteras mutationes facile praesentiendas: inde stringens Petiti argumentum: si in cranio oriretur hic nervus intercostalis in experimento discissus, si esset sexti nervi vera propago et indubitata soboles, post dissectionem ejus, juxta legem omnibus nervis a cerebro oriundis communem neque languor oculi, neque nitoris defectus, neque corneae collapsus aliaeque mutationes subsequi potuissent; cum supremam partem versus a discissionis loco non ascendissent! Fatetur quidem Petitus infra locum eum in infimo ventre mutationes animadvertisse sese, quae autem non adeo violentae fuerunt ac in oculo; nos insequentibus haec observatio juvabit.

§. XXI.

Auctoritate adhuc ipsa ante militandum, quam mentem propriam aperiam, ut sententiae Petiti confirmandae nihil defuisse videatur. De ea itaque hoc modo ratiocinatur illustris Auctor, cui neque voluntas vera dicendi, neque industria inveniendi nova, neque sagacitas vera a falsis distinguendi defuit; quique per longissimum temporis

poris spatium rebus Anatomicis operam navavit; WINSLOWIUM cogito, cujus propriis verbis meum specimen ornabo.

„Communiter, ait, statuunt quemlibet horum duorum nervorum (scilicet inter-„costalium) per filum sexti paris medullae oblongatae et per duo fila quinti initium „sumere, haecque fila ab initio nervum admodum gracilem componere, qui regredi-„tur ut e cranio per canalem osseum apophysis petrosae ossis temporum egrediatur, „quique quo magis descendit, eo crassior evadit. Ast postquam putatam horum filo-„rum originem cum attentione examinavi, eadem potius a basi cranii cum carotide „interna ascendere, et a posteriori antrorsum excurrere, quo se sexto atque quinto pari „associent, mihi visa sunt: et angulum eorundem unionis cum hisce duobus paribus „versus anteriora versum atque adeo acutum inveni, ut non pro nervis recurrentibus „haberi possint."

„Cum ab hoc tempore, addit, id est abhinc viginti fere annis eandem hujus „anguli dispositionem in singulis, quae dissecui, subjectis invenerim, semper in ea ver-„satus sum opinione quod id, quod tanquam prima radix et tanquam species trunci a „nervo intercostali dicto descendentis consideratum fuit, non nisi ramus ejusdem ad-„scendens sit, qui in cranium intrans in fila divideretur, se seque mediantibus hisce „filis duobus paribus indicatis arcte associaret. Observatio peculiaris quam D. PETIT „Medicinae Doctor cum Academia Regia scientiarum de diversa crassitie portionum „nervi sexti paris communicavit, in quantum nervum hunc anterius, inter filum pu-„tati intercostalis atque orbitam, crassiorem quam posterius inter idem filum atque ori-„ginem sexti paris invenit, plane demonstrativa videtur: experimenta ejus de vera „hujus nervi in organo visus Cooperatione magis adhuc id confirmant [1]."

§. XXII.

Nunc liceat ab eo, quod proposui, paulisper digredi et varios opinionum huma-narum quasi conflictus contemplari. Illud quidem mirum est, quod animum cujus-piam adhuc dubium facere possit vera intercostalis origo, cum sint in corpore humano adeo insignes, insuper a longo tempore cogniti; praeterea in phaenomenis practicis summae utilitatis; atque circa eos Anatomici nomine et re clari diutissime occupati fue-runt: sententia tamen PETITI, tanquam verisimilior proposita, imo tot argumentis a me confirmata a celeberrimis Seculi nostri Anatomicis adhuc falsa reputatur. Usque

N 3 quo

1) Hanc Cooperationem refutat HALLERUS in *Element. Physiolog.* Tom. IV. Sect. VI. pag. 223 siquidem ait: si discissis aut compressis intercostalibus nervis symptomata soleant sese in oculo manifestare, quare idem in naso non evenit? Cui in hoc casu responderi potest primo; hanc conjunctionem intercostalium cum VIDIANO nervo non adeo perpetuam esse quam cum sexto; natura saepe in ea ludere, cum plurimi Anatomici eam penitus non animadverterint, ego vero eandem duabus vicibus gracilem valde, neque, ut WINSLOVIUS affirmat, duplicem unquam invenerim. Deinde haec conjunctio licet supponeretur perpetua, cum fiat minimorum filorum ope, ut vidi; quomodo gravia symptomata excitabit? Tandem haec symptomata si vere adessent in naso, non ita facile animadverterentur quam in oculo, siquidem pars est valde irritabilis et vix non in perpetuo motu constituta.

quo Auctorum fama veritatem obſcurabit? Atque haec dicta poſſunt in multos caſus non multum diverſos transferri; haec enim eſſe videtur omnium ſcientiarum atque artium ſors, ut nova quaecunque opinio ſententiae communi contraria, quamvis veriſſima, innumeros ſaepeque acres adverſarios nanciſcatur. Evolve ipſa Halleri opera quae irritabilitatem ſpectant et ſenſibilitatem; haec prima proprietas, omnibus animalibus inſita, plurimis ſaepe adnotata, in explicandis muſcularis motus arcanis tanti uſus, mutavit quidem totam phyſiologiae faciem, et in innumeros medicinae receſſus lucem ſuam diffudit: vide tamen quantam in ea ſtabilienda difficultatem expertus fuerit Auctor immortalis! Nemo Anatomicorum in dura matre pleura, peritonaeo, perioſteis, ligamentis, tendinibus vel minimulos nervos animadverterat; dum autem omnes illas partes ad inſenſibilium claſſem retulit idem Hallerus; quanta adverſariorum cohors? Qui nullis fere aliis argumentis veritatem ab eo detectam refutare conati ſunt, niſi has partes ab omni retro tempore pro ſenſilibus habitas clamitando: haec eadem fata nervos noſtros intercoſtales reſpectu originis ſuae cum manſiſſe tum manſura forte ne ſtupeamus.

§. XXIII.

Aſt illa quam evolvimus, origo in eam tantum minimam particulam cadebat, quae ſextum Vidianumve nervum inter et ganglion primum cervicale continetur. Alia nunc quaeſtio examinanda venit, nimirum a quo fonte vera, nervorum, qua qua patent, intercoſtalium origo derivanda ſit, ſi a dictis cerebri nervis non oriuntur?

Qui gangliis nullam nervos producendi facultatem tribuunt, intercoſtales noſtros a vertebralibus ramis oriri facile reſpondebunt. Verum enim vero ſi quis omnes iſtos ramos attento animo conſideraverit, eos ille Sympathicis noſtris proportione ſervata parum conſentientes inveniet: modo enim hi rami craſſiores ingrediuntur intercoſtalium portiones, quae numeroſos atque inſignes ſurculos aliis partibus largiuntur: ſic ad producenda ganglia cum truncis ac ſurculis iſtis videntur omnino inhabiles. Illud in portione cervicali prima ejusque duobus et tribus interdum gangliis poteſt evidenter obſervari: haec enim ganglia magnum ramorum mollium numerum dum ſpargunt ex ſe ſe, non niſi tenues a vertebralibus ramos accipiunt.

Quid quod in portione thoracica obſervantur eadem, imo quam in cervicali clarius: namque haec portio omnium craſſiſſima, praeter alios minores, quinque ramos pro formando nervo ſplanchnico valde inſignes dimittit; rami tamen a vertebris eam ingredientes, etiamſi duplices, omnium tenuiſſimi; cum diſciſſi et in unum faſciculum collecti, craſſitie ſua, ne vel dimidiam quidem portionis thoracicae cum ramis ſuis partem adaequare potuerint.

Contrario modo peccat horum ramorum vertebralium proportio cum duabus ſequentibus intercoſtalium portionibus, lumbaribus nimirum et ſacris; quae robuſtos licet a vertebris ramos accipiant, non niſi tenues ex ſe ſurculos vicinis partibus diſpartiuntur. Opinionem tamen eorum, qui vertebralibus nervis intercoſtalium ſtructuram et originem adſcribunt, ſtabilire quid magis debuit quam ſervata partium proportio? Ergo nihil in his circumſtantiis ſimplicius mihi viſum eſt atque naturae legibus magis

conſenta-

conſentaneum, quam intercoſtales derivare a gangliis ſuis, atque omnes iſtos ramos, quos pro vertebralibus habuerunt, tanquam eorum ramos conſiderare. Diſcrimen ab omnibus Anatomicis obſervatum, quo intercoſtales a nervis vertebralibus diſſentiunt, magis adhuc hanc opinionem confirmat: nam hi motui praefixi, ad tactum ſunt duriſſimi; qui eos ſuis manibus praeparavit, huic veritati contradicere non poteſt: intercoſtales vero cum omnibus ſuis ramis continuo molliſſimi obſervantur. Si itaque a vertebralibus his nervis originem ſuam caperent, neceſſario eadem duritie inſtructi eſſe deberent.

§. XXIV.

Una difficultate eaque graviſſima premi poteſt haec, quam aſſignavi origo: illi ſcilicet, qui ſpiritus animales in ſola cerebri ſtructura praeparari ſtatuunt, atque fiſtulis nerveis exceptos per easdem huc illuc circulari; quaerent ex me, unde nam poſſint ejusmodi ſpiritus, intercoſtalibus a gangliis ſuis ſurgentibus ſuppeditari? exiſtimant autem cujuscunque nervi a cerebro aut medulla ſpinali exorti functionem duntaxat pendere ab his ſpiritibus animalibus; horum ope imperia animae ex cranio ad omnes, voluntati ſubditas deferri partes, ſenſu inſtrui, muſculos in motum excitari, et viciſſim ex omnibus partibus a cerebro plus aut minus diſſitis, omnes ſenſationes impreſſionesque ab objectis externis factas, ad ſenſorium commune revehi putant.

Quodſi in gangliis horum nervorum ſpiritus hos ſecerni credideris; manet alia difficultas: neque enim ſtructura eorum ut cerebri, ita comparata eſt; neque circulatio ſpirituum videtur absque confuſione ſumma poſſibilis. Hinc ſemper ad cerebrum aut medullam ſpinalem tanquam ad veros et unicos fontes intercoſtalium origo referenda eſſe videtur.

At vero ſpirituum animalium exiſtentiam volvens animo et revolvens, cum de eorum praeparatione in cerebro atque per fiſtulas nerveas circulatione certi nihil omnino exiſtat, viſum eſt ad quaeſtionem reſpondere non ita operoſum. Ac primo quidem, ſi ſpiritus animales in cerebro ſolo praeparantur; cur fetus acephali vixerunt [1])? cur muſculis et quibusdam ſenſibus uſi fuerunt? cur animalia multa absque capite et ſentiunt et vident [2])? quare teſtudines capite reſecto ſupervixerunt? an non haec phaenomena in conteſtatione ponant potius, utrum cerebri haec ſit functio, an non ſit ab ea prorſus alienum?

Praeterea ſanguis, qui cerebrum adit, et ex quo contendunt fluidum hoc nerveum ſecerni, non ita videtur in ſuis vaſis diſpoſitus eſſe, ut haecce ſpirituum copioſa ſecretio expectari poſſit: enimvero plurima ejus pars ex arteriis in venas et ſinus transgreditur; hanc veritatem injectiones confirmant. Quod fluidum relinquitur in arteriis diametro decreſcentibus, illud nutritioni deſtinari crederem potius, atque roris cujusdam intra cerebri ſubſtantiam reperiundi ſecretioni, quo continuo partes ejus ut humectentur, ſuperfluus vero juxta leges naturae ut reſorbeatur.

Longius

1) Vide illuſtr. Halleri *Element. phyſiolog.* Tom. IV. Lib. X. Sect. IX. pag. 368.

2) Ibidem et alia etiam multa contra ſpirituum animalium exiſtentiam protulit, quae hic recenſere non neceſſarium duxi.

Longius procedamus. Solers phyſicorum induſtria plurimas detexit ſubſtantias aëreas inviſibiles praecipue noſtris temporibus, ut materiam electricam, aërem fixum, nitroſum, inflammabilem, dephlogiſticatum, mephiticum etc. Hae ſubſtantiae quantae ſint ſubtilitatis, quibusdam tamen ſignis ſe ſubſtantias corporeas eſſe teſtantur: quare non idem praeſtant ſpiritus animales in cerebro ſecreti? manifeſtat ſe ſenſibus electrica materies certis aliquibus modis, cur eos fugiat fluidum nerveum? Cum tamen adeo ſubtile non ſit, etenim ligatura alicui nervo injecta circulum ejus cohibet.

Adde quod in vaſis ſanguineis manifeſto obſervantur cava lumina, nihil autem ſimile neque in medulla cerebri, neque in productis ab illa nervis apparet; etiamſi acerrima vitrorum convexiſſimorum auxilia adhibueris. Quin hae fiſtulae ſi ligarentur, foret ex hypotheſi eorum, ut nervus ſupra vinculum intumeſceret? Sed haec phaenomena videre nulli Anatomico datum eſt.

Liquet ergo ex his argumentis aliisque non paucis, quae apud auctores hinc inde occurrunt, realem fluidi nervei exiſtentiam inniti mera hypotheſi, neque certis ullis poſſe argumentis comprobari. Hypotheticas autem opiniones ſaepe fallaces eſſe quem latet?

Qua propter ſimplicitatis amans, neque extra ingenii humani limites egredi cupidus, hoc uno contentus ſum, quod imperia animae ex ſenſorio communi ad omnes partes per nervos deferri noverim, atque omnes viciſſim ſenſationes ex iisdem partibus per eos ad hanc ſedem revehi. Rationem qua haec eveniant, ignoro. Illud autem, quod propoſui de origine nervorum intercoſtalium, oculorum teſtimonio confirmari poteſt.

VII. CHRISTI.

VII.

CHRISTI. THEOPH. LUDWIG

DE

PLEXIBUS NERVORUM ABDOMINALIUM

ATQUE

NERVO INTERCOSTALI DUPLICI

OBSERVATIONES NONNULLAE.

LIPSIAE 1772.

Quanta cum cura atque diligentia anatomici, hoc ipſo, quo vivimus, ſeculo, in fabricam corporis humani, et in minimas ejus partes inquiſiverint, eamque cum animantium brutorum ſtructura non raro comparaverint, egregii eorum libri luculenter commonſtrant. In nonnullis enim non ſolum inventa nova, icones elegantes et concinnae, deſcriptiones accuratae reperiuntur; ſed ea etiam, quae jam dudum cognita, et ex veterum ſcriptis vindicata ſunt, meliori ordine propoſita, et copioſius deſcripta leguntur. Dolendum quidem eſt, in tanta inventorum copia plures etiam deprehendi, qui, vana res novas inveniendi gloria decepti, ad nomina magis, quam ad res reſpexerunt. Monendum quoque eſt, accuratos ſaepe diſſectores praeter neceſſitatem, in locum veterum nominum, nova ſuppoſuiſſe, quod quidem novandi ſtudium lectionem veterum anatomicorum, non ſolum difficilem reddit, ſed tirones etiam, propter magnam ſynonymorum copiam, ita confundit, ut nomini rei deſcriptae ſemper ſimul inventoris nomen addere teneantur. Hoc tamen, de inventione novorum nominum, judicium, peritiſſimis anatomicis ſolum relinquendum eſſe putamus, quippe qui, vel notionis claritatem, vel ordinem, ſitum et nexum partium deſcriptarum ad explicationes phyſiologicas magis accommodare ſolent.

Equidem ad fabricae humanae diſquiſitionem, aliis ſtudiis detentus, parum conferre potui: cum tamen, anatomen docendo, et partes corporis in cadaveribus interdum diligenter demonſtrando, doctrinae noſtrae alumnis omni modo inſervire ſtudui, occaſio quoque mihi data eſt, ut in libellis academicis ſparſas has obſervationes interdum proponerem. Sunt tamen nonnullae obſervationes, quas, cum incompletas judico, publici juris facere nolui. Nunc, cum otio literario, quod morbus lentus mihi concedit, fruor, et ſchedas, in quibus hae obſervationes conſignatae ſunt, evolvo, in eam, de nervo intercoſtali duplici, incido. Etſi vero et illa nondum abſoluta eſt,

eam tamen cum Lectoribus meis, in hac prolusione, communicare non amplius dubitavi.

Ardua quidem et difficilis est disquisitio encephali et nervorum, si in illo decursus et conjunctiones fibrarum medullarium, in his ramos, plexus, et ganglia consideramus: ut plurimum enim de natura nervosi systematis parum instructi recedimus, novae quoque disquisitiones novas semper dubitationes movere solent. Sed, cum fluidi nervei natura adeo abscondita sit, et phaenomena, studiose collecta, ejus vim nonnihil illustrent, minime autem recte definiant, in directionibus et nexu tubulorum medullarium et nervorum indagandis, studium non inane positum esse deprehendimus.

Quemadmodum enim fabrica cordis, sollicite disquisita, et, praeter veteres, a Vesalio aliisque anatomicis accurate descripta, ad circulationem sanguinis declarandam nondum sufficiebat, sed regressus sanguinis in venis recte observatus, hanc functionem universalem, usum scilicet fabricae partium cordis, in cavis et valvulis diversis, nec non arteriarum vim, in sanguine propellendo, detegebat: sic etiam nervosae fabricae functiones, nec per encephali structuram subtilissimam, variis incongruis vocabulis obfuscatam magis, quam explicatam, nec per fluidi ibi secreti indolem, cum variis viribus universalibus macrocosmi, aethereis, electricis, cet. comparatam, sed potius, per progressum et nexum curiosissimum nervorum, tandem aliquando declarari posse arbitramur.

Si enim directiones nervorum in universum considero, novae semper se offerunt in diversis partibus corporis progressiones et conjunctiones. Etsi vero illae satis constantes sunt, nec adeo variant, ut vasa sanguifera; tamen in diversis cadaveribus, et in uno alteroque latere, interdum varietas occurrit notatu digna. Indicemus in transitu consuetos et constantes, attentione tamen dignos, nervorum tractus, ut postea observationem nostram, in paucis diversam, subjungere possimus.

Nervi, vario ortu, progressu, et nexu, ad oculos deducti, in nobili hoc organo, non solum per nervum opticum sensum, sed per reliquos motum velocissimum bulbi et internarum partium efficiunt. Quinti paris varia distributio ad interiores capitis partes, ejusque nexus cum portione dura nervi acustici, seu sympathici minoris, progressus ad faciei musculos, et confinia colli, eodem modo, quo nervi diversi linguae inserti, in physiologica motuum contemplatione non sine attentione dimitti possunt. Mitto alios et minores nervos, ab anatomicis huc usque operose disquisitos, et, paucis de spinalibus praemissis, de pari vago et intercostali quaedam in universum monebo.

Medulla oblongata, in spinali continuata, secundum ordinem vertebrarum fasciculos nervosos utrinque dimittit, et in cervicalibus, dorsalibus, lumbaribus, et ossis sacri nervis varia ratione per corporis musculos distribuit. Cervicales majores sunt, partim ob occipitales nervos, quos largiuntur, validis motibus capitis dirigendis destinatos, partim ob plexum brachialem, ex his praecipue derivandum. Hujus robur in-

signe

figne eſt: magnis enim ramis dimiſſis, usque ad apices digitorum porrigitur. In thorace minores nervi ſunt, cum ad tractum coſtarum excurrentes rami tenerioribus tantum muſculis inſerantur. Inferiores tamen eodem modo, ut lumbares, muſculis abdominalibus potiſſimum dicati, paulo majores ſunt, inprimis, cum ex lumbaribus plexus crurales ſimul efficiantur. Ultimi tandem, ex cauda ſic dicta equina oriundi, et per os ſacrum educendi nervi validiſſimi, plexum iſchiadicum formant, cujus rami inferiorum extremitatum muſculos tranſeunt, et totius corporis molem ſuſtinent, varieque movent.

Praeter plexus indicatos, in omnibus his nervis aequalis ramorum diſtributio eſt, quae vaſis ſanguiferis, ſimili modo in ramos diſtributis, plerumque reſpondet, et ita tandem muſculorum ſtrata penetrat, eaque retis inſtar perreptat, donec in minimam fibram ad motum muſcularem peculiari mechanismo abſolvendum, deſinat. In tranſitu hic moneo, etiam phrenicum nervum, initia ſua ex cervicalibus colligentem, tandem in muſculum diaphragmatis diſtribui. Omnes autem nervi, qui in corporis ſuperficie tandem terminantur, cutim perreptant, ibique ſingulari ratione ad papillas deflexi, tandem ita diſtribuuntur, ut, cum in aliis organis ſenſoriis peculiares nervi ſint, cutanei nervi ſuas partes a nervis, motum efficientibus, ſuſcipere videantur.

Inſignis autem copia viſcerum, in media et infima corporis cavitate collocatorum, et ſenſu motuque excitandorum, nervos quoque poſtulat, ad haec officia praeſtanda idoneos, qui, cum ſingulari modo excurrant, ſine attentione dimittendi non ſunt. Primo itaque par octavum encephali, quod vagum dicitur, in lingua, larynge, oeſophago, corde, et pulmonibus diverſiſſima ratione diſtribuitur, et, juxta cardiam ventriculi deſcendendo, ad viſcera abdominalia ita derivatur, ut, hoc ſolo, motus et ſenſus harum partium dirigi poſſint. Verum augmentum nervi in ipſa ramorum diſtributione, et conſenſus viſcerum, cum univerſo corpore, ex hoc declarari non poſſet, niſi accederet intercoſtalis.

Hic nervus prae reliquis omnem exigit attentionem, cum non ſolum ſpinales, muſculoſam fabricam praecipue dirigentes nervos, et par vagum, ut nervum viſcerum, conjungat; ſed etiam, in aliis nervis, conſenſus univerſalis cauſſa videatur, in qua praecipuam omnium nervorum vim poſitam eſſe cenſemus. Habet vero cum tenerrimis quibusdam filamentis, quae vix originem dicere poſſumus, nexum cum pari quinto et ſexto encephali: poſtea vero ad totum ſpinae dorſi tractum, nervis ſpinalibus innectitur, ut ex iis oriri, et incrementa capere videatur. Cum vero, ipſe a pari vago, inter deſcendendum aucto, nihil recipere poſſit, fibras nervoſas eidem tribuit, et in plexibus continuatis auget. Inprimis vero, propter ganglia, huic potiſſimum nervo propria, peculiares vires, nondum ſatis definitas, acquirit, ut functionibus ſuis magis ſatisfacere poſſit. Quanquam autem haec in omni tractu, per collum et thoracem obſervantur, praecipuam tamen attentionem acceſſio ad par vagum, in plexibus viſcerum abdominalium formandis, poſtulat.

Has quidem disquisitiones operose a variis nevrologiae indagatoribus institutas esse scio, ideoque a me nihil addi posse intelligo. Cum vero, in docenda anatome, hanc rem praecipue difficilem deprehendi, quae nihilo minus in multis morbis abdominalibus, et in aliis, per consensum ex abdomine excitatis, attentionem medicorum exigit; diu cogitavi, an non, praecipuis plexuum abdominalium tractibus recte observatis, horum nervorum demonstrationem intelligentiae discentium magis accommodare possem.

Cum, anno jam quinquagesimo sexto, cadaver feminae quadraginta trium annorum dissecarem, et emaciatum hoc corpus, disquisitionibus nervorum idoneum, invenirem, optimo Krügero, qui tum in examine nervi phrenici occupatus erat, ulteriorem ejus disquisitionem concessi; ipse vero, ad nervos abdominales indagandos, omnem attentionem adhibui. In iis vero examinandis ita versatus sum, ut primo paris vagi, in utroque latere ad abdomen progredientes ramos, paulo post simili modo descensum nervorum intercostalium, et cum iis splanchnici, sive collateralis, secessum attenderem; tandem plexus, ad mediam aortam vergentes, et iterum divaricantes perlustrarem, et ita praeviam delineationem operis, continua observatione perficiendi, exhiberem.

Ramus nimirum paris vagi sinister, in thorace visus, ad finem oesophagi progrediendo, antrorsum flectitur; ille autem, qui non adeo fortis videtur, quam dexter, partem anteriorem cardiae subit, indeque, praecipuo suo tractu, in curvaturam parvam ventriculi distribuitur, ubi partim in ramis minimis, versus pylorum ductis, finitur, partim dextro, sive posteriori ramo, eo quoque tendenti, annectitur.

Paris vagi autem ramus dexter, qui posterior fit, in thorace insignem plexum circa oesophagum format, postea ad cardiam accedens, a posteriori ejus ambitus antrorsum quodammodo versus curvaturam minorem deflectitur. Hic, praeter ramos insignes, ad ventriculum ductos, et cum priori communicantes, ideoque in curvatura minori magis, quam circa cardiam, plexum efficiens, quem gastricum dicere possumus, ipse ad aortam, vel potius coeliacam arteriam, ex ea procedentem, pergit, implicans se variis plexibus, hoc loco formatis, de quibus paulo post nonnulla dicenda erunt.

Vidimus vero in hoc cadavere ramum nunc descriptum, ad ortum arteriae gastricae coronariae, quae ante divisionem coeliacae, in dextrum et sinistrum ramum, ut saepe fit, etiam hic progrediebatur, ita productum, ut eandem non solum, plexu formato, vaginae ad instar, cingeret, sed numerosis quoque ramis circa coeliacam propagaretur. Distinctos autem ramos satis conspicuos, quos trahendo semel iterumque a contextu celluloso tenaci distinguere, et separare tentavimus, ad partes vicinas abire cognovimus. Ex his vero tres potissimum, notatu dignos, deprehendimus. Primus superius ad hepaticum plexum dextrorsum; secundus interius et quodammodo sinistrorsum, in aliquot minores ramulos mox divisus, ad

splenicam

fplenicam arteriam; tertius tandem fortis fatis, et a prioribus accurate diftinctus, ad arteriam mefaraicam, et ejus plexum deducebatur.

Ulteriorem, et accurate a reliquis plexibus nervofis diftinctum, hujus nervi progreffum definire vix potuimus. Quamquam enim ejus propagines per mefocolon finiftri lateris amplius adhuc flecti, ad mefaraicam inferiorem arteriam, et paulo profundius ad aortae divifionem defcendere cognovimus; tamen, cum a plexu coeliaco jam formato, aliisque, a ganglio femilunari oriundis, nervis et plexibus, omni licet cura adhibita, accurate diftingui haud potuerint, in iis, quae certo deteximus, acquiefcendum nobis erat.

Regredimur nunc ad fplanchnicum nervum, qui collateralis dicitur, a latere dextro confiderandum. Hic in thorace ex filamentis, ab intercoftali nervo antrorfum ductis, oritur, per crura diaphragmatis tranfit, ei, per quod tranfiit, quodammodo incumbit, poftea glandulis fuprarenalibus aliqua ex parte, magis vero venae cavae trunco, antequam is ad divifionem renalium procedit, tegitur. Supra vafa renalia enim, inter aortam et glandulam fuprarenalem, ganglion femilunare formatur, in hoc latere figurae non adeo certae, ex quo, fupra aortam et coeliacam, infignis oritur plexus, qui partim coeliacum conftituit, partim cum oppofito committitur.

A ganglio hoc nullum, vel notatu non adeo dignum, ramum ad mefaraicam fuperiorem arteriam abire vidimus; majores vero ad renalem arteriam deferuntur, ex quibus plurimi minores juxta glandulam fuprarenalem reflectuntur. Etfi vero monuimus, ex ganglio nullos, vel parvos tantum ramos ad mefaraicum plexum produci; a renali tamen plexu jam formato plures et fortes rami ad eundem deferri, vicinisque nervis implicari, certum eft. Sigillatim vero obfervavimus, in hoc cadavere ramum nervi fplanchnici, feparatim per diaphragma tranfeuntem, ganglio femilunari intacto relicto, ad renalem deductum effe.

Intercoftalis nervus ipfe, a parte pofteriore progrediendo, evidentes fatis ramos ad plexum renalem pofterius dimifit, a quo loco fatis infignis ramus ad arteriam magnam accedit, et fpermaticae arteriae ramulum focium exhibet; maximam autem fui partem ad plexum mefaraicum inferiorem conftituendum confert, tandemque ad divifionem aortae progreditur. Hic ramus, ab intercoftali nervo oriundus, cum eo quidem per multos ramulos laterales communicabat; peculiaris tamen et diftinctus in omni fuo progreffu cognofcebatur. Non autem hic folum ramus, ex plexu renali ejusque communicatione cum intercoftali nervo oriundus, hac via progreditur, fed alius quoque ex eo procedens, fub renali ad aortam fimili ratione ducitur, et cum plexibus ibi decurrentibus, connectitur.

In finiftro latere fplanchnicus nervus eodem tractu defcendit, et fimili modo et loco ganglion femilunare conftituit, quod in hac parte vere femilunare confpiciebatur, ad aortam fuper coeliacam extendebatur, et cornu inferius ultra, introrfum magis, protrahebatur. Ex parte convexa deorfum directa, multi rami ad renalem arteriam,

ut in dextro latere, progrediebantur, quibusdam etiam in glandulam fuprarenalem reflexis. Praeterea nervus intercoftalis ipfe propagines fuas ad plexum renalem, et ramos aliquos ad aortam mediam, plexusque ibi fitos, dimittit, quamquam non adeo infignes, ut in latere oppofito.

Ut vero rationem plexuum accuratius perfpiciamus, ad mediam quoque partem breviter defcribendam nos convertamus. Super coeliacam jam arteriam varii rami ex utroque ganglio, et ex paris vagi pofteriori ramo producti, plexus formant, qui poftea circa coeliacam et mefaraicam fuperiorem arteriam producuntur, ut praeter ea, quae fuperius de pari vago cum aliqua certitudine indicavimus, limites unius et alterius nervi vix definiri poffint. Vere enim monuimus, hunc plexum, circa has duas arterias, univerfalem effe. Sub mefaraica fuperiori, etiam fimilis plexus ex communicatione potiffimum plexuum renalium formatur, ex quo rami ulterius producti ad aortam propius haerent, paulo poft in mefaraicam inferiorem deflectuntur, et ita usque ad divifionem aortae cum intercoftali ipfo fe conjungunt. Plexus inferior fub vena renali formatur et incipit; alter vero fuperior, quem in mefocolo finiftro progredi diximus, a mefaraica fuperiore, fupra venam renalem reducitur, et ad plexum mefaraicum inferiorem defcendit.

Dum vero in his nervis difquirendis occupatus effem, non tantum in finiftro, fed magis adhuc in dextro latere nervos peculiares, ex fummo thorace defcendentes, detexi. Erant illi propius ad vertebras fiti, ideoque in plexuum abdominalium difquifitione ab initio non obfervati. Cum vero longo tractu defcenderent, ad origines eorum in fupremo thorace et collo regrediendum fuiffet. Dolebam omnino, per difquifitionem nervi phrenici, interea factam, omnes nervos colli e fitu dimotos et praefciffos effe: quantum itaque fieri poterat, in fupremo thorace initia horum nervorum colligere incepi. Defcendebant enim noftri nervi eodem modo in thorace, quo intercoftalis ipfe, fed propius ad aortam, ita, ut proxime ad originem arteriarum intercoftalium confpicerentur. Cum autem dexter longior effet finiftro, ab hoc defcribendo initium faciam.

In dextro igitur latere praefciffa ejus initia poft arteriam fubclaviam detexi, ubi cum aliis nervis minoribus, hic quoque praefciffis, conjunctus fuerat. Inde vero poft oefophagum, et porro inter aortam et venam azygos ad originem vaforum intercoftalium defcendendo, aliquot filamenta, in hoc tamen latere non adeo confpicua, ab intercoftali vero fufcipiebat. Cum autem poft fextam arteriam intercoftalem nihil omnino ab intercoftali nervo accederet, tenuior defcendit, et ad diaphragma perveniens ipfe poft crus dextrum fe abfcondit, ramulus vero aliquis ulterius divifus cum ultimis venae azygos ramulis ad abdomen defcendebat, ubi tandem prorfus evanuit.

Ipfe vero nervus magis attenuatus usque ad internum latus plexus renalis dextri pergebat, ibique denuo filamenta nervofa ab intercoftali vero accipiebat, inde non nihil craffior redditus. Dedit quoque fub renali plexu ramum quendam, progrediendo varie divifum, quem cum plexu mefenterico inferiori communicari vidimus. Ipfe truncus tandem in duos ramulos dividebatur, quorum major ad divifionem aortae,

cum

cum reliquis nervis, ibi conjunctis, coibat; minor vero ad venae cavae divifionem fenfim evanefcebat.

In finiftro autem latere nervum noftrum ibi praefciffum inveni, ubi arcus aortae deorfum flectitur. Notandum vero eft, in hoc cadavere gibbofo, in quo fpina finiftrorfum diftorta erat, aortam, non a latere finiftro vertebrarum, fed in medio magis progrediendo, ad dextrum latus fpinae non nihil deflexam effe. Nervus autem nofter proxime ad aortam decurrens, ab intercoftali vero propagines nervofas, magis confpicuas, fufcipiebat, quae ad tractum arteriarum intercoftalium, ideoque non nihil deorfum, excurrebant. Qua re perfpecta, diutius haefi, an non nofter nervus intercoftali fuas propagines daret; in qua fententia etiam magis confirmabar, quod poft vertebram octavam thoracis, nulla amplius communicatio inter utrumque nervum obfervabatur. Ab hoc enim loco, tenuior factus, crus diaphragmatis tranfibat, et ultimos tenuiffimosque furculos, in plexu nervorum femilunari hujus lateris, difparere vidi, neque, omni cura adhibita, ejus progreffum ulteriorem inveni.

Egregium quidem eft, fi ex obfervationibus anatomicis quaedam confectaria phyfiologica derivari poffunt; omnibus tamen rite perpenfis, in confideratione anatomica fola acquiefcere debui, in primis, cum ad fyftema nervofum pertineret, in cujus conjunctionibus prorfus fingularibus vera quidem, nunquam tamen plane declaranda effectuum ratio cernitur. Neque etiam ex functionibus hujus feminae, in ftatu fano et aegro peractis, aliquid certi concludi poterat, cum per triftem et fedentariam vitam victu crudo nutrita duceretur, usque dum cachexia, usque ad mollitiem offium aucta, tandem incurvata in lectulo decumbens, non nifi de doloribus et tenfionibus in univerfo corpore conquereretur, et tandem tabida periret.

VIII. IO.

VIII.

IO. GOTTLOB HAASE

DE

NERVO PHRENICO DEXTRI LATERIS DUPLICI PARISQUE VAGI PER COLLUM DECURSU.

LIPSIAE 1790.

Quod ſaepe fieri ſolet, ut, qui partes corporis ab aliis multo cum labore et aſſiduitate disquiſitas, ipſi perſcrutantur, non ſolum, cognito, quod aliorum ſtudio natum erat, diſciplinae augmento, admodum delectentur, ſed ſuam etiam, cum ea, quae quisque ſcriptor vel invenerit, vel inveniri poſſe conjecerit, novis obſervationibus vel illuſtrent ac confirment, vel eorum varietatem aliis monſtrent ac laudent, ſcientiam non parum augeant; idem etiam mihi toties accidit, quoties, ut in alias partes, ita in nervos explorandos tempus et cogitationem impenderim. Non ſolum enim ganglia, plexus et minores rami nervorum ob magnam varietatem admirationem nobis faciunt, ſed majores etiam rami et trunci tum originis, tum progreſſus, miram quandam inconſtantiam ac diverſitatem habent, ita quidem, ut, licet in quamplurimis corporibus eundem eorum vel ortum, vel decurſum ac diſtributionem repereris, in nonnullis tamen aliam eorum rationem eſſe invenias, et ad eundem finem conſequendum iisdem quidem auxiliis et inſtrumentis, paullulum tamen mutatis, naturam uti, cum voluptate intelligas. Nervorum non eandem ubivis originem et progreſſum eſſe iſchiadicus et intercoſtalis comprobant, quorum illum duplicem inde a lumbaribus et ſacralibus deſcendiſſe, hunc vero, ut beatus Ludwigius [1]) per thoracem, ita egomet ipſe jam per collum duobus truncis a ganglio cervicali ſuperiori progreſſum eſſe vidi. Paris vagi truncum licet in quingentis cadaveribus uno, quamplurimis filamentis compoſito, faſciculo prodeuntem diſquiſiverat, ſemel tamen truncum ejus bifidum in dextro latere Ill. Wrisberg [2]) conſpexit. Longe tamen magis haec in minimis animadvertuntur, in quibus plexus et retia, quae a ramis diverſae originis conſtruuntur, tum formae tum diſtributionis miram varietatem habent, eamque ob cauſſam non ſunt negligenda. Quis enim tractum eorum, qui ex cervicalibus, mollibus ſympathici magni parisque vagi ramis per collum in cordis partes demittuntur, nervorum examinat, quin, quamcunque demum operam in iis exacte deſcribendis et iconibus illuſtrandis Ander-

1) Programm. *de plexibus nervor. abdominal. atque nervo intercoſtali duplici.* Lipſ. 1772. — hor. ſcript. T. III. p. 105. ſqq.

2) *Syllog. commentation. anatom.* Goetting. 1786. p. 82.

Anderschius 3), et Neubauerus 4), nonnullique alii posuerint, quod honorifice ab iis factum esse omnes scimus, multiplicis generis surculorum differentiam esse cognoscat? Eadem de egregiis Walteri iconibus dici possunt, quarum ad normam si quis paris vagi et intercostalis descensum per thoracem perlustret ac utriusque nervi plexus infimi ventris in variis corporibus cum delineatis partibus conferat, vix ullum reperiet partium genus, in quo majores, quam in hoc, reperiantur diversitates 5).

Primum autem quaedam a nobis proponenda sunt, quae de nervo phrenico collegimus. Oritur is in plurimis a quarto, quinto et sexto cervicali, et postea ante scalenum posteriorem rectumque capitis anteriorem longum trans vertebras cervicales inferiores in pectoris superiorem partem ita inclinatur, ut a latere arteriae asperae ante ejus bronchum pericardium versus se flectat et inter illud et pleurae saccum pulmonalem, connexus cum his partibus per telam cellulosam, ad convexum diaphragma dividatur. Harum hujus nervi radicum non una eademque ratio est. Quae enim a quarto descendit, radix, vix dimidium pollicem longa, cum altera a quinto cervicali nata, longe breviore, conjungitur eaque copula nervus magis crassescit, tertiamque, qua novum accipit incrementum, a sexto trahit. Quorum filamentorum quam diversae sint ratio et origo, eam ob caussam, quoniam de iis Krügerus 6) aliique satis docte exposuerunt, narrare nolumus; hoc tamen omittere non possumus, esse etiam in quibusdam hujus nervi cum ganglio cervicali medio nervi sympathici magni conjunctionem, cujus exempla Clarissimi Viri, Neubauerus 7) et Wrisbergius 8) nonnulla collegerunt. Hunc nervum cum intercostali ope radicis suae, quae surculum ad cardiacum plexum dimittat, conjungi, id non solum Krügeri narratione cognitum, sed nostris etiam laboribus, quibus alios in investigandis pectoris nervis imitari in animum nobis induxeramus, ita exploratum habemus, ut de ea re nullo modo dubitemus. Non potuimus autem, nervos colli perlustrantes, eam ejus regionem, qua rami descendentis noni nervi cum surculo rami anterioris cervicalis tertii et interdum etiam secundi conjunctio arcum effingit, dimittere, quin noni et phrenici anastomosin animadverteremus. Quod quanquam propter filamenti longitudinem ejusque reconditum situm aliquid difficultatis habet, tamen nisi clavicula e situ et nexu remota sit, operam nostram raro illusit.

Nervi phrenici originem tribus distinctis locis in cadavere viri superiore hieme vidimus. Maximum ex his idemque medium filamentum ex hiatu laterali, qui processibus transversis tertiae et quartae vertebrae colli intercipitur, inde a cervicali quarto nervo ita sese proferebat, ut ante carotidem inter venam subclaviam, quacum arctissime connectebatur, et arteriam similem, in pectus se demitteret. Ex eodem ramo ut in

3) *tab. de nerv. card.* Conf. mea *cerebri nervorumque anat. repetit.* — hor. script. T. II.

4) *de nerv. card.*

5) Walter, *tab. nervor. thoracis et abdomin.*

6) Disput. *de nervo phrenico.*

7) l. c.

8) *de nervis viscer. abdominal.* — hor. script. T. III.

in hoc, ita in nonnullis aliis corporibus, confirmari intelleximus eam, quam Krügerus phrenici cum intercoſtali demonſtravit, connexionem. Vix enim per dimidii pollicis longitudinem hoc filamentum e cervicali quarto egreſſum flectebat interiora verſus ramulum, qui trans arteriam carotidem usque ad thyreoideam arteriam inferiorem, ſive cervicalem, deſcendebat, alioque ſurculo in ſcalenum anteriorem diſtribuebatur, alio vero ante muſculum longum colli cum intercoſtali confluebat hujusque cum ſurculis tum ante tum poſt arteriam cervicalem dictam in plexum cardiacum finiebatur. Ex hac deſcriptione facile apparet, hanc phrenici cum intercoſtali connexionem propterea, quoniam hujus ſurculi cum intercoſtali confluxus a vaſis ante muſculum colli poſitis tegitur, non, niſi his remotis, in oculos venire poſſe. Alterum filamentum, a noni paris deſcendente ramo ortum et paulułum minus, cum medio poſt claviculam confluebat, et, cum in quibusdam, in quibus hanc noni paris cum phrenico anaſtomoſin invenire potui, ex eo, quem deſcendens is noni paris ramus cum ramo quodam nervi cervicalis tertii efficit, arcu in phrenicum demitti ſoleat, ipſum in phrenicum continuabatur. Eſt etiam in origine hujus deſcendentis rami noni paris, unde radix phrenici naſci ſolet, inſignis varietas, quae eum, qui hunc nervum quaerit, fugere non debet. In plurimis enim hunc aſcendentem ramum nervi noni, antequam ad inferiorem colli partem ſe deflectat, mox eo loco, quo truncus noni circum vagum flectitur, oriri, hocque facto alio ramo ad arteriae aſperae et cordis ſuperficiales partes diſtribui, alio cum cervicali tertio conjungi et per medium cum phrenico connecti vidi; in eo tamen cadavere par nonum ultra pollicem et dimidium anteriora verſus et ad linguam ſeſe protulerat et tum demum ramus deſcendens ad tres iſtos celebratiſſimos in collo formandos ſeſe demiſerat. Maximam vero attentionem excitabat tertium, exteriore loco poſitum, filamentum, quod, collatis inter ſe iis, quae celeberrimi Viri, Hallerus, Winslovius, Neubauerus, Wrisbergius aliique de phrenico ſcripſerunt, eam radicem eſſe facile cognovimus, quam alii a quinto cervicali pare repetunt. Cujus filamenti longitudo, cum eſſet tanta, ut illud demum, profundius in pectus demiſſum et infra bronchum dextrum ante hunc et a latere pericardii inveniretur, nos commovit, ut duplicem fuiſſe nervum phrenicum in hoc corpore ducamus. Exterior ille et ſecundarius phrenicus inter quintum et ſextum cervicalem, facta jam utriusque hujus cervicalis conjunctione, magis tamen a quinto, quam ſexto, ortus, ante plexum brachialem ita ad pectus ſe demiſit, ut non, more quidem primarii phrenici, inter ſubclaviam arteriam et venam ſeſe intermitteret, ſed ante venam ſubclaviam in pectus veniret. Quod cum ingreſſus eſſet, a latere venae cavae ſuperioris truncum primarii phrenici aliquantulum per duos pollices eſt comitatus, donec ante et infra bronchum dextri lateris ad acutiſſimum angulum cum primario, ex nono et cervicali quarto phrenico nato, conflueret.

Par vagum illum ex multis filamentis, primum intra cranium pia matre et arachnoidea conjunctis, poſtea ſub jugulari foramine tela celluloſa inter ſe combinatis, compoſitum faſciculum nervoſum dicimus, qui ante ſe gloſſopharyngeum et poſteriore loco acceſſorium ſibi appoſitos habet nervos, et inter eos per foramen lacerum cranio emittitur. Cum gloſſopharyngeum, nullibi in ſuo per jugulare foramen egreſſu cum

vago

vago conjunctum, ab eo separatum esse cupiamus, nullam ejus mentionem reddendam esse primum opinari quis posset; attamen, cum non tam propterea, quoniam alii eum ad vagum retulerunt, quam, quia ejus mira et multiplex est cum variis ramis paris vagi et intercostalis in collo et tracheali pharyngis regione anastomosis, hunc nervum plane omittere non potuimus.

Glossopharyngeus inter processum styloideum et carotidem internam declivi via ad linguae posteriorem partem dirigitur, ante hanc internam carotidem ramum dimittit anastomoticum cum pharyngeo conjungendum, unde arcus fit, cujus inferior pars ganglion aemulatur carotidi internae ascensurae appositum, ex quo gangliformi, ab inferiore glossopharyngei ramo et pharyngeo nato, arcu rami, cum mollibus nervis trunci intercostalis conjuncti, in pharyngem dimittuntur. Hoc facto inter lingualem nonum nervum et pharyngem ipsum ita se profert glossopharyngeus, ut, priusquam in linguae posteriorem et inferiorem partem abeat, alium ramum insignem ad pharyngem demittat, qui, in pharyngis laterali parte cum ramulis, ex ganglio pharyngeo natis, anastomosi jungitur et in pharyngem absumitur, alium vero sursum ad lateralem et tonsillarem pharyngis regionem distribuat. Eodem loco alius ramus ad stylohyoideum et biventrem, ita tamen, descendit, ut in laxa illa tela cellulosa, carotidi internae et venae jugulari internae circumposita, nonnulli ramuli ejus cum mollibus nervis copulentur et in plexum pharyngis immittantur.

Paris vagi cum communicantis faciei medio ramo anastomosis raro reperitur. Videtur quidem ex ea haud incongrue ea vultus mutatio explicanda, quae eorum est, qui, cum cruda et male digesta ventriculo contineant, miras tenuiorum faciei musculorum contractiones experiuntur; hujus tamen rei caussa etiam ex aliis, et inprimis e paris vagi et intercostalis anastomosibus hujusque inprimis tum cum pari vago, tum cum pari quinto, connexione peti potest. Haud enim insolitum est, quibus ventriculus male concoquat, hos propter latissime patentem nervorum ventriculi conjunctionem toto corpore languere et capitis dolore laborare.

Pharyngei nervi, primi scilicet paris vagi rami, operosa quodammodo est disquisitio. Sunt in interstitio, quod ab angulo maxillae inferioris, processu mastoideo, styloideo, pharynge, vertebrisque colli, et superiore asperae arteriae parte, intercipitur, tot tamque diversae partes positae, tamque copioso contextu celluloso involutae, filamentis inter se junctae, et musculis praeterea multiplicis generis interpositae, ut, antequam ad istam profundam intercapedinem, ubi pharyngeum reperis, pervenias, nervi intercostalis superiorem et canali carotico egressam partem, par vagum ipsum, carotidem internam, nervum nonum, accessorium, aliosque a cervicalibus tribus superioribus ortos ramos necessario probe distinguas, si hanc ex tot inter se complicatis nervis compositam telam et nervum pharyngeum diligenter rimari cupis. Neque tamen facile quis ab inveniendo eo aberrare potest, reperto glossopharyngeo, sub quo, non ex pari vago nato, sed ei circumflexo quodammodo et contiguo, ad duas tresve lineas ex trunco paris vagi enascitur et glossopharyngeo duplo minor trans arteriam carotidem internam ejusdemque exteriore loco in gangliformem partem abit cum

gloſſopharyngeo conjunctam, inde vero in duos iſtos ramos dividitur, quorum ſuperior in lateralem et poſteriorem pharyngis locum, maxime in conſtrictorem medium et conſtrictoris inferioris ſuperiorem partem et thyropharyngeum muſculum quinque et pluribus filamentis dividitur; alter et inferior, qui ramus pharyngeus inferior dici poſſe mihi videtur, ad inferiorem conſtrictorem et oeſophagum ipſum demittitur. Vidimus tamen etiam ex hoc ganglio pharyngeo ramos ad plexum nervoſum, qui in loco diviſionis carotidis communis carotidem internam comitatur, diſtributos ibique cum ſurculis nervi intercoſtalis mollibus conjunctionem factam eſſe, unde ejus ad cardiacum plexum diſtributio eſſe ſolet.

Inter acceſſorium et ganglion cervicale ſuperius ſub pharyngeo pollicis dimidii longitudine laryngeus ex pari vago editur, qui magnitudine gloſſopharyngeum aequat vel ſuperat. Is ab interiore carotidis internae latere declivi via ad latus pharyngis et arteriae aſperae flectitur, antequam vero in iſtam partium telam diſtribuatur, varios ramos plexui nervoſo carotico poſteriori impertit, aliisque cum cervicalibus ſuperioribus conjungitur et cum iſtis eorum ſurculis confluit, qui ad plexum cardiacum deſcendunt. Hoc facto in duos ramos a latere interiore carotidis communis dividitur, quorum ſuperior, major per membranam ligamentoſam laryngis, oſſi hyoideo et cartilagini thyreoideae interjectam, ad interiora laryngis dividitur, quae diviſionis ratio non niſi muſculo thyreohyoideo plane conſpici poteſt, et inferior in poſteriores laryngis muſculos, cricoarytenoideos diſtribuitur.

IX.

IO. GOTTLOB HAASE

DE

PLEXIBUS OESOPHAGEIS NERVOSIS PARISQUE VAGI PER PECTUS DECURSU.

LIPSIAE 1791.

Cum HALLERUS, Vir immortalis memoriae, iis locis, quibus arteriae ad varias et ſede a ſe invicem non parum dimotas partes dividuntur, magnum nervorum numerum inveniri vidiſſet, qui, vel reti compoſito, vel laqueis et anſis effictis, arterias venasque concomitarentur ac circumirent; in eam incidit opinionem, ad eam, quae ſit nervorum in varia eorum affectione ad motum ſanguinis vel augendum, vel retardandum, vel perturbandum, immo ipſam humoris hujus craſin mutandam, vim, quemcunque ex iis, in quas incurrat, difficultatibus aliquo modo ſeſe expedire poſſe, ſi ad hanc nervorum progreſſus, diviſionis, et copulationis rationem mentem et oculos intentos teneat. Quae res non ſolum ipſum impulit, ut, cum eſſet ampliſſima doctrina ornatus et obſervationum ubertate ac varietate inſtructus, hanc opinionem ſuſtinere ſtuderet, ſed alios etiam commovit, ut truncorum nervorum, eorumque ramorum decurſum ac directionem inde ab ortu usque ad finem ſtudioſiſſime diſquirerent. Ac veriſſimum quidem et maxime cognitum eſt, paris vagi utriusque lateris ramum reflexum ſive recurrentem aeque atque eos, qui in cervicibus circum ſubclaviam et cervicalem inferiorem ac anteriorem arteriam ad ſuperiorem thoracem in ganglion magnum ac recurrentis principium deſcendant, filamenta eſſe vaſis ſtricte circumflexa. Certum etiam eſt, non ſolum vaſa minora, arterias maxime, ſed ductus etiam excretorios plurimis in corporis locis ac partibus ingenti nerveorum filamentorum copia, tanquam laqueis, cingi et comprehendi, quae cum trunculis in partes remotas ac parenchyma viſcerum intrent et ductus excretorios comitentur. Quam nervorum directionem uti in pharyngea HALLERI, transverſali faciei, temporalis arteriae ramo ſuperficiali et profundo, tribus caeliacae ramis, renali, ſphenopalatina aliisque, ita in glandulae parotidis ductu Stenoniano et glandulae ſubmaxillaris Warthoniano ſaepe admirati ſumus. Qua in re ita conſtans ac fida fuit natura, ut hoc nervorum connubium etiam in reconditiſſimis cavis et oſſium receſſibus eſſe juſſerit, quod nuper, SCARPAE [1]) et WRISBERGII [2]) labores imitatus, in nervis narium internis, a ramo ſphenopalatino

1) *Anatomic. annotat.* lib. II. *de organo olfactus praecipuo*, cap. 4. 5.
2) *Commentat. anatom. Syllog.* p. 37. — hor. ſcript. T. III.

nopalatino ortis, satis superque cognovi. Nam, cum, cavo narium verticali sectione diviso, membranae pituitariae posteriorem partem a ganglio sphenopalatino removissem et ossis palatini tenuissimam, quae canalem pterygopalatinum anteriorem interius tegit, partem resecuissem, singuli arteriae sphenopalatinae rami, cum nervis per canales digressi, nervis comprehendebantur et obvolvebantur. Quemadmodum Vidiana arteria in pterygoideo canali a recurrente interius tecta et in duos ramos divisa cernitur, quorum alter petrosum nervum, alter radicem intercostalis nervi sequitur, ita, cum canalis pterygopalatinus, remota palatini ossis tenuiore et posteriore verticali parte, diffractus esset, tum nervi palatini majoris cum arteria palatina ad fornicem palati, tum palatini minoris cum ramulis arteriosis ad pharyngis lateralem tonsillaremque partem decursus ac distributio plane sese mihi obtulerunt. In ea disquisitione etiam didici, nec nervum nasopalatinum solum sed cum arteriola conjunctum arcuato progressu ad septi narium superiorem partem flecti, ramosque ejus cum vasis per canales duos osseos, lamina tenui ossea tectos, per foramen Stenonis incisivum ad palati fornicem finiri, eamque arteriam non, ut Hallerus 3) credebat, a palato ad nares ascendere, sed, cum diameter ejus versus sphenopalatinam arteriam amplior sit, inde ab interiore parte fissurae sphenonasalis in tractu nervi nasopalatini pergere.

Quae cum ita sint, facile potuisset ab eo, cujus erat eximia corporis animalis cognitio et ingenii fertilitas, opinio, nervorum laqueis modo strictis, modo relaxatis, miram oriri motus sanguinis aliarumque functionum varietatem ac mutationem, sustineri, nisi, irritabilitatis caussam ac fontem exploraturus, nullum in nervos, qui sensum feriat, cadere motum, experimentis cognovisset. Cui argumento et hoc addi potuisse arbitror, tantam esse quorundam nervulorum truncis arteriosis circumjectorum exilitatem ac tenuitatem, ut, etiamsi vere constringerentur, canales tamen sanguine plenos comprimere non possent; quod facile is concedet, qui non ignorat, illa, quae a ganglio cervicali medio arteriae cervicali et subclaviae circumflectuntur, filamenta nervea esse admodum tenuia ac tenera.

Quanquam vero magno illi viro, hoc, quod in opinione, quam ipse protulerat, quaeque non destituitur argumentis, plane abjicienda primum se ostenderit, facile condonare possumus; praesertim cum ea nec usu et sensu confirmetur, nec ipse, irritabilitatis doctrinam stabiliturus, a se dissentire potuerit; extant tamen, non levia, illa, quae opinionem istam non quidem ab omni parte sectandam, limitandam tamen esse manifesto probant. Nam si verum est, animo multis variisque modis affecto et modo exhilarato, modo perterrito ac commoto, corpus ipsum ita affici, ut quaedam ejus partes vel rubore suffundantur, vel pallore obsideantur, modo humores profundantur, modo retineantur, et in ipsis excretoriis ductibus, ut biliferis et salivalibus, insignes varietates inveniantur, haec vero sine nervorum in vasa vi et actione mente concipi nequeant, justam esse intelliget quisque caussam, cur, haec explicaturi, a nervorum ad partes decursu ac distributione oculos ac mentem deflectere non debeamus.

Latius

3) *Icon. art. Fasc. II.* not. y.

Latius patere hanc nervorum poteftatem, et praeter vafa etiam alias partes nervorum culpa matari, comprobarent fuperiores octavi nervi cerebri rami, quorum mira cum intercoftali nervo, parte dura feptimi nervi, et cum nono, conjunctione multiplex ille continetur confenfus, qui in fanis fuavitatis non parum, in aegrotis moleftiae plurimum habet. Cum autem in argumento, cujus tractationem quondam jam ingreffus eram 4), perfequendo animum pofuerim, meis inprimis adjutus excitatusque laboribus, de plexibus oefophageis nervofis parisque vagi per pectus decurfu agere ita eft animus, ut iftis, quae in plurimis inveniantur, quaedam, minus ufitata addantur.

Dum nervus vagus a fuperiore colli parte ad fupremum thoracem defcendit, dimiffo ramo eo, qui cum molli ramo nervi intercoftalis cardiacum plexum intrat, anteriora verfus fertur et ante fubclaviam vel innominatam arteriam ad pectus ita pergit, ut arteria hac et vena jugulari interna intercipiatur. Eo loco ab interno phrenici latere in pectus ingreditur, et, quanquam in omnibus ad arteriam afperam, cardiacos et pulmonales plexus et oefophagum extenditur, poterant tamen et quaedam de progreffu ejus in pectus collectae obfervationes id, quod aliis jam altiori thoracis loco cum nervis ad abdomen decurrentibus, vifum eft, commercium quodammodo comprobare. Novimus, nervi truncum ante fubclaviam vel innominatam arteriam in quibusdam in duos dividi ramos, quorum alter et pofterior circa arteriam fubclaviam vel innominatam reflectitur et recurrens appellatur, alter, dimiffo interdum minore recurrente, introrfum propius broncho apponitur, et, cum major fit et e longitudine oefophagi in uno plures ramos divifus, truncus octavi nervi ipfe eft habendus. Licet autem in plurimis tres, quatuor, quinque dimittit ramos, qui inter fuperiores vertebras dorfi et arteriam afperam ad pulmonem et oefophagum defcendunt, octo tamen in nonnullis numerare potuimus. Hoc facto truncus a tergo pulmonis dextri nonnihil latefcit, connexus ibi cum eo per filamenta nervea, quae vifceri huic infinuantur. Nafcitur enim ibi plexus pulmonalis dexter, cujus furculi bronchum fequuntur et in pulmone finiuntur. Truncus denique in rete plexumque dividitur oefophageum, cujus rami tres pluresque, faepe non parvi, et reticulari anaftomofi juncti, per averfam oefophagi partem defcendunt feparati, vel in unum filamentum uniti, quod poft oefophagi cum cardia ventriculi factam unionem vel cum ganglio fplanchnico vel cum plexu femilunari confluit. Sinifter, dimiffis quibusdam ad cardiacum plexum ramis, eodem modo dividitur, et, reflexo circum arcum aortae recurrente, in duos finditur ramos, quorum minor bronchum finiftrum fequitur, major vero cum ramis dextri vagi nonnullis paffim junctus et defcendens, plexum pulmonalem finiftrum, et oefophageum ejusdem lateris five anteriorem effingit, quo facto ante cardiam ventriculi in latifculam partem mutatur, unde praecipue in plexum gaftricum anteriorem finiri ac confumi videtur.

In

4) Progr. *de nerv. phren. dextri lateris duplici parisque vagi per collum decurfu.* — v. fupra p. 112. fqq.

In omnibus, in quibus is eſt paris vagi decurſus, nihil illud quidem ab eo loco, quo recurrens ad tracheam et gulam reflectitur, augmenti accipit, ſed propriae in variis cadaveribus collectae obſervationes me docuerunt, par vagum et intercoſtalem nervum in nonnullis longe ſuperiore loco ac maturius ad viſcera infimi ventris nervis inſtruenda connubium inire. Ex eo, cujus praecipue ad normam hujus nervi decurſum per pectus indicavimus, cadavere cognovimus, nervo propter eam, quae ejus cum ganglio thyreoideo et thoracico magno eſt, vicinitatem, vel ex utroque incrementum parari. Recte annotavit NEUBAUERUS [5]), induſtrius ille nervorum cardiacorum inciſor, ex iſtis, qui circum ſubclaviam arteriam anſae in modum a ganglio thyreoideo ſive cervicali inferiori ad thoracicum magnum demittantur, ramis, interiores per communicantes ſurculos non ſolum cum eo ipſo ganglio, ſed etiam cum cardiaco plexu profundo et ſuperficiali ac nervo recurrente committi; at vero nuper vidimus, etiam hujus ganglii anaſtomoſin in nonnullis ad ipſum paris vagi a latere oeſophagi deſcendentis truncum pertinere. Duplex in eo, unde haec collegimus, corporis trunco anſa ex ganglio thyreoideo ad thoracicum primum dirigebatur, quarum exterior ante arteriam ſubclaviam et circum eam in hoc ganglion finiebatur, interior ſub eadem arteria in duos dividebatur ramos, quorum interior, cum ramo ganglii proximi inferioris magni thoracici aſcendente conjunctus, partim in plexum cordis magnum ac profundum, partim in truncum deſcendentem paris vagi deſiit et cum eo ad oeſophageos plexus deſcendit.

Hoc a me aſſertum utriusque nervi magni, intercoſtalis nimirum et paris vagi, connubium, unde hujus augmentum phyſiologi excitare poteſt ſtudium, etiam ſplanchnici illius in colli regione ortus comprobare videtur. Licet enim is, cum non in omnibus inveniatur, inter conſtantes nervos referri non poſſit, conſtat tamen, eum, ſi adſit, ex cardiacis ortum et pari vago ſuperiore loco in nonnullis auctum, vel in eundem nervum vagum, vel in plexum ſtomachicum poſteriorem, vel profundius deſcendere, ramosque ejus nonnullos cum plexu meſaraico inferiore conjungi. Nervus iſte tribus quatuorve ramis ex plexu cardiaco in colli regione inferiore natus cum oeſophago in thoracem ingreditur, in dextro latere venae ſine pari in ſiniſtro aortae proximus, eoque loco nonnullis filamentis nervi intercoſtalis auctus, in abdomine cum pari vago vel ſplanchnico copulatur.

Ex iſtis varia colliguntur, quorum alia ſani corporis functiones, alia aegroti morbos illuſtrant. Negandum non eſt, paris vagi inde ab inferiore colli regione ad finem usque in ramos diſceſſionem eo ſpectare, ut cor, pulmones et viſcera infimi ventris nervis inſtruantur. Quo magis vero ad plexuum abdominalium latitudinem ac varietatem ramorumque cum intercoſtalis nervi ramis diſcedentium multitudinem attendo, eo magis intelligo, opus fuiſſe, ut ſat roboris in truncis paris vagi ad abdomen deſcendentibus eſſet, cujus beneficio larga diſtributio

5) *de nerv. cardiac.* p. 132.

diſtributio fieri poſſet. Non dubito itaque, quin iſtud, ab ganglio cervicali inferiore et thoracico primo vel a plexu cardiaco per ſympathicum ſuperiorem et minorem factum, augmentum in iis, in quibus haec ſtructura invenitur, huc ſpectet, ut par vagum, vel majores ejus rami, accepto hoc incremento, tot ramis dimittendis ſufficerent, quot diſtribuendi eſſent. Eadem vero anaſtomoſis intercoſtalis cum pari vago cauſſa eſſe mihi videtur, quod in variis infimi ventris morbis cor propter inſignem, quae ejus eſt, irritabilitatem in conſenſum trahatur et ad crebriores contractiones ſtimuletur, in pectore ipſo vero dolores excitentur. Probabile admodum eſt, dolores iſtos, qui pectore percipiuntur, febrimque excitatam illam, ſi acrimonia quaecunque, inprimis carcinomatica e carcinomate mammarum reſorpta, ad ventriculum, pancreas, glandulasque meſenterii et ad ipſum uterum conjicitur, ab eadem naſci cauſſa. Haec enim, dum nervos infimi ventris vellicat, ipſum cor in ſenſus communionem trahere, crebriores ejus contractiones et dolores in pectore moleſtiſſimos ciere poteſt.

X.

IAC. IO. KLINT

DE

NERVIS BRACHII.

GOTTINGAE 1784.

Cum solidioris chirurgiae, si humano generi salutaris et proficua fieri, et cum honore, conscientia et securitate exerceri possit, primarium fundamentum anatomica corporis cognitio dicatur: omnes semper, durante studiorum academicorum cursu, vires intendendas esse censui, ut illa accuratius imbuerer. Adjuvit ardorem, auxit, confirmavitque *Solertissimus* et *fidelissimus Praeceptor* talem in modum, ut sine omni verborum fuco, laetabundo pectore sincerissimas Illustri Wrisbergio persolvam publice gratiarum actiones. De humanitate, facilitate instruendi ingente, de benevolentia qua auditores suos amplectitur, et de eruditione Viri optimi, ea omnino depraedicare non erubesco, quae Illustrissimus L. B. de Asch [1]) grata mente de Hallero, suo tunc praeceptore pie et candide olim dixit. Concinnis praecipue et doctissimis Venerandi praeceptoris demonstrationibus, in quibus aequali probitate et candore cum rem cognitam et notam, tum ab ipso melius adornatam et inventam cum suis auditoribus benevolentissime communicat, permotus sum, descriptionem *nervorum brachii* Ill. Wrisbergii suasu pro themate Dissertationis seligere, in qua re pertractanda, et pro virium mearum indole ad finem perducenda cadaveribus, libris ex divite sua suppellectili, re quoque et sapienti consilio ubique me sublevavit. Et, ne quidquam nitoris deesset, quod opusculo meo gratiam et commendationem conciliare apud eruditos posset, humanissime concessit, ut ex locupletissimo rerum anatomicarum Musaeo brachium, venas et nervos cutaneos eleganter praeparatos exhibens, depictum et aeri incisum addere potuerim.

Ultimo loco pauca tantum verba de ortu nervorum brachii monenda sunt. Nisi in uno alteroque cadavere respectu originis consuetorum 6 7 vel 8 nervorum brachialium, qui ex uno alteroque parium cervicalium et dorsalium fasciculo coalito et denuo rursus diviso formantur, occurrat, omnes recentiores scriptores a Du-Verneyo ad Ill. Haasium usque, praecipue vero Ill. Camperus veritatem ita proposuerunt, ut nihil magni momenti addi possit.

Sequuntur enim nervi in plexu magno brachiali ex coalitu paris 5ti, 6ti, 7mi, 8vi nervorum cervicis et 1mi nervorum dorsi parato sequenti ordine. *Musculo-cutaneus*

1) Diss. de Primo pare nerv. medullae Spinalis. Goettingae 1750.

cutaneus ex pari 5to et 6to quoad maximam partem cum accedentibus ope nervi mediani paucis filis nerveis ex 7mo provenit. *Medianus* certiſſime ex pari 5to, cum magnam portionem hujus paris, caeteroquin quam maxime in ſcapularem radialem et muſculo-cutaneum conſumti, aſſumat, 6to, 7mo, 8vo cervicalium, et paucis filis ope cubitalis illi allatis ex Imo dorſalium oritur.

Radialis et qui cum ipſo, ut ramus cum trunco, arcte conjunctus eſt *Axilliaris* gignuntur ex paribus 5to, 6to, 7mo et ope radicis ex nervo cubitali in eosdem miſſis ex 8vo cervicalium et Imo dorſalium.

Cubitalis cum *binis nervis cutaneis internis* quoad maximam partem formatur ex 8vo pare cervicali et Imo dorſali huic inde enato trunco ſuperaccedit altera radix in plerisque cadaveribus a 7mo cervicalium pare, cujus maxima portio in medianum conſumitur.

CAPUT I.

DE NERVO MUSCULO - CUTANEO.

Nervus muſculo-cutaneus fere omnium recentiorum a Duverneyi temporibus, qui antiquam denominationem deſeruit, *Oeuvres anatomiques à Paris* 1761. 4. *T. I. p.* 109 ad Winslow. *Expoſ. anat. T. III.* §. 222 *p.* 274. Monro ſen. *on the bones a. nerv. p.* 411. Haller *El. Phyſ. IV. p.* 249. Ill. Camper *l. c.* Lieutaud *Anat. hiſt. et prat. T. I. p.* 665. Ill. Martini *de Nerv. corp. hum. Sect. II. p.* 210. Celeb. Haase *cerebri nervorumque anat.* p. 98 noſtrumque aevum usque.

Synonyma.

Secundus brachium petens Vesal. ed. Baſ. p. 336 it. Casserii et Vieussenii.
Primus nervorum brachialium Albini Explic. tabular. anatom. Euſtachii p. 115.
Secundus Diemerbroekii opp. T. I. p. 763.
Perforans Casserii reſpectu Coraco-brachialis.
Cutaneus externus et radialis Wrisb.

Figurae meliores.

Vesalii de hum. corp. fabr. edit. Baſil. p. 232 ϱ pag. 353 et 354 Z.
edit. Lugd. bat. Boerh. et Albini p. 373 et 391 Z. S. clarior fig. praec.
edit. Ingolſt. Ill. Level. p. 216. 226.
Eustachii edit. Rom. Lanciſ. Tab. XIX. p. 33. edit. Leid. Albini. Tab. XIX. Nro. 11. 32. 33.
Casserii Tabular. anat. 78. edit. Bucret. apud Spiegel. *opp.* Lib. VII. Tab. III. fig. II. ζ 2 η η 2.
Vieussens Nevrograph. edit. Lugd. Tab. XXV. et XXVI. E.

Berretini et Petrioli Tabulae anat. I. p. 9 cum pluribus ſequentibus omnibus malis.

Gautier Expoſit. anat. edit. Maſſil. Tab. XVII. r. ſed admodum imperfecte.

Dagoty Expoſ. Anat. des org. des ſens Tab. VI. 24.

Ill. Camperi Demonſtr. anat. path. L. I. Tab. I. n. 51. 57. 58. 59.

Ill. Alex. Monro jun. Obſervations on the ſtruct. a. funct. of the nerv. ſyſtem. Tab. XV. 17.

Nostra in adjecta tabula 35. 36. 37. 38. etc.

---

§. I.

Ortus ex communi omnium nervorum brachialium plexu, et praeprimis ex illa parte, quae medianum et cubitalem gignit, cum mediani autem altero crure praecipue conjunctus, ut, prouti ſuperius monui, ad mentem Praeceptoris Ill. Wrisbergii magnus mediani nervi ramus appellari poſſit, a mediano ſeparatus, iter ſuum ſpeciatim nunc proſequitur.

Decurſus nervi *Muſculo-cutanei* ejusdemque directio quammaxime exteriorem ſeu radialem univerſi brachii aeque quam manus regionem occupat, ita quidem, ut perforato *muſculo Coracobrachiali* tactisque muſculis *bicipite*, *brachiali interno*, *ſupinatore longo*, verſus cutem partis brachii radialis decurrat, et in dorſo manus finem capiat.

In ſpeciali et accuratiore autem progreſſus hujus nervi examine, diſtributio ejusdem per plures brachii particulas animadvertitur.

§. II.

Ubi enim nervus muſculo-cutaneus medianum deſeruit, in illa inter medianum et muſculo-cutaneum intercapedine, magnae venae brachii arteriaeque axillaris comites aſcendunt, et cum vena baſilica in truncum venae axillaris et ſubclaviae confluunt. Quicunque hujus venae per inſignes hos nervos tranſitum attente intuetur, facile ſibi perſuadebit, motum ſanguinis in illa, quae omnino communem venarum brachii profundarum truncum ſiſtit, ope horum nervorum ſub diverſa illorum conditione inſigniter mutari poſſe et debere.

Statim ab initio nervi muſculo-cutanei antequam coraco-brachialem perforat, in 13 cadaveribus obſervavit Ill. Wrisbergius mediocrem ramum principio alterius bicipitis muſculi ex proceſſu coracoide orti inſertum, inter conſtantes autem ramos eum minime referendum eſſe exiſtimat, nec mihimetipſi in uno cadavere illum quaerenti occurrit. Oblique nunc et ad acutiſſimum angulum nervus muſculum coracobrachialem perforat; pro ratione magnitudinis muſculi, paucos parvosque ipſi exhibet ramulos, quorum numerum 4 nunquam ſuperare vidi.

§. III.

Per totam brachii anterioris et exterioris longitudinem decurrit jam nervus mufculo-cutaneus inter bicipitem et brachialem internum feu flexorem inclufus, et mox in nonnullis cadaveribus altius, mox profundius in plures ramos truncus dividitur. Minores rami funt mufculares in utrumque bicipitis crus miffi quatuor, quinque, numeri inconftantis. In media autem circiter bicipitis parte truncus nervi conftanter in duos ramos finditur [1]), alterum majorem, quem *fuperficialem* appellare poffumus, (hic eft verus *cutaneus*) alterum minorem *profundum* et *mufcularem*.

Ramus minor idemque *profundus* ftatim in plures diverfae magnitudinis minores ramos dividitur, quorum fere omnes in flexorem brachialem mittuntur. Binos vero ramos oftendit Illuftris Praeceptor cum ramo fuperficiali ex mediano per egregias anaftomofes confluxiffe, et nitidiffima retia circa arteriam venasque brachiales profundas formaffe. Alius ex his difperfis ramis ortus furculus cum arteria nutritia humeri interiora offa penetrat [2]).

§. IV.

Ramus major *fuperficialis* revera *cutaneus* omnium ramorum nervi mufculo-cutanei primarius et accuratiore cognitione digniffimus, cum ejus fub venaefectionibus in cephalica pollicis inftitutis laefiones funeftiffima interdum produxerint fymptomata. Derelicto ramo profundo ulterius fub ventre bicipitis progreditur, et in omnibus fubjectis ad marginem exteriorem tendinis inter venam cephalicam et tendinem bicipitis ipfum verfus plicam cubiti defcendit, in plures ramos divifus. *Primus* fatis infignis inter brachialem internum et venam cephalicam ad radialem cubiti regionem deflectit, editis parvis ad fupinatorem longum furculis totus cutaneus fit, repetitisque fubdivifionibus in cute finitur, factis tam cum ramo cutaneo ex radiali, quam cum continuatione trunci ipfius mufculo cutanei usque ad carpum anaftomofibus. Truncus dein fub ramo venofo ex mediana vena cum cephalica anaftomofin fuftinente tranfit, et duos furculos parvos fuper illum ramum et venam medianam conjicit [1]) tunicis ejusdem profpicientes. Emittit praecipue fub illo ramo venofo communicante *fecundum* ramum magnum et infignem, qui fub vena emerfus, ubi minores furculos fubjacenti flexori radiali dedit, juxta totam longitudinem venae cephalicae internae in medianam abiturae decurrit ad volam dorfumque manus usque. Trunco ipfo feu tertio ramo notabiliter minor in plures ramos fpargitur, quorum exteriores partim in fupinatorem longum, extenforem radialem cutemque confumuntur. Maxima hujus rami portio venam cephalicam internam confcendit, eandem oblique fupergreditur et mutata directione nunc pone interiorem hujus venae marginem defcendendo progreditur. Alii rami in hoc decurfu ex eodem orti cum trunco nervi mufculo-cutanei continuato feu tertio ramo validis anaftomofibus uniuntur, alii in cute finiuntur. Finditur dein in duos

 ramos

1) Tabulae noftrae 39. 40.

2) Mentionem feciffe hujus furculi videtur Celeb. Ad. Murray in Diff. *de Senfibilitate offium morbofa.*

1) Tab. noftra δ δ.

ramos aequales venam cephalicam includentes, et cum eadem versus carpum et dorsum manus properantes, ubi factis frequentissimis cum ramis cutanei radialis, versus carpum, dorsum manus, et intervallum inter pollicem, indicem et digitum medium decurrentibus, et cum trunco musculo-cutanei innumeris filamentis in cute finitur. Tertius tandem ramus, qui truncum ipsum ad finem perducit, et crassitie sua insigni non solum, sed etiam longitudine et ambitu sui decursus trunci nomine dignus, relicto ramo secundo sub vena mediana et sub ipsa cephalica, antequam in medianam abierit, ad aliquot pollicum longitudinem delitescens, arctissime venae adhaerens, in plerisque cadaveribus mediam cubiti regionem attingit, et pone interiorem venae cephalicae marginem sensim ab ea remotus descendit. Vidi tamen apud Ill. Wrisbergium specimina nitide evoluta, ubi hic truncus mox sub mediana cephalicam transcendendo pluribus ramis supergreditur: et in ejusmodi subjectis si hoc in loco vena inciditur absque chirurgi culpa vehementissimi dolores, stupores, quin graviores oriri possunt sequelae.

Decurrit deinceps hic ramus inter cutem et subjacentes musculos flexores, radialem, palmarem et digitorum, satis constanti ratione in plures ramos cutaneos, pauciores musculares dividitur, ex quibus varii in tunicas venae cephalicae pollicis, nonnulli exigui in tendines et ligamenta armillaria distribuuntur, quorum praecipui sunt ramus exterior tendinem supinatoris ad insertionem usque comitans, et multis surculis cum vicinis nervis praecipue cum ramo secundo connexus, alius interior cum ramo cutaneo mediani unitus: maximus medius pone arteriam radialem descendens, pluribus filamentis circa illam ludens, longe lateque se super radialem carpi regionem et pollicis superficiem volarem spargens, ibidemque infinitis surculis cum ramo cutaneo mediani et ramo superficiali ex radiali communicans. Distincte videre possumus, si cauta manu tenellos surculos hujus rami evolverimus, ultima ejusdem filamenta ad extremum pollicis apicem distribui, et in cute cum ramis dorsalibus ex radiali communicationem habere.

CAPUT II.

DE NERVO MEDIANO.

Nervus medianus plerorumque recentiorum Duverneyi. Winslowii. Halleri. Camperi. Lieutaud. Martinii. Haasii.

Synonyma.

Nervus brachialium secundus Albini *Explicat. Tab. Eustach.* pag. 115.
Tertius nervus brachialis Vieussenii Nevrogr. p. 217. H. et Diemerbroekii l. c.
Muscularis. Cheseldenii Anat. of the hum. body. edit. Lond. 1712. p. 243.
Nervus brachialis medius Berretini p. 3. alibique.
Nervum axillarem dicit id. pag. 6.
Radialis Monroi sen. of bones and nerv. p. 413 item Works p. 363, retinuit nomen Cel. Monro jun. observat. p. 134 etc.

Icones

Icones commendabiles.

VESALII edit. Basil. p. 353. 354. T. Leidens. p. 391. T. Ingolstad. Level. p. 226. fig. 7. T.
EUSTACHII edit. Albinianae Tab. XIX. Nro. II. 28.
CASSERII Libr. VII. Tab. III. fig. II. ϱστ. in SPIEGEL.
VIEUSSENS Nevrogr. Tab. XXV. et XXVI. H.
BERRETINI Tabulae anat. II. fig. I. E r III. fig. I. X. Tab. IV. fig. I. u. etc.
HALLER Icon. Anat. Fasc. VI. Tab. III. 10. satis bona figura cum vasis brachii.
DAGOTY des org. d. sens. Pl. VI. fig. I. 25.
Ill. CAMPERI Demonstr. I. Tab. I. fig. II. 67. 68. 69.
Ill. MONROI jun. Observ. Tab. XV. 18. sed numerus non expressus est. Tab. XVI. 24. 24. 24.
Nostra figura in annexa tab. 5. 16. 16. 16. 17. 18.

---

§. V.

Nervus *Medianus*, cujus dimidius truncus ipse, comprehendens adhuc nervum musculo-cutaneum, post radialem omnium nervorum brachii maximus est, dimittit statim insignem filamentorum nerveorum portionem, quam plexui magno, originem alterius mediani nervi cruris, cubitalis et cutanei interni seu cutanei ulnaris vel cubitalis constituenti inserit, et sub acutissimo angulo nervos suos cum illis, qui communem originem cubitalis et cutanei interni formant, conjungit, tali autem ratione, ut directio eorundem minime mutetur, e contrario ex repetitis observationibus WRISBERGII quodlibet filamentum post conjunctionem distingui queat, quod pariter vere animadvertit accuratus vir Ill. MONRO [1]), cum paullo post, ex hoc plexu denuo dimissi, et cum aliis nervis ex illo plexu uniti, sub alterius cruris nomine nervo mediano inserantur.

Abiit equidem testante natura, secundum repetitas Ill. WRISBERGII in plus quam 27 cadaveribus descriptas observationes, ex superiore illius plexus parte insignis ramus mere subcutaneus, et in cute etiam finitus, a nemine huc usque annotatus; quem optimus PRAECEPTOR ter ex mediano ipso provenire vidit, sed cum longe frequentius iste nervus, quem caeterum *ramum superficialem mediani* appellat, altius ex plexu prodire viderit, inter constantiores nervi mediani ramos illum hucusque referre noluit.

§. VI.

Ex duobus itaque cruribus [1]) confluens *nervi mediani integer et communis truncus* talem in suo per extremitatem superiorem decursu observat situm et ordinem, ut per mediam

1) *Observations on the structure and functions of the nervous system Edimb.* 1783. *fol.* Tab. XVI.

1) In ejusdem cadaveris brachio, in quo inter alias musculorum varietates etiam arteriae radialis diversam et cum ipsa circumflexa conjunctam vidimus originem, ex epigastrica et ramo ischiadico coalitam obturatoriam, coeliacam et mesentericam ex uno communi trunco provenientes etc. aliquid etiam

mediam fere brachii ſuperioris vel humeri partem, uti ex nomine nervi jam ſuſpicari licebat, cum arteria brachiali fere ſemper parallelus, aut potius eidem incumbens, cum bini venarum brachialium profundarum trunci, arteriam amplectentes latera mediani nervi tangant, in plicam cubi deſcendat, medius quaſi inter utrumque brachialem, flexorem nempe et extenſorem,

Pariter etiam vix mutat ſitum in brachio anteriore ſeu cubito. Super tendinem enim flexoris brachialis ſub pronatore terete in foveam delapſus, quam condylus humeri internus, ulna et radius formant, praeter ramos, quos divaricatione edidit et amiſit, truncus in media fere cubiti parte muſculis flexoribus digitorum incluſus, verſus carpum volamque manus deſcendit, et prouti in ſuperiore brachii regione fidus arteriae brachii comes fuerat, nunc in cubito potius ulnarem arteriam ſequitur, cui tamen non tam arcte annexus eſt.

§. VII.

Cum nunc de diviſione *nervi mediani*, et ramis inde provenientibus ſermo eſt, omnes equidem autores, natura in plerisque cadaveribus humanis conſentiente, conveniunt, truncum nervi mediani usque ad pronatorem teretem, ſub quo decurrit, nullam pati diviſionem, ramum vix ullum, qui attentionem mereatur, ex illo provenire. Judicium hoc, a graviſſimis viris latum, auctoritate et obſervatis Ill. Praeceptoris confirmare poſſum. Non vero praetermittendum eſt, quod optimus Wrisbergius in variis individuis, quin in ipſo ſpecimine et archetypo muſaei ſui, cujus imaginem in tabula adjecta cum publico communicandam mihi conceſſit, nervum *cutaneum internum* ſeu cutaneum ulnarem, eadem ratione, et altera radice mediani cum nervo cubitali connexa, oriri viderit, uti cutaneum externum ſeu muſculo-cutaneum ex priore radice provenire obſervavit: quid quod, in variis hominibus nervi, medianus, cubitalis, et cutaneus internus, ratione originis ſibi tam vicini ſunt, ut dictu admodum difficile ſit, ex quonam illorum cutaneus internus certo provenerit. Sequemur autem receptum ordinem, et deſcribemus *medianum* nervum, nullo habito ad cutaneum internum reſpectu, ut rami ſupremi mediani ſed potius cubitalis nervi.

§. VIII.

Ex duplici nunc radice, in vicinia circiter tendinis muſculi coraco-brachialis coalitis, enatus *mediani* nervi truncus absque ullo notabili, ſaltem grandiori ramo edito, arteriae

etiam ſingulare ratione originis *nervi mediani* obſervatum eſt. Nov. 1779. Ex duplici crure, ut ſolet, conſtabat, altero cum cubitale cohaerente, altero ex communi plexu brachiali orto, et cum utroque cutaneo nexum habente. Hoc ſecundum crus, altero craſſius, loco nervi muſculo-cutanei, qui plane deerat, per muſculum coraco-brachialem tranſit, et in illo itinere ramos ſpargit, qui alias ex muſculo-cutaneo oriuntur, hisce datis in media circiter flexoris cubiti parte, cum altero crure confluit, et in *verum Medianum* abit. Inciſores, ut huc usque generatim in annotandis, obſervandis, et ad naturae conſtantem ordinem accommodandis partium varietatibus, debitam attentionem non adhibuerunt, ita nervorum luſus et varietates, ceu tales plane neglexerunt. Non poenituit itaque me apud Ill. Camperum lectionis Celeb. Coopmanni in *Demonſtr. L. I. p.* 11.

arteriae brachiali venisque profundis parallelus descendit, parvos tamen surculos manifeste tunicis vasorum subjacentium impertit. Antequam se nervus integer sub venis in plica cubiti confluentibus abscondit, emittit duos vel etiam tres ramos constantes versus condylum ossis humeri internum, directionem fere venae anastomoticae habentes, quorum maxima pars brachiali externo seu capiti tertio et infimo extensoris cubiti exhibetur, unicus modo surculus in principio pronatoris teretis evanescit. Tertius in cutem abit. Ipse autem nervi mediani truncus super brachialem internum seu flexorem ejusque tendinem in flexuram cubiti satis convenienter descendit, ut partim a venis magnis superficialibus, quae illi incumbunt, partim aponevrosi bicipitis et pronatore terete talem in modum abscondatur, ut evanuisse videatur. Observationes et praeparata Ill. Wrisbergii hic aberrationem tam frequenter a consueta fabrica occurrentem ostendunt, ut quam proxime ad constantem ordinem accedat. Transit enim secundum Celeb. Praeceptoris annotationes truncus nervi mediani per medium pronatorem teretem, eundemque simili modo perforat, uti musculo - cutaneus coraco - brachialem perforare solet.

§. IX.

Divisio nervi mediani in recondito hoc sinu satis constanter plerumque in ramos contingere solet sequentes: 1) *minorem* ramum ad musculum pronatorem teretem, in quibusdam subjectis ex altiore trunci loco provenientem, in aliis ex binis surculis constantem, mox superiorem pronatoris ventrem, mox medium musculum una cum surculo arteriae venaeque sociae ingreditur, in pluresque ramos divisus musculum ad tendinem usque percurrit, unus autem surculorum fere maximus, ex fibris musculi denuo erumpit, et in cute vicina cum ramo cutanei interni palmari conjunctus finitur. De hoc ramo caeterum adhuc notandum est, brevi itinere in pronatorem abire, si, uti paullo ante monitum est, nervus medianus hunc musculum perforat. 2) *Secundus* paullo major ramus constantissime caput flexoris radialis, seu radialis interni petit, eundem musculum ingressus insigniter latescit, et pluribus surculis per eundem distribuitur, varios surculos manifeste in parte tendinea finitos vidi. 3) Plures parvi rami, numeri inconstantis, per musculum flexorem sublimem digitorum decurrunt. 4) Sequitur nunc ramus *interosseus* bene jam ab aliis ita appellatus. In plerisque hic ramus interosseus ex solo mediano oritur, et tunc satis grandis est, vidi autem bina apud Ill. Wrisbergium exempla, ubi duo crura, alterum ex mediano, alterum ex nervo radiali ligamentum interosseum perforans in verum nervum interosseum coaluerunt. Nervus interosseus autem, derelicto nervi mediani trunco, directionem suam ex ulnari magis in radialem cubiti partem mutat, et fasciculum vasorum interosseorum attingit, eidemque immixtus multifarie dividitur: tres surculi flexori pollicis proprio, duo flexori profundo digitorum exhibentur, sextus omnium maximus vel uti dictum plerumque solus, vel cum radice a radiali conjunctus super ligamentum interosseum distribuitur. Antequam nervus interosseus ipse descendit, emisit elegantem surculum juxta totam longitudinem musculi flexoris pollicis decurrentem, fibras ejusdem hoc albissimum filamentum ad angulum acutissimum secat, et absque ullo cum fibris muscularibus commercio in tendinem musculi abit. Super ligamentum interosseum nunc descendendo nervus

 cum

cum vasis interosseis semper conjunctus manet, et arteriae incumbit, dextrorsum sinistrorsumque copiosos surculos in flexoris digitorum varias partes spargit, et tandem fere tota residua portio in musculum pronatorem quadratum consumitur. Illam enim cum interosseo posteriore, perforato ligamento, communicationem, cujus Ill. MARTIN [1]) mentionem fecit, omni licet adhibita industria invenire non potui.

§. X.

Per totam cubiti longitudinem descendens 5) ramus est truncus ipse nervi mediani continuatus, inter diversas flexoris digitorum portiones ad carpum et palmam manus properans. Satis accurate mediam cubiti partem tenet, ulnae potius paullo propior quam radio. Binos modo surculos prodire in hoc decursu vidi, *minorem* in eam flexoris sublimis portionem, quae indicem flectere debet, *majorem*, quem ramum cutaneum longum volae appellat Cel. MARTIN [1]). Hic in omnibus subjectis exiguus ramus versus tendinem flexoris radialis dirigitur, cui etiam filamentum dare videtur, dein in ligamento carpi et cute finitur. Supra ligamentum carpi truncus dein saepe in duos ramos, paullo post denuo divisos, dispescitur, in aliis subjectis truncus vel supra ligamentum vel sub illo statim in tot ramos secedit, quot digitorum lateribus destinatus est.

Truncus itaque nervi mediani vel integer vel in ramos divisus ex carpo in manum procedens, inter aponevrosin palmarem, quae illum tegit, et tendines flexorum, quibus incumbit, continetur. Manifeste [2]) in hoc transitu duo insignia filamenta, tam aponevrosi palmari, quam principio adductoris pollicis impertit, et insignem ramum anastomoticum in directione arcus arteriosi palmaris sublimis, ad cujus marginem superiorem ascendit, in nervum cubitalem volae manus mittit, quem arcum nervosum anastomoticum Ill. WRISBERG in omnibus subjectis, si descripta ratione lustrantur, invenisse asserit. Ita pariter in quemlibet tendinem flexorum, qui omnes tenaci cellulosa cum nervis cohaerent, filamentum nerveum, vasculum comitans, abit.

§. XI.

Certus sane numerus ramorum ex trunco mediani ortorum vix natura non consentiente iniri potest. Cum enarrationem et descriptionem Ill. CAMPERI [1]), quam etiam fere immutatam assumsit Ill. MARTIN [2]), naturae convenientissimam invenerim, vix quidquam novi addere potero. Desumam meam ex cadavere valentibus et grandibus nervis instructo. Divaricatur nervi mediani truncus antea in binos ramos divisus generatim in 4 majores et 3 minores [3]): *primus* majorum, pone tendinem flexoris longi pollicis incedens, editis ad flexorem brevem et adductorem surculis, in plures

1) *De Nervis c. h. T. II. p.* 213.

1) l. c. pag. 213.

2) Si distincte haec cernere volumus, cutem manus cum nervis vasis et musculis ab ossibus separatam et a parte dorsali incisam examini subjicere debemus.

1) *Demonstrat. anat. path. I. p.* 11.

2) *De Nervis corp. hum. II.* §. 179. *et seq.*

3) Comme une patte d'oye, composée de six branches principales, DUVERNEY *Oeuvres anatomiques T. I. p.* 111.

plures ramos divisus, *nervus pollicis volaris et ulnaris fit.* Sequebatur nunc ex ordine *minorum primus* ramus, sive respectu numeri ramorum omnium, nulla magnitudinis habita ratione, secundus; hic multifidus cum multis surculis vasorum in cute inter pollicem et indicem consumitur. *Secundus majorum*, sive tertius omnium est nervus digitalis communis secundus, pro ramo pollicis volari et radiali, et pro ramo indicis volari et radiali, ille absque alia mutatione versus pollicem properat, hic autem ramulum insignem, qui in binos surculos divisus per musculum lumbricalem primum distribuitur, quo edito versus indicem progreditur. Sequitur nunc *minorum secundus*, seu omnium ramorum quartus, pluribus surculis aponevrosi palmari perforata aut in eadem manente cum vasorum fasciculis versus cutem volae manus abit. Ita pariter ramorum *minorum tertius*, seu omnium quintus. Prodit jam ramorum *majorum tertius*, seu omnium sextus, digitalium tertius: antequam dividitur, emittit constantem ramum ad lumbricalem secundum, quem una cum arteriarum ramo, inter furcam duorum suorum surculorum inclusо, penetrat. Nervus digitalis tertius ipse dein in duos ramos dehiscit, et arteriam digitalem tertiam transmittit, mutantur rami nervei in ramum indicis volarem et ulnarem, et in ramum digiti medii volarem et radialem. Finem nervi mediani tandem facit *ramorum majorum quartus*, s. omnium septimus, digitalium quartus, certe cunctorum ramorum maximus. Cum hoc ramo digitali quarto in multis cadaveribus communicat cubitalis ope rami ex digitali quinto cubitalis originis in illum missi. Ex eo prodit supra memorata ansa anastomotica: paullo magis progressus, editis denuo parvis surculis multis ad aponevrosin, arcum arteriosum et cutem, gignit ramum ad lumbricalem tertium, et dein bifurcatus in ramum digiti medii volarem et ulnarem, et in ramum digiti annularis volarem et radialem finitur.

CAPUT III.

DE NERVO AXILLARI.

Nervus axillaris vel *articularis* Winslowii, *lib. cit. p.* 284. Monroi sen. *p.* 410. Lieutaud *l. c. p.* 668. Ill. Camperi *p.* 13. §. 10. Ill. Haase §. 194. etc.

Synonyma.

Primus nervus brachialis Vieussenii lib. cit. p. 216.

Ramum modo tertiorum brachialium appellat Ill. Albinus Explic. Tab. Eust. p. 121. 37. 37.

Axillaris sive circumflexus. Halleri l. c. p. 246. Ill. Martin l. c. §. 187.

The articular circumflex nerve Ill. Monro jun. Observations p. 133.

Icones praestantiores.

Eustachii edit. Albinianae Tab. XX. Nro. 11. 37. 38. 39. 40. satis accurate.

Vieussens Nevrogr. Tab. XXV. XXVI. B.

Berretinii Tab. V. Fig. I. p. musculo C. insertum Tab. VIII. Fig. I. pone litteram L. musculum deltoidem significantem: alibique non male.

Ill. Alex. Monro jun. Observ. Tab. XV. 12.

§. XII.

Axillaris ſeu potius *Articularis* nervus *radialem*, cujus primarius ramus dici poteſt [1]), derelinquit, ubi grandis hic nervus cum mediano et muſculo - cutaneo cohaeret, et nervi thoracis poſteriores verſus dorſum deſcendunt.

Magnitudine et craſſitie omnes cutaneos ſuperat, licet ad tam remotas partes non diſtribuatur. Statim ab ortu emittit *primum* ramulum ad vaſa et glandulas axillares: paullo poſt ad inferiorem ſcapulae marginem ſeu coſtam deſcendens, exhibet *ſecundum* ramum majorem, per muſculos teretem minorem, majorem et latiſſimum dorſi diſtributum, plures minores hujus rami ſurculi cutem petunt, et cum thoracicis ex dorſalibus communicant: Flectitur dein circa collum ſcapulae, et ſub arteria ſcapulari inferiore incedit verſus capitulum oſſis humeri ab interioribus ad exteriora. In medio circiter capitulo pone infraſcapularis adhaeſionem dividitur truncus in duos ramos, quorum minor *tertius* ex ordine, quem ſatis concinne Celeb. Martin *l. c. p.* 221 cutaneum humeri externum appellat, ſub principio anconaei longi incedit, et variis ramis per teretem minorem et ipſum deltoidem diſtributis, maximam partem per cutem, exteriorem humeri regionem integentem, diſpergitur, ubi frequentibus anaſtomoſibus cum ſurculis cutaneis ex radiali unitur. Reliqua, quae adhuc ſupereſt major portio, truncum finiens, cum arteria circumflexa majore ſatis conſtanti ratione pluries diviſa ſubdiviſaque in muſculum deltoidem conſumitur.

CAPUT IV.

DE NERVO RADIALI.

Nervus radialis plerorumque inciſorum recentioris aevi. Duverneyi. Cheseldenii. Winslowii. Halleri. Lieutaud. Ill. Camperi. Martini. Haasii.

Synonyma.

Quartus brachii nervus Vesalii edit. Baſ. pag. 344. edit. Boerh. pag. 383. D D.
Quartus brachium ingrediens nervus Casserii in Spiegel. operib. pag. 128. Ψ 3.
Tertius brachialium, qui pone humeri oſſa decurrit. Albini Explic. pag. 115. 29. pag. 121. 37. 43.
Quartus craſſiſſimus Diemerbroeckii Anat. pag. 763.
Quintus nervus brachialis Vieussenii Nevrogr. pag. 220. M. pag. 223. K.
Poſterior brachialium nervus. Berretini Tabularum pag. 11.
Muſcularis Monroi ſen. Bones a. nerv. pag. 411. 5. Works pag. 362. 5.
Spiral - muſcular Ill. Monroi jun. obſerv. pag. 134. 15.
Spindel - Nerve (radialis) Ill. Leveling. Veſal. pag. 221.

Icones

1) Agnoſcit idem Ill. Camper *Demonſtrat. anatomico - path. L. I. p.* 13. quod Winslow *Expoſ.* T. III. p. 284. §. 253.

Icones melioris notae.

Vesalii edit. Baſ. p. 344. Boerhav. Leidenſ. p. 383. Leveling. Ingolſtad. p. 224. D D. ab origine, quoad progreſſum, edit. Baſ. p. 333. Ψ. pag. 354. e. Edit. Leid. p. 373. Ψ. p. 391. e. g. Edit. Ingolſt. p. 217. Ψ. 34. p. 225. e.

Casserii perfecte eadem eſt Veſalii. vide Tabul. Bucret. II. Ψ. in Spiegel. p. 129.

Eustachii edit. Lanciſ. Tab. XX. Edit. Albini. Tab. XIX. Nro. 11. 29. Tab. XX. Nro. 11. 43.

Vieussens Nevrogr. Tab. XXV. M. XXVI. K.

Berretini Tab. V. fig. I. Θ. VIII. fig. I. J.

Dagoty organ. des ſens Tab. VI. k. l. m. n. o. p.

Camperi Tab. I. fig. I. II. III.

Monroi Iun. Obſerv. Tab. XV. 15.

---

§. XIII.

Omnium nervorum brachii in homine maximus et ramoſiſſimus eſt. Singulari modo leniter inflexus ſitum ſuum diverſimode mutat. Ab interiori enim humeri parte, inter duo anconaei muſculi ſuperiora capita, verſus exteriorem humeri et radialem cubiti partem inter radiaeos muſculos procedit ad carpum, et pariter in radiali manus regione finitur. Nomen itaque Radialis nervi ipſi procul dubio eſt convenientiſſimum.

§. XIV.

Ablegato nervo articulari, truncus *nervi radialis*, inter arteriam axillarem et nervum cubitalem ſitus, nihil ſurculorum alicujus pretii emittit. Mox autem prodit *primus* ramus ſatis concinne *ſubcutaneus internus* ex radiali nuncupandus: decurrit inter anconaeum longum et cutem, per quam numeroſis ſurculis ad mediam cubiti partem excurrentibus diſtribuitur. Copioſas ibidem habet anaſtomoſes cum cutaneo interno majore. Nunc exit trunco ramus *ſecundus* inſignis muſcularis ſoli capiti longiori anconaei muſculi impertitus. Ex trunco nervi, jam ſenſim circa os humeri verſus exteriora gliſcenti, provenit *tertius* ramus, cum ramis arteriae humeri profundae per anconaeum ſecundum diſtributus: Dein *quartus* ramus pariter in tricipitis caput ſecundum mittitur. *Quintus* ramus inſignis magnitudinis cum arteria humeri profunda conjunctus, per duo inferiora tricipitis ſeu extenſoris cubiti capita diviſus finitur. *Sextus* ramus parvus eundem finem obtinet.

§. XV.

Jam truncus circa os humeri, modo ab omnibus autoribus accurate deſcripto, ab interioribus verſus exteriora gliſcit, et in intervallo angulari, quod concurſu anconaei ſecundi, ſupinatoris longi et brachialis interni formatur, denuo in conſpectum prodit. Sub ipſo muſculo anconaeo ſecundo gignit *ſeptimum* ramum magnum longum *ſubcutaneum externum ex radiali* appellandum. Excurrit hic ramus pone confluxum

omnium capitum extenſoris cubiti ſub cute, et inconſtanti ratione, reſpectu numeri ramorum, partim per cutem, exteriorem cubiti regionem obtegentem, partim per muſculos diſtribuitur, ſurculos ad dorſum manus extendit: infinitas format anaſtomoſes, praecipue cum ramis muſculo-cutanei et cum radialis ramis inferioribus cutaneis ipſis: elegantia etiam efficit retia circa venam cephalicam pollicis in carpo. Continuatio trunci ipſa nunc inter flexorem cubiti brachialem, ſupinatorem longum brevemque, et muſculum flexorem carpi radialem in exteriorem flexurae cubiti partem delabitur, pluresque ibidem novos gignit ramos. *Octavus* nempe grandis et validus ramus radiali interno ſeu flectenti impertitur, pluresque minores alii ſupinatores petunt. In regione ſupinatoris brevis, nervus radialis cognitam omnibus patitur diviſionem in duos fere aequales ramos: *nonum ſuperficialem*, et *decimum profundum.*

§. XVI.

Ramus ſuperficialis, altero tantillo minor, licet ab Ill. MARTINO [1]) pro continuato habeatur trunco, ſtatim ramum emittit in extenſorem radialem, quoad totam radii longitudinem dein inter ſupinatorem longum et pronatorem teretem progreditur usque ad locum, ubi tendinem ſupinatoris perforando, aut pone eundem incedendo, arteriae radiali parallelus, in inferiore radii parte ſuper carpum emergit [2]). Novam denuo ſubit diviſionem in *ramum volarem*, et *ramum dorſalem:* magnitudine ſibi non perfecte aequales, et bini maximam partem per cutem diſtribuuntur.

Ramus volaris [3]) ſuper abductore longo pollicis, cui ſurculos impertit, volam manus petens, pauculis filamentis ligamento armillari et muſculis pollicis parvis datis, mere cutaneus fit, multasque init cum muſculo-cutaneo anaſtomoſes: praecipuus tandem ramus verſus pollicem procedit, ejusdemque nervus digitalis dorſalis et radialis fit. Elegantes circa principium venae ſalvatellae format amplexus et retia. In aliis ſubjectis vidimus hunc ramum bifidum fuiſſe, et binos ramos digitales dorſales pollicis genuiſſe.

Ramus dorſalis [4]), exhibitis antea pluribus ramulis per cutem carpi in dorſo manus diſtributis, in duos ramos dehiſcit; *alter multifidus* copioſos ſurculos ſpargit in intervallum, inter os metacarpi pollicis et indicis, in muſculos ibidem ſitos cutemque. Unus idemque praecipuus ramus *a nemine deſcriptus* recurvus ſub aponevroſi, interoſſeos tegente, illo in loco verſus ſuperiorem regionem redit, ubi vena profunda in cephalicam pollicis abitura prodit: Aliquis majorum ramorum in ramum digitalem pollicis dorſalem et ulnarem, et ramum radialem indicis finitur. Alter pariterque bifidus lateri ulnari indicis et lateri radiali digiti medii in ſuperficie dorſali proſpicit.

§. XVII.

Ramus profundus, ſi craſſitiem reſpicias, ſuperficiali paullo major, in muſculum ſupinatorem demergitur, et pluribus ſurculis eundem perreptat, maxima autem pars,

1) *De nervis corp. hum. Sect. II. p.* 220. §. 186.

2) *Vide Tab. noſtr.* 54.

3) *Tab. noſtra* 56.

4) *Tab. noſtra* 55.

pars in ipſo hoc muſculo circa radium ſe ſimili modo contorquet, uti truncus radialis circa humerum fecerat, et nunc multifidus in exteriore cubiti parte, inter everſorem Halleri et extenſores digitorum, quibus plures ſurculos ſubminiſtrat, in conſpectum prodit. Praecipui eorum ſunt *interoſſeus externus*, hic, datis pluribus ſurculis ſub everſore muſculo ſuper ligamenti interoſſei exteriorem ſuperficiem ad carpum procedit, et *ramus muſcularis*, qui, exhibitis multis ulnari externo ſurculis, ad ulnarem carpi partem deſcendit.

Nervorum inter pollicem et indicem diſtributorum numerus et frequentia Illuſtr. PRAECEPTOREM cautum fecit in adminiſtranda variolarum ſecundum methodum Waglero-Gattianam, inſitione, quod ipſe in ſpeciali nervorum manus diſpoſitione oſtendet.

CAPUT V.

DE NERVO CUTANEO INTERNO MINORE VEL ULNARI.

Nervus cutaneus minor internus vel ulnaris WRISBERGII delineatus in Tabula noſtra ſub Nro. 8.

---

§. XVIII.

Cum nervo cubitali connexus eſt, ex eodemque pariter originem capit, uti cutaneus ſecundus ſeu internus plerorumque autorum, tertius nervus cutaneus verus et conſtans ab aliis praetervifus, ab Ill. WRISBERGIO *cutaneus minor internus vel cubitalis* dicitur. Mirati omnino ſumus, inſignem hunc ramum cutaneum, tam in optimis EUSTACHII, BERRETINI et Ill. CAMPERI tabulis non delineatum, nec in accuratiſſimis deſcriptionibus b. WINSLOWII [1]), MONROI ſen., HALLERI, Ill. CAMPERI, MARTINI et HAASII verbis expreſſum eſſe, quod certe propter conſtantiam, et latam, amplam, multifariamque ſuam diviſionem omnino meruiſſet. Viſum nobis interim eſt, egregium VIEUSSENIUM [2]), cujus labor pro ea aetate ſtupendam induſtriam et diligentiam prodit, paucis hunc nervum tetegiſſe.

§. XIX.

Accurate repraeſentatum hunc nervum *cutaneum internum minorem* ſiſtit Tabula noſtra adjecta ſub Nro. 8. Originem ducit ex communi illo nervorum faſciculo, qui medianum, muſculo-cutaneum, cutaneum internum majorem, et cubitalem gignit, cum *cubitalis* fibris praecipue connexus. Derelinquit cubitalem ad altitudinem plus quam pollicis ſupra egreſſum cutanei interni majoris, ipſo hoc *cutaneo medio* paullo tantum minor.

Dirigitur

1) *Expoſ. anat. T. III. pag.* 277. „*il ne donne dans ce trajet que de petits filets.*"
2) *Nevrograph. univ.* Tab. 26. Nro. 9.

Dirigitur ſtatim a cubitali recedens verſus interiorem humeri partem et venam axillarem grandem, cui, infra eandem progrediendo, celluloſae ope fortiter annectitur. Procedit dein ad anteriorem latiſſimi dorſi, teretis majoris, et anconaei longiſſimi partem, propior venae brachii profundae interiori in axillarem abeunti. In regione circiter arteriae brachii profundae, truncus in duos ramos dehiſcit: Minor, Nro. 9, quem *poſteriorem* dico, cum magis verſus poſteriorem humeri dirigatur regionem, in plures dividitur ramulos ſurculosque, quorum plerique in exteriorem et poſteriorem cutem, anconaeum muſculum tegentem, et in ipſum anconaeum ad olecranon usque diſtribuuntur: plura ejusdem filamentula e panniculo adipoſo emergentia, in cutis papillas proſequutus ſum. *Major* ramus, interior et anterior potius nominandus Nro. 10 in intervallo, quod caput primum et ſecundum anconaei relinquunt, immediate ſub cute deſcendit, cubitali nervo fere parallelus, verſus tendinem communem extenſoris cubiti et proceſſum anconaeum ulnae excurrit, et in eo itinere vix ſurculum ullius momenti emittit, tacto autem extenſoris cubiti communi tendine, repetitis diviſionibus et ſubdiviſionibus, cum in muſculi extenſoris finem, tum in cutem diſpeſcitur, factis multis cum cubitali ipſo, cutaneo interno majore, et ramo ſubcutaneo ex radiali anaſtomoſibus, ſuper poſteriorem cubiti partem extenſus finitur.

Laeſionibus et irritationibus hujus nervi graves et acuti dolores adſcribendi ſunt, ſi vulnera, preſſiones, furunculi et perfrigeria regionem anconaeam affecerint.

CAPUT VI.

DE NERVO CUBITALI.

Nervus cubitalis fere omnium recentiorum. Duverneyi. Winslowii. Halleri. Lieutaud. Dagoty. Camperi. Martini. Haasii etc.

Synonyma.

Quintus brachii nervus Vesalii edit. Baſileenſis pag. 354. m. Leidenſ. 392. m. et Diemerbroeckii pag. 763.

Quintus brachium invadens Casserii l. c. pag. 128. 32. 2.

Quartus brachialium Albini Explic. Tabul. Bartholomaei Euſtachii p. 115. 30. 48. 49. 50. item Quartus Vieussenii l. c. p. 216. K.

Ulnaris idem quod cubitalis Ill. Martin l. c. p. 215. ſecundum denominationem magni inciſoris b. Monroi ſen. Anat. of bones and nerv. p. 412. item Works pag. 362. etiam Ill. Monro jun. in Obſerv. p. 134.

Icones.

Vesalii de hum. corp. fabr. edit. Baſil. p. 354. m. edition. Boerhav. Leid. p. 391. m. n. o. Level. Ingolſt. p. 226. m. n. o.

Casserii ut praecedens l. c. pag. 129. Tab. II. 32. 33. 34. Tab. III. pag. 131. 32. 34. 35.

EUSTACHII edit. Lancif. Tab. XIX. XXI. Albinianae. Tab. XIX. Nro. II. 30.
VIEUSSENII Nevrogr. Tab. XXV. K. XXVI. I.
BERRETINI Tab. VII. fig. I. r. XVII. fig. I. Ψ
DAGOTY organes d. fens. Tab. VI. VII. 26.
Ill. CAMPERI lib. cit. Tab. I. fig. I. 85. 86. 87. 88. feq.
Ill. ALEX. MONRO Obferv. Tab. XV. 19. Noftra tabula 14. feq.

---

§. XX.

Dimiffo nervo cutaneo interno majore, feu cutaneo ulnari aut cutaneo medio, et ablegata altera ad conformandum nervum medianum radice, magna illa nervi, quae fupereft ex hoc communi trunco portio, fatis bene ab Autoribus *Nervus cubitalis* appellatur. Decurfus enim ejusdem in latere interiori feu ulnari brachii, pone duo inferiora anconaei capita ad fulcum inter condylum interiorem et proceffum anconaeum ulnae, ulterior ejusdem juxta ulnam inter flexorem carpi ulnarem et flexores digitorum ad carpum progreffus, finisque tandem in ulnari manus cum volae tum dorfi parte affequutus, iter hujus nervi omnino fignificant.

§. XXI.

Vena bafilica mox in axillarem mutata fuper nervum cubitalem incedit, eodem vero fub vena nunc demum in confpectum prodeunte, affumit ex nervo radiali conftantem et fatis *infignem ramum anaftomoticum*, quem in defcriptionibus aliorum auctorum pariter fruftra quaerimus, qua ratione oriatur, occafione nervi radialis melius dictum eft. Hoc ramo anaftomotico vel integre recepto, vel quoad maximam partem fibi affociato, provenit ex nervo cubitali in ea circiter regione, ubi radialis fe circa cubitum flectere incipit, vel unice ex cubitali, vel affumpta radice parva ex ramo anaftomotico radialis, infignis ramus *primus* conftans, quem *fubcutaneum ex cubitali Ill.* PRAECEPTOR appellat, inter cutem et ventres tricipitis ad olecranon et interiorem cubiti partem ad manum usque decurrit, et in iisdem finitur, factis multis anaftomofibus cum nervo cutaneo interno minori. Jam truncus nervi cubitalis modo ab omnibus autoribus perfecte fimili et fatis vero defcripto per fulcum, inter humeri condylum internum et olecranon fitum, ad cubitum defcendit, tenui aponevrofi modo tectus, et cuti fere immediate fubjacet; proxime adjacens arteriae recurrenti ulnari. In ipfo hoc fulco trunco egreditur ramus *fecundus* pariter conftans et infignis per carnes ulnaris flexoris feu interni diftributus. Truncus nunc inter principium, medium et finem ulnaris flexoris et digitorum communis arteriae ulnari parallelus, ductu ulnae ad carpum procedit: ftatim fub ramo fecundo emittit ramum *tertium* magnum et mere mufcularem in flexorem profundum. Paullo fupra mediam cubiti partem, cum truncus ad maximam divifionem fefe accingit, trunco egreditur *quartus ramus* praecedentibus major, conftans egregiusque ramus propter nexum cum arteria ulnari praecipua

 attentione

attentione dignus: ab erudito et magno inciſore b. Winslow [1]) aliquantiſper tactus, a recentioribus omnibus neglectus. Ortus ex trunco per 4. 5. pollices adhuc arcte cum eodem connexus manet, dein arteriam cubitalem attingit et cum eadem cohaerens, circa illam repetitis vicibus inflexus carpum penetrat, et ſurculis per tunicas vaſorum, muſculos et cutem diſtributis circa volam manus finitur. Ramum anaſtomoticum communicantem cum mediano, cujus Clar. Martin [2]), mentionem fecit, inter 13 obſervationes ſemel vidimus inter ſublimem et profundum proceſſiſſe.

§. XXII.

Nervi cubitalis truncus jam verſus juncturam cubiti manusque progrediens, conſtantiſſime in duos inſignes ramos ſatis commode *dorſalem* et *volarem* ſignificandos [1]) dividitur. Non ſemper in omnibus cadaveribus ad eandem in cubito altitudinem haec diviſio contingit, ſi absque cultri adminiculo naturaliter ſeparati ſunt, medio in cubito a ſe invicem ſecedunt, vidimus autem ſeparationis locum fuiſſe paullo ſuper oſſiculo piſiformi, ad utrumque tendinis ulnaris interni latus, quam deinceps non ita multo poſt nova rami volaris ſubſequuta eſt in ſuos ramos diviſio. Interim artificioſa cultri ſeparatio hic multum efficit, ut altius profundiusque trunci in ramos diſpergantur.

§. XXIII.

Ramus dorſalis ſub ulnari flexore erumpens, plerumque in 3 ramos dividitur: a) *minor* caeterum ſatis inſignis denuo ad regionem carpi redit, nomine *rami carpei* ab aliis diſtinguendus, conſtantiſſime ad angulum fere a reliquis ramis ſecedit, et arcu facto a margine ulnari ad radialem ſuper carpum progreditur, in ligamenta et cutem ejusdem regionis diſtributus: communicat variis in locis cum ramis ſuperficialibus ex radiali, arcusque ibidem ab Ill. Martine [1]), notatos formant, unus vero vel alter ramorum juxta longitudinem oſſis metacarpi digiti medii decurrunt ad cutem digiti ipſam, et variis elegantiſſimis anaſtomoſibus ramos dorſales ex radiali et cubitali uniunt. b) *Maximus* omnium iterum in duos ramos ſecedens verus nervus dorſalis manus fit, cum bini rami rurſus bifidi digitum minimum et annularem, et c) iterum paullo minor latus ulnare digiti medii tanquam rami digitales ex ſuperficie dorſi nervis locupletent, et cum illis nervis digitalibus dorſalibus ex radiali in arcum abeant.

§. XXIV.

Si ultima nervi cubitalis portio, quae *ramus volaris* truncique continuatio eſt, ſub ligamento armillari parvo, quod inter oſſiculum piſiforme et hamulum oſſiculi carpi cuneiformis medium eſt, una cum arteria ulnari et eleganti rete venoſo arteriam ambiente, tranſiit, in plures plerumque ſtatim ramos dividitur, qui, non ſemper reſpondente obſervatione, ſub duobus modo proponuntur ramis *ſublimi* nempe et *profundo*. In nonnullis equidem ſubjectis haec diviſio locum habet, in pluribus autem obſervavimus

1) *Expoſ. anat. III. p.* 278. §. 234.
2) *Lib. cit. p.* 216.

1) Cel. Martin *lib. cit. p.* 216. §. 182.
1) *Lib. cit. pag.* 217.

vimus a) ramum mufcularem et minimum ad adductorem et flexorem brevem digiti minimi: b) fextum nervum digitalem ad latus volare et ulnare digiti minimi: c) ramum cutaneum: d) ramum communicantem cum nervo digitali quarto ex mediano: e) nervum digitalem quintum ftatim pro latere radiali digiti minimi et latere ulnari digiti annularis divifum: ultimoque loco, f) *ramum profundum* proprie dictum, quod in profundiorem manus regionem defcendat.

§. XXV.

Singularis et tam ratione magnitudinis, quam refpectu diftributionis memorabilis nervus eft *ramus profundus rami volaris ex cubitali*, a nullo pro dignitate fatis defcriptus [1]): addam igitur, quae Ill. WRISBERG praeceptor ingenuus nobis de eodem retulit. Ramus profundus a reliquis rami volaris ramificationibus feparatus, datisque ad abductorem digiti minimi furculis, foveam intrat, inter ligamentum, a) quod proceffum aduncum cum officulo pififormi, b) pififorme fub mufculo abductore digiti minimi tenuiffimum, cum offe metacarpi auricularis, et c) os metacarpi auricularis cum praecedente jungit [2]), inclufam, diverfasque portiones mufculi flexoris brevis perforat, et fub illis una cum ramo arteriae ulnaris, arcum volarem profundum ineunte, in profundiore volae manus parte circa proceffum aduncum flexus comparet. Situm ibidem occupat, leniter in arcum, arcui arteriofo profundo fere parallelum contortus, inter carnes flexoris brevis digiti minimi, adductoris pollicis et mufculos interoffeos, et ab incumbentibus fublimis et profundi flexoris tendinibus, quibus lumbricales adhaerent, obtegitur. Nervus hoc modo arcuatus, cujus extremi fines recte animadvertente Cel. MARTIN [3]), verfus adductorem pollicis exporriguntur, mirum in modum emollefcit, et in plures furculos dividitur: plurimi eorum per mufculos interoffeos diftribuuntur, et pro hoc fcopo ramus ille profundus in hanc regionem defcendit, paucula autem et tenerrima filamenta una cum furculis ex arcu arteriofo profundo mufculis lumbricalibus ex parte pofteriore afferuntur. Magnus autem ramus denuo ab hoc ramo profundo abfcedit, in multis cadaveribus per intervalla tendinum flexorum fublimis et profundi, loco admodum inconftanti tranfit, et cum ramo infigni rami fublimis unitus, nervum digitalem quintum communem format. Sed faepius haec altera radix ex ipfo ramo fublimi jam nata eft, et cum radice altera pariter ex fublimi orta confluens et arteriam digitalem in angulum coalitionis fufcipiens verfus latera digitorum excurrit.

CAPUT VII.

DE NERVO CUTANEO INTERNO.

Nervus cutaneus internus autorum noftrae aetatis, DUVERNEYI. WINSLOWII. HALLERI. CAMPERI. MARTINI. HAASII.

 Synonyma.

1) An b. GEORG. MARTINI *in Commentariis in Barthol. Euftachii tabulas anatomicas. Edimb.* 1755. 8. pag. 220 hunc ramum infigniverit?

2) WEITBRECHT *Syndesmol. Tab. VI. fig.* 21. *u. x. ε.*

3) *Lib. cit. Sect. II. pag.* 217.

Synonyma.

Sextus brachii nervus VESALII edit. Basil. p. 337. 8. 1, 2. p. 353. q. item CASSERII l. c. apud SPIEGEL. p. 128. 36.

pariter VIEUSSENS lib. cit. p. 220. O. sextus nervus brachialis, qui membranis plurium musculorum, panniculo carnoso, et cuti totius partis brachii internae prospicit ad carpum usque. et DIEMERBROEKII pag. 764.

Cutaneus (simpliciter) CHESELDEN Anat. of hum. body. p. 242. 1. et beati MONROI sen. Nerv. p. 411.

The subcutaneous basilic nerve. Ill. MONROI jun. in observat. p. 134. 20.

Cutaneus medius WRISBERGII praelect. anat.

Icones praecipuae.

VESALII edit. Basil. pag. 332. 8. 48. pag. 354. q. edit. Boerhav. et Albini Leidens. pag. 373. et 391. Leveling. pag. 216. 226. sub iisdem litteris; satis bona repraesentatio, cui autem deficit directio nervi in medio fere brachio decurrens, quam natura offert, et nostra tabula imitatur.

CASSERII ex edit. DAN. BUCRETII in SPIEGEL oppb. Lib. VII. Tab. II. 36. seq.

EUSTACHII edit. Lancis. Tab. XXI. edit. Albinianae. Tab. XXI. Nro. 11. 16.

VIEUSSENS Nevrograph. Tab. XXV. O. XXVI. L. sed binae figurae ad situm et veram directionem intelligendam non sufficiunt.

BERRETINI Tabular. Anat. I. fig. I. in sinistro brachio B. videtur indicatus esse.

DAGOTY Organes des sens etc. Tab. VI. 27.

Ill. CAMPERI lib. cit. Tab. II. fig. I. p. q. r.

Ill. MONRO jun. Observ. Tab. XV. 20.

Nostra tabula 6. 20. 21. 22. 23. 24. 25. — 27. 28. 30. — 33. 34.

---

§. XXVI.

Capta origine ex communi plexu, qui alterum mediani nervi crus genuit, et nervum cubitalem producit, cum cubitali eadem ratione conjungendus est nervus *cutaneus internus*, uti de nervo musculo cutaneo respectu mediani dictum est, ut pro primo cubitalis nervi ramo haberi possit. Ratione itineris et decursus sui generatim considerati, sequitur maximam partem in superiore brachio seu humero nervum medianum et subjacentia eidem vasa, nisi quod saltem superius locetur, medianus nervus autem inferiorem situm occupet, nam immediate cuti subjicitur. Haec ratio etiam excusare potest judicium, observatione WRISBERGII fultum, nervum cutaneum internum commercium habere cum mediano. Si plicae cubitali propior factus est, a medio brachio paullo magis versus latus ulnare cubiti declinat, et totus subcutaneus partim in media et interiore, partim in latere ulnari et dorso cubiti ad manum decurrit, ramisque suis majoribus plerumque unum alterumque majorum ramorum venarum cubitalium in basilicam confluentium sequitur, eosdemque comitatur.

§. XXVII.

§. XXVII.

Nervo cutaneo interno a cubitali fecedente, et ad medianum appropinquante, cui etiam exiguo intervallo intercedente cellulofa annectitur, edit exiguum fed conftantem ramum ad fuperiora mufculorum coraco - brachialis et bicipitis; paullo poft jam emittit ramum infignem, quem *primum* appellare poffumus, mere cutaneum, fupergreditur [1]) hic coraco - brachialem et paullo magis ad exteriora declinat, cum ramulo arteriae axillaris et venulae unitur, et egregium rete bicipiti fuperftratum format, ramulos plerosque per cutem fpargit, paucos mufculo fuppeditat, usque in plicam cubiti defcendit, ibidemque factis multis anaftomofibus cum ramis ejusdem nervi inferioribus, circa venas ulnares et cephalicam ludentibus, finitur. Trunco nervi ulterius progreffo, ubi parvis furculis cum mediano unitur, oritur *fecundus* ramus pariter mere fubcutaneus fuper ventrem bicipitis excurrens, et in rete a primo ramo factum confumitur.

Nunc directionem fuam aliquantifper truncus mutat, et magis verfus latus humeri ulnare declinat, venaeque bafilicae propior fit, et in multis cadaveribus illi incumbit et arcte adhaeret. In hoc humeri loco truncus mox altius mox paullo demiffius in duos aequalis fere magnitudinis ramos [2]), *tertium* et *quartum* dividitur, cum paullo antea exiguum ramum cuti fubminiftraverit.

§. XXVIII.

Ramum *tertium* tantillo minorem quarto, *cutaneo - ulnarem* diftinctionis cauffa appellavit Praeceptor, ut ex directione ftatim innotefcat, et diverfa ejusdem a ramo quarto conditio intelligatur. Hic ramus *tertius* feu *cutaneo - ulnaris* a quarto recedens, fuper venam bafilicam fe conjicit, et dum ab incumbente cute contra venam fanguine turgidam prematur, aliquomodo latefcit, aut ope divifionis in ramos, fi hoc fupra venam, uti in multis contingit, in latiorem ambitum expanditur. Alter inde paratur locus, qui fub venaefectione, jufto altius in vena bafilica adminiftrata, periculo anfam praebere poteft, nerveo infigni ramo cum vena pertufo. Plerumque hujus rami divifio fuper ipfam venam fieri folet, frequenter jam contigit, antequam nervus venam attigerit, faepe etiam tunc tandem perficitur, eum nervus jam venam fupergreffus fuerit. Semper in duos ramos grandiores aliquotque exiguos furculos in tunicis venae manentes contingit, qui bini rami, facto infigni arcu, verfus condylum humeri internum, feu flexorium diriguntur. *Minor* verfus anconaeorum mufculorum adhaefionem progreditur, et multis ramis partim in illis, partim in cute, partim in conjunctionibus finitur, quas multi eorundem furculi tam cum nervo cubitali ipfo, quam cum ramo fubcutaneo ex cubitali perficiunt. *Major* fupergreditur vel venam bafilicam ipfam, vel paullo inferius omnes ramos venofos in bafilicam confluentes, medianam nempe et ulnares internas, ibidemque pungi nervus cultri fub venaefectione ictu poteft. Inconftanti ratione nunc dividitur, alii minores furculi in tunicis venarum manent, major ramus verfus olecranon progreditur. Omnium maximus venae ulnaris internae comes cum illa dorfalem cubiti regionem confcendit, et per totam cubiti longitudinem in

 plures

1) Tabula noftra 19.

2) Tabula noftra 24. 28.

plures ramos divisus ad carpum et latus manus ulnare excurrit: frequentissimis anasto-mosibus coit tam cum ramo subcutaneo ex radiali, quam cum ramo quarto cutanei interni ipsius, et cum ramo superficiali ex cubitali versus cutem digiti minimi excurrente; fere unice cuti descriptae regionis impenditur.

§. XXIX.

Ramus *quartus*, vera trunci continuatio *Cutaneus palmaris* ab Ill. WRISBERGIO appellatur: cum enim decursus hujus rami satis bene musculo palmari longo respondeat, et fere omnes ejusdem ramificationes versus palmam manus tendant, hanc novam rami quarti denominationem, ad eundem a tertio distinguendum locum habere posse existimo.

Facta separatione a tertio ramo, hic *ramus cutaneus palmaris* aliquantisper adhuc cum arteria brachiali et vena brachii profunda interiore, super quae vasa descendit, conjunctus manet: editis aliquot tenellis surculis ad tunicas horum vasorum, in duos ramos dehiscit, et in plerisque cadaveribus sub vena mediana progreditur, rarius, quod tamen Ill. WRISBERGIUS vidit, mihique ostendit, super venam medianam incedit, et eam ob caussam in talibus subjectis venae medianae incisionem semper periculosam reddit. Binorum horum aequalis magnitudinis ramorum *alter*, magis palmaris, sub mediana vena emergens, inter venam cephalicam et ulnarem internam descendit, ulnari venae tamen semper vicinior, in plures statim ramos et surculos dehiscit, infinitas anastomoses tam inter se, quam cum musculo cutaneo formant partim in tunicis vasorum, partim plurimi eorum in cute tandem finiuntur. Egregium sane spectaculum est elegantia cernere retia, quibus tenella haec nervorum filamenta venas amplectuntur, et circa easdem ludunt. Multos etiam surculos in tendine aponevrosique bicipitis manentes vidimus. Aliquot majores rami, formatis semper in decursu cum surculis alterius rami communicationibus, versus carpum descendunt, in ligamenta, aponevrosinque palmarem manifestos surculos spargunt, et in cute dein volae manus evanescunt.

§. XXX.

Alter magis ulnaris, sub duobus magnis venarum ulnarium internarum ramis delitescens, bifurcatus paullo post emergit: *prior* ramus, iterum directionem magis palmarem servans, incedit pone alterum venae ulnaris latus, cujus unum ramus cutaneus palmaris occupat, et cum hac vena ad carpum et volam manus per egregium venarum ulnarium internarum rete descendit ad digitum minimum, annularem et medium usque, filamenta spargens in aponevrosin musculos cubiti cingentem, in tunicas vasorum, ligamenta et cutim: *posterior* totus ulnaris sequitur alteram magnam venam ulnarem internam, et juxta longitudinem ulnae ad carpum manumque decurrit, servatisque repetitis anastomosibus tam ramorum inter se, quam cum remoto ramo subcutaneo ex radiali, surculis suis paucioribus in aponevroses, vasorum tunicas et ligamenta, plurimis vero in cutem ad dorsum manus usque finiuntur.

EXPLICA-

EXPLICATIO TABULAE ANNEXAE AD ARCHETYPUM MUSAEI ANATOMICI WRISBERGII DEPICTAE.

Sistit tabula brachium, ex articulatione cum cavitate glenoidali scapulae solutum, resectis itaque musculis, quae cum a trunco, ut pectorales et latissimus dorsi, tum a scapula, ut coraco-brachialis, biceps, deltoides, teres major, caputque longum anconaei humeri ossi inseruntur. Perscissus est plexus nervorum brachii, ubi in 6 illos communes receptosque nervorum truncos et nostrum septimum dividitur. Arteriae rubra, venae coerulea cera nitidissime in archetypo repletae sunt. Caeterum interior seu anterior humeri, cubiti et manus superficies tantum expressa est: impensae, quas haec tabula postulabat, editionem secundae vetarunt.

I.

Musculi

In conspectum venientes, cum maxima pars cute, reti vasorum nervorumque tecta sit.

A. Residua *pectoralis majoris* pars, humero adhaerens.

B. Communis origo *coraco-brachialis*, et capitis alterius *bicipitis* a processu coracoide scapulae resecta.

C. *Coraco-brachialis.*

D. Caput alterum *bicipitis.*

E. *Biceps* et F. tendo ejusdem inter nervum cutaneum externum seu Musculo-cutaneum et venam medianam radio infertus.

G. *Brachialis internus* ex parte tantum conspicuus, cujus progressus, et in ulnam insertio, bicipitis aponevrosi, tendine, et vena mediana tegitur.

H. I. K. Relictae portiones *spinatorum*, *subscapularis*, deltoidis, *teretium* et *latissimi dorsi.*

L. Caput longum *anconaei* a margine inferiore scapulae ortum.

M. Caput tertium, *anconaei*, nam secundum in hoc situ cerni nequit, ab osse humeri productum.

N. Tendo *palmaris longi* in aponevrosin palmarem insertus.

O. *Abductor* et *flexor brevis* pollicis.

P. *Adductor* pollicis.

Q. *Abductor* digiti minimi.

R. S. T. U. X. Tendines flexorii omnium digitorum.

Y. Z. Vaginulae et ligamenta arcuata, sub quibus tendines ad digitos procedunt.

Z z. Similes vaginulae et arcus super totam digiti indicis longitudinem ductae, per quas quibusdam in locis tendines translucent.

II. *Arteriae*

II.

Arteriae.

Quantum quidem in superficie brachii oculo sese offerunt.

a. Truncus communis *axillaris*, edita b. *circumflexa magna*, arteria *brachii* dicta.

c. *Humeri profunda.*

d. *Anastomotica*, in hoc subjecto altiori loco orta, et multos ramos musculares subministrans.

e. *Arteria brachii* in plicam cubiti sese demergens, ubi in radialem et ulnarem dividitur, ibidem loci vena mediana, et confluxu venarum ulnarium externarum, truncum basilicae formantium tecta.

f. Truncus *arteriae radialis* aliquantisper inter tendines nervos et venas emergens.

g. Continuatio *arteriae ulnaris* in magnum *arcum volarem manus sublimem* abiens, et duobus ramis, qui in hoc subjecto admodum parvi erant, cum radiali conjuncta.

h. Ramus cutaneus ad carpum.

i. Ramus communis pro *arteria digitali ulnari* et *radiali* digiti minimi, et *digitali ulnari* digiti annularis.

k. *Arteria digitalis* furcata, pro latere radiali digiti annularis, et ulnari digiti medii.

l. *Arteria digitalis* bifurcata pro latere radiali digiti medii et ulnari digiti indicis.

m. *Arteria digitalis*, quae finem arcus volaris sublimis constituit, et superius *duos ramos anastomoticos* ad ramum volarem ex radiali misit, digitalem dein ad latus radiale digiti indicis ablegat, et notabili tandem ramo, cum ramo digitali et ulnari pollicis n. ex arteria radiali provenientis coit.

o. *Ramus digitalis* pollicis, lateri ejusdem radiali prospiciens ex radiali arteria ortus.

III.

Venae.

Delineari modo potuerunt venae superficiales cum paucis ex profundarum venarum provenientibus truncis.

α. Truncus *Venae axillaris*, quod sane nomen omnino meretur, cum vena basilica, ex confluxu venarum brachii anterioris seu cubiti, plicaeque ejusdem et medianae orta, binos venarum brachii profundarum truncos, venam humeri profundam et quasdam minores recepit.

β. *Vena basilica* dicta; ad hunc truncum formandum plures omnino venae majores minoresque, quin ex minimarum ordine confluunt, praecipuae earum sunt Mediana, truncus communis unus alterve, rete venosum interioris cubiti superficiei conjungens, et confluxus unius vel plurium venarum ulnarium superficialium, uti Cel. Wrisbergius illas appellat, arcusque venosi ulnares etc.

γ. *Vena mediana*, ex vena radiali superficiali interna, etiam cephalica dicta, cum venis ulnaribus internis in basilicam inserta.

δ. *Vena cephalica* humeri, ex venis radialibus superficialibus internis et externis numero-

numerofiffimis anaftomofibus tum inter fe, tum cum ulnaribus connexionem habentibus, orta: quoad particulam tantum in hoc fitu vifibilis.

ε. *Vena fuperficialis*, vel fubcutanea interna *media*, ex reticulo venofo pollicis orta.

η. *Venae fuperficiales ulnares internae*, in bafilicam β. confluentes, ex omni fuperficie volae manus et interioris cubiti ortum capientes.

ζ. *Rete venarum* cubiti *internum*, cephalico-radiales, medianam, et bafilico-ulnares conjungens.

ϑ. Ramus communicans cum venis manus profundis.

κ. Ramus communicans inter arcum venofum volarem et rete venofum pollicis.

λ. *Rete venofum* pollicis, partim ex venis pollicis ipfius, quae plurimum fanguinis afferunt, partim ex arcu volari venofo formatum: ex quo rete dein cum vena cephalica, tum venae fuperficiales ulnares enafcuntur.

IV.

N e r v i.

1. Truncus communis pro nervo *mediano*, *cubitali*, et tribus *cutaneis* c. e. pro *mufculo - cutaneo*, feu cutaneo externo vel radiali; *cutaneo interno majore*, vel medio; et *cutaneo interno minore*, vel ulnari.

2. Truncus communis pro *radiali* et *axillari*.

3. *Radialis*, poft feparationem ejusdem ab axillari, fub venam axillarem defcendens, eademque ita obtectus, ut cerni amplius nequeat.

4. *Cubitalis* feu Ulnaris, proprie ita nominatus, fub vena axillari oblique decurrens.

5. *Medianus*, fuper arteriam axillarem in brachialem nunc mutata defcendens.

6. *Cutaneus internus* feu potius *cutaneus medius*.

7. *Cutaneus externus* vel *mufculo - cutaneus*.

8. Infignis ramus *cutaneus*, (cutaneus minor internus et ulnaris Wrisb.) ex cubitali ortus, quem tanquam tertium *nervum cutaneum*, defcript. §. 18. 19 eundemque internum confiderare poffumus, in duos ramos divifus, quorum *minor*

9. in fuperiorem cutis partem, anconaeum longum tegentem, diftribuitur: *alter major*

10. in intima brachii parte inter cutem et anconaeos ad cubitum decurrit, pluribusve filamentis in cute finitur.

11. Nervi *cubitalis* truncus fub vena axillari emergens, et infignem ramum

12. ex radiali ortum, fecum conjungit, ex quo ramo ex radiali proveniente

13. plures furculi in extenforem cubiti abeunt.

14. Locus, ubi nervus cubitalis crenam cubiti attingit, et inter duas venas inclufus in profundiorem cubiti partem fefe demergit et abfconditur, donec in vola manus

15. denuo in confpectum prodeat, et in nervos digitorum divifus definat.

16. Nervi mediani fuper anteriorem brachii partem decurfus, inter duas magnas venas inclufus, et arteriae brachii incumbens, usque ad locum

17. ubi ſub confluente mediana vena et baſilica ſeſe abſcondit, et facto itinere per profundiorem cubiti regionem in vola manus
18. denuo exit.
19. Ramus inſignis cutanei interni ad cutem.
20. Deſcenſus nervi *cutanei interni*, ſeu potius *medii*.
21. Alius minor ejusdem ramus ad cutem.
22. Tertius ramus ad tunicas vaſorum, eleganter per easdem diſtributus.
23. Diviſio trunci in duos ramos aequalis fere magnitudinis, quorum
24. *interior* paullo minor ramus ſuper venam baſilicam decurrens in plures minores ſurculos dividitur, inter quos tres praecipue
25. 26. 27. per inferiorem brachii et omnem interiorem cubiti cutem diſtribuuntur.
28. *Medius* ramus. Praeceptore appellante *Cutaneus palmaris*, priore ſeu interiore paullo major, in duos ramos 29. ſtatim diviſus, ſub vena mediana in baſilicam tranſeunti incedit, et quatuor ramis
30. 31. 32. 33. ſuper mediam et interiorem cubiti partem in cutem et vaſorum tunicas diſtribuitur. Inter hos ramos Nro. 30 in magnum ramum *cutanei externi* ſub acuto angulo inſeritur.
34. Eſt continuatio rami 33. in cutem carpi volaeque manus diſtributa.
35. Exitus nervi *muſculo-cutanei*, ſeu *cutanei externi* ex muſculo coraco-brachiali quem perforavit, et hoc numero praecipue notantur ramuli in bicipitem miſſi.
36. Decurſus ejusdem inter coraco-brachialem, flexorem brachialem et bicipitem, ſub quibus deliteſcit
37. Locus, ubi truncus nervi muſculo-cutanei inter tendinem bicipitis, et venam cephalicam denuo emergit, et tres ramulos
38. 39. 40. ſuper venam cephalicam, ejusque tunicas in cutem diſpergit.
41. 42. Bini rami majores, in quos truncus nervi ſub vena cephalica diviſus eſt, quorum
41. *exterior* idemque *major* pone exteriorem venae cephalicae marginem decurrit, nonnullos minores ſurculos
43. 44. 45. in cutem mittit.
46. Ipſe ramus venam cephalicam conſcendens, cum alio ſurculo
47. ex ramo interiore et majore proveniente, in novum truncum
48. coaleſcit, qui poſt aliquem ſuper venam cephalicam decurſum ad exteriora flectitur, ut reliquum hujus rami iter in figura non amplius exprimi potuerit:
49. *interior* et *major* ramus trunci, eſt continuatio nervi Nro. 42 ſignificati, nunc relicta cephalica late in conſpectum prodiens, et per interiorem radii ſuperficiem deſcendens.
50. Locus diviſionis ejusdem in tres ramos, quorum
51. intimus in cutem carpi diſtribuitur, variisque in locis cum ramis cutanei medii communicat:
52. medius ſuper arteriam radialem incedit, et in radiali carpi manus parte in cute finitur.
53. extremus, facta Nro. 47 anaſtomoſi ad exteriorem cutis partem progreditur.
54. *Nervi radialis* continuatus truncus ex angulo inter tendines muſculi bicornis ſeu extenſoris radialis ad carpum prodiens, cujus
55. ramus *major* ſeu *dorſalis* infra venam cephalicam pollicis ad dorſum manus excurrit.

56. ramus

56. ramus *minor* ſeu *volaris*, per cutem et muſculos pollicis diſtribuitur.

57. Ramus digitalis pollicis radialis ex mediano, cum arteria collaterali ad apicem pollicis excurrens.

58. Ramus digitalis pollicis ulnaris ex mediano communi radice cum ſequente ortus.

59. Ramus digitalis indicis radialis ex mediano.

60. Ramus digitalis indicis ulnaris ex mediano.

61. Trunculus communis pro ramo ulnari indicis et radiali digiti medii ex mediano.

62. Trunculus communis pro ramo rad. digit. med. et ramo ulnari digiti annular. ex med.

63. Ramus digitalis annularis ulnaris ex cubitali ad partem volarem.

64. Trunculus communis pro ramo ulnari digiti annularis et radiali dig. minimi ex cubitali.

65. Ramus digitalis minimi ulnaris ex cubitali.

XI.

IO. GODOFREDI EBEL OBSERVATIONES NEVROLOGICAE EX ANATOME COMPARATA.

TRAJECTI AD VIADRUM 1788.

PROOEMIUM.

De utilitate naturalis ſcientiae, ad quam medicina omnino pertinet, nemo temere dubitaverit; illa vero, cum tota nitatur contineaturque obſervationum experimentorumque fide, in tanta rerum et phaenomenorum naturalium varietate non ſatis curioſe exploranda: eos certe, hujus ſcientiae incrementa et augmenta maximopere juviſſe exiſtimaverim, qui in repetendis clariſſimorum virorum diverſis periculis inque iis inter ſe conferendis, otium operamque ſuam collocarunt. Ita enim, non ſolum fore, ſperandum eſt, ut neque fallamur ipſi, ex aliorum auctoritate et doctrina pendentes, neque fallamus alios, noſtris rebus, ut ferri ſolet humana natura, confiſi nobisque nimium tribuentes; verum etiam conjuncta hac doctorum virorum opera, tandem definire licuerit, quid in tot opinionum, mirum quantum, inter ſe diſcrepantium farragine veri certi et explorati demum inſit? Opinionum enim commenta delet dies, naturae autem judicia confirmat.

Quae, cum ita ſint, animum haud ita pridem ad eam ſententiam attendi, quae homini maximum, inter cetera animantia, cerebrum tribuit, ſi hoc in homine, uti in quolibet animantium genere, cum illorum nervorum magnitudine comparatur, qui e cerebro proxime prodeunt. Hujus obſervationis honos, nuper monente illuſtri BLUMENBACH [1]) merito habetur SAMUEL. THOM. SOEMMERRINGIO [2]), apud Moguntinenſes Profeſſori medico, viro et ingenii felicitate et univerſae rei anatomicae peritia incomparabili, qui natura, multis tam cadaverum humanorum, quam animantium corporum inciſionibus, conſulta, hanc ejus legem e tenebris eruit, eamque in doctiſſima diſſertatione, et in ſingulari multaeque frugis libello, quem de Aethiopum anatome conſcripſit, cum orbe eruditorum communicavit. Quos inter, cum praeter ALEXANDRUM MONROUM [3]) nemo SOEMMERRINGIANAM obſervationem repetitis periculis

1) *Inſtitut. phyſiolog.* Goett. 1787. §. 193.

2) *De baſi encephal.* Goetting. 1778. p. 17. *Ejusd. über die körperliche Verſchiedenheit des Neger, vom Europaeer* 1785. pag. 58—67. — Et calvariae humanae cavitatis eadem eſt ratio ad faciei oſſa, quemadmodum in caeterorum animantium calvariis: Eſt enim minor quoad faciei oſſa in Simia, Cane, porro in Equo, Camelo, multo minor in Elephante, Rhinocerote et Cetaceis. L.

3) *Bemerkungen über die Verrichtungen des Nervenſyſtems.* Leipzig, 1787. p. 19.

periculis vel confirmare, vel refutare hucusque voluerit, id mihi datum esse existimans, ut in hanc rem, quam neque a medici studiis alienam, neque non physiologiae et psychologiae cultoribus jucundissimam futuram esse judicavi, curatissime inquirerem. Comparavi igitur animalium cerebra, quot potui, eaque et cerebrales nervos sedulo incidi et rimatus sum; omnia meis oculis vidi, saepius lustravi, quae vidi, manu mea delineavi, delineata, ut sumptibus parcerem, in aes ipse incidi. Fateor, me antea nunquam sculptoris stylo usum esse, verum audaciam addidit animus, perficiendi operis ardore flagrans; ipsoque labore mire delectatus. Dabitis autem facile veniam, lectores! juveni viro, si vel in manu, exercitationem et dexteritatem, vel in judicio, longum et subactum rerum usum interdum jure Vestro desideraveritis; malui enim, ut ingenue fatear, mea potius proferre, quam alienis superbire! Denique, ut sciatis, lectores optimi! qui me in incidendis animalium cerebris definiendisque ponderibus et mensuris gesserim, breviter monuisse sufficiat, me, ut ea tantum ponderi subjicerem, quae in cavo calvariae vere insunt, animantis caput atlantem inter et magnum ossis occipitis foramen semper amputasse. Deinde nec arachnoideam, nec piam meningem, solvere ausus sum, quippe absque cerebri ipsius dilaceratione hae tunicae, saltem posterior, separari nequeunt. Glandulam pituitariam, quamquam in iconibus aeri incisis non animadvertatur, semper tamen singulam lanci imposui. Nervos, qui e basi cerebri exeunt, singulos, circini beneficio curate emensus, juxta veram eorundem amplitudinem sollicite delineavi, quemadmodum itidem operam dedi, ut, in pingendis cerebri haemisphaeriis omnibus ac singulis varietatibus, naturae fines et mensurae servarentur, sine omni adulteratione, integrae. In ponderibus definiendis, usus sum libra vulgari medica duodecim unciarum; in scribendis vero dimensionibus, mensura Rhenana, pollicique duodecim lineas, et lineae decem assignavi scrupulos. Adnotationes meas zootomicas cum humano cerebro lubenter contulissem, nisi me, hac opportunitate destitutum, in animalibus subsistere oportuerit invitum; in quibus, quae forte alia, circa cerebri structuram et nervi intercostalis, a me ad ganglion ejusdem thoracicum primum, diligenter investigati, magnitudinem et molem relativam notatu digna, mihi reperisse visus sum, et figuris exprimere et chartae mandare volui *).

§. I.

An homo, ratione corporis sui, inter omnia animantia, maximo cerebro instructus sit, quaeritur?

Vetus opinio est, hominem maximo cerebro gaudere, quae etiam recentiori tempore saepius defensa et experimentis confirmata legitur **). Res ita certissime se habet, si anima-

*) Subjungamus his quaedam ex SOEMMERRINGIO (Vom Hirn und Rückenmark. Mainz 1788.), qui demonstravit calvariam tenuem magnum, crassam parvum recondere cerebrum, quod avium minorum et majorum calvariae praecipue nos docent. — Quo major et ponderosior cerebri in bestiis moles, eo crassior dura meninx. — Quodlibet animantium cerebrum ab humano ad erucae encephalon in duo hemisphaeria est disjunctum. — Glandula pinealis in multis animalibus minoris encephali major, quam in homine, in camelo lobata est. L.

**) Caeterum nullum est viscus vel organum

ſi animalium domeſticorum cerebra, cum illo hominis, compares. Quum autem plurimorum animantium corpora et cerebra lanci impoſueris, invenies, nec hanc ſententiam veram eſſe, nec ullo modo tam univerſe probari poſſe. Quod facile ex comparatione nonnullorum animalium patebit. Cerebri adulti hominis pondus nonnunquam libram cum ſemiſſe non ſuperavit. Pozzi pondus cerebri librarum trium atque unciarum octo, et ejus rationem ad corpus uti $\frac{1}{30}$ invenit. Sennertus, Riolanus et Arlet cerebrum librarum quatuor, alias librarum quatuor et unciarum trium, rationem uti $\frac{1}{25}$ et $\frac{1}{35}$ invenerunt. Cerebrum porro nonnunquam librarum quatuor ad quinque fuit, quinimo hoc pondus ſuperare viſum eſt. Haller in puero ſexenni, rationem fere $\frac{1}{22}$ invenit, et in adulto homine univerſe uti $\frac{1}{35}$ conſtituit, pondus cerebri numero rotundo libris quatuor, adulti hominis vero libris 140 exprimens [1]. Delphini cerebri ratio ad corpus fere $\frac{1}{25}$ alias $\frac{1}{36}$ fuit [2]. Pondus cerebri ſimiae ouiſtiti cum illo totius corporis comparatum eſt pene $\frac{1}{28}$; in Simia Sajou ratio fere incredibilis $\frac{1}{11}$; in Sai iterum fere $\frac{1}{18}$; in Saimiri $\frac{1}{21}$; in Malbroux $\frac{1}{24}$; in Talapoin $\frac{1}{35}$ [3] Muris agrarii $\frac{1}{31}$ [4]. In aviculis cerebrum permagnum reperitur: in paſſere ratio erat $\frac{1}{23}$; in fringilla, cujus cerebrum delineavimus [5], $\frac{1}{23}$ erat; in canarienſi rationem $\frac{1}{14}$ invenit Pozzi [6]. Si his exemplis res confici poſſet, ſimiae Sajou dictae, honos maximi cerebri, omnino competeret; interim id ſaltem liquet, hominem hac praerogativa, ſi quae eſt, jure ornari non poſſe.

§. II.

E corporis et cerebri pondere, inter ſe comparato, certa ratio inveniri nequit.

Singularem et admirandam hanc eſſe cerebri naturam novimus, ut tot mutationibus adeoque repentinis, minime obnoxium ſit, quot, qualesque ceterae corporis humani partes experiuntur. Ea nempe cerebri infantilis magnitudo eſt, quae ea ratione augeri nequeat, qua ceterae homuncionis partes, in juſtam adulti hominis proceritatem, creſcunt. Qui copioſum adipem alunt, corporis quidem pondus, non ita cerebri augent; ſicuti in extenuatis exhauſtisque, corporea certe moles imminuitur, cerebri vero magnitudo minime aeque decreſcit. Haec unicuivis, rei intelligenti judici, facile perſuadebunt, ut credat, omnium longe incertiſſimam eam rationem eſſe, quae in comparatione ponderis cerebri, cum illo, totius corporeae molis, quaeritur.

§. III.

Rationem certiorem, e nervorum cerebralium comparatione cum cerebro, unde prodeunt, definiendam eſſe oſtenditur.

Nervos, quos cerebrales anatomici vocant, arctiſſimo nexu cum cerebro conjunctos eſſe, conſtat. Quos ſive, ut communis fert ſententia, a cerebro proficiſci exque

num humani corporis, quod ceteroquin quoad ſingulas partes cum eodem animalium organo adeo conveniret. L.

1) Hall. Elem. phyſiol. T. IV. p. 10.

2) Arlet. mem. de Montp. 1746. p. 67. — Caldani Ep. II. p. 387.

3) Buffon T. XV. p. 104. 44. 57. 47. 223. 234.

4) Buffon T. VII. p. 336.

5) Tab. II. Fig. VI.

6) Haller. loc. cit.

exque eo vires unice haurire, credideris, sive, quae forte, si ad animalia nonnulla respicias, magis probari possit opinio, tantum in basi cerebri cum illo, arctissimo vinculo conjungi, existimaveris: structura tamen et natura optime cum cerebro conveniunt ita, ut credibile non sit, aut nervos illos, salvo cerebro, admodum laedi, aut cerebri medullam male affici posse, nervis illis, vim inimicam cerebro illatam non sentientibus. Ceterorum nervorum, qui musculos, viscera, aliasque corporis humani partes adeunt, dissimilis neque adeo constans ratio esse videtur: his quippe partes visceraque, quae adeunt, aliquam mutationem inferre, prorsus credibile est. Quod quum in prioribus cerebralibus fieri non possit, illos omnium maxime adcommodatos esse, patet, ad inveniendam aliquam certam rationem, qua voti nostri fiamus compotes. Hanc vero Ill. SOEMMERRING [1]) ita invenisse sibi visus est, ut ponenda sit in tenuitate nervorum istorum cerebralium, cum magnitudine humani cerebri collatorum; unde, quum hi nervi, in homine longe tenuissimi sint, multoque crassiores in omnibus ceteris animantibus reperiantur, hominem maximo cerebro instructum esse, profitendum est; contra, quo ampliores illi nervi in animalibus conspiciuntur, eo minori cerebro pollere, dicenda sunt. Enimvero majores cerebrales nervi, majorem quoque cerebri virtutem absorbere videntur, unde in animalibus quidem tota fere cerebri efficacitas in illos nervos continuo propagatur, inque ipsis consumitur. Hominis longe dispar invenitur ratio et plane contraria; etenim humanum cerebrum viribus abundat, cum nervi proximi tenuissimique pauculis tantum egeant. Itaque insignem illam virtutem, quam cum nervis cerebrum non communicat, longe nobilissimis usibus inservire, inque illa positam esse humani ingenii praestantiam, quidni ad veritatis speciem quam proxime accedere, crediderim? Certe aethiopes [2]), sicuti Europaeis majora sensoria organa, nimirum olfactus, visus et auditus, minorem vero cerebri copiam nacti sunt; ita quoque Europae incolis ingenio longe inferiores praedicantur. Quae quum saltem verisimili ratione assignari possit caussa, cur homo omnia animantia ingenio antecellat, inquisitores haereticae pravitatis monitos esse velim, mihi tantum, de mentis domicilio sermonem esse, quod majore ornatu majoribusque sumtibus, in homine, paratum esse, constat, neque ideo negari a quopiam posse, instructissimas et ornatissimas aedes excellentissimum inhabitare dominum. Sed de his satis!

§. IV.

Soemmerringii sententia confirmatur.

Quae magnis, admodumque perfectis sensuum externorum organis, vitae animantium consuluit natura: eadem, locupletissimo nervorum apparatu iisdem instrumentis prospicere voluit. Quod imprimis patere potest, exemplo organi olfactus, in quadrupedibus valde elaborati, ossibusque tortuosis admodum spatiosi. Ast quanta vis cerebri

1) *l. c. de Aethiop. e. c. p.* 58—61.

2) *Ueber die Verfch. des Neger u. s. w.* p. 21. 24. et 53. Confer MEINERS *Grundrifs der Geschichte der Menschheit* p. 68. alibique passim. Contraria exempla ab ILL. BLUMENBACH (*Magazin aus der Physik und Naturgesch. v. Voigt IV. B. III. Stück p. 1.*) allata, nobis quidem non satis idonea videntur.

cerebri in illud derivatur? Utraque cerebri ſubſtantia in latiſſimos thalamos (ita enim aptiſſime has cerebri productiones dixeris, quarum tota ſtructura nervorum diſſimilis, cum cerebro una eademque eſt) confluit, proceſſusque mammillares format, e quibus tandem olfactorii nervi [1]) exeunt. Nervus cerebralis quintus miram prae ſe fert amplitudinem: ſed hic idem eſt, qui validiſſimis quadrupedum muſculis, quorum beneficio manducant, mordent, guſtusque inſtrumento, linguae inſervit; idem eſt, qui avium quarundam v. c. anſerum roſtra adit, inque ea, bene multis neque exiguis ramis diſpergitur; idem denique eſt, quem cum multorum piſcium, lingua, muſculis capitis, tentaculisque majores nervos, externa tantum cute defenſos, communicare videmus. In [2]) piſcibus quoque par octavum nonumque, eximiae magnitudinis reperitur. Haec nervorum amplitudo in aviculis, piſcibus, inprimis vero rana [3]), tanta eſt, ut ad cerebri parvitatem attendens, quae adeo craſſis nervis minime reſpondere videtur, non poſſis non in ALEXANDRI MONROI [4]) et SOEMMERRINGII [5]) clariſſimorum virorum, cogitationem incidere: fieri non poſſe, ut a his parvulis cerebris adeo validi naſcantur nervi, quos potius, cum baſi illorum tantum arctiſſime conjunctos eſſe ſuſpicandum ſit. Certe amphibiorum mira vitae tenacitas, cujus, laeſo licet, immo penitus deſtructo cerebro, poſt plurimos dies hebdomadesque, documenta edunt admodum luculenta [6]), huic opinioni maxime favere videntur, ſi tecum reputaveris, haec animantia medullam ſpinalem adeo magnam validamque [7]), ſi cum cerebri parvitate comparatur, non temere et fruſtra nacta eſſe. Haec in homine longe aliter ſe habent, in quo, adulto quidem, etſi pericula mea repetere nondum licuerit, contigit mihi tamen, ut foetus humani maturi cerebrum molliſſimum diffluensque, non tam rimari, quam nervulos in eximendo cerebro ſolutos, ibi metiri potuerim, quo durae meningi committuntur. Ne quid vero opinioni meae tribuiſſe viderer, neque juſta acribeia in periculis meis deſideraretur, menſuram, quam circinus indicabat, naturali magnitudine minime inferiorem aliquantulum auxi. Nihilominus tamen hoc foetus humani cerebrum cum nervis ejusdem comparatum, pondus cerebri equini [8]) maxime ſuperavit.

§. V.

Noſtrorum experimentorum ratio explicatur.

Equidem, cum omnis cura mea in eo verſata fuerit, ut nervorum, cujus vis animalis, a me examinatorum magnitudines, ad cerebri pondus ſollicite referrem, illas magnitudines diligentiſſime exploratas lineis ſcrupulisque definivi, hasque menſuras, cum cerebri ponderibus ita comparavi, ut ſatis accurate conſtaret, quanto cerebri pondere,

1) In ſagaciſſimorum mammalium craniis v. c. elephantis, urſi, canis etc. ampliſſimam quoque et numeroſiſſimis canaliculis perforatam laminam horizontalem oſſis cribriformis, ſuis oculis uſurpavit Ill. BLUMENBACH. *Inſtit. Phyſiol.* p. 194.

2) vid. Tab. II. icon. 3.

3) vid. Tab. I. computationum calci diſſertationis adjectam.

4) l. c. pag. 20.

5) *Verſchiedenheit des Neger.* pag. 62.

6) *Allgemeine Naturgeſch. der Schildkröten von I. G. Schneider.* 1787. pag. 286.

7) Tab. II. icon. 5.

8) Tab. computat. citat.

dere, definitus linearum ſcrupulorumve numerus contineretur. Quae inde natae ſunt obſervationes, in tabulam conſignavi, unde facili opera, omnes hujusce rei diverſitates cognoſcere poteris. Memineris tamen nervorum rationes ad cerebrum vel ideo majores, illis, quas tabula noſtra indicat, ponendas eſſe, quoniam par nervorum primum omnium ceterorum cerebralium in animantibus maximum, in cenſum venire non potuit. Cum enim mihi numquam contigerit, adeo eſſe felici, ut plurimos tenuiſſimosque nervulos, qui e proceſſu mammillari exeunt, integros ſervarem, in definienda longitudine et latitudine, ipſius proceſſus mammillaris, ſubſiſtere me oportuit; his autem dimenſionibus, tanquam a ſcopo meo alienis, uti nec potui, nec volui. Licet vero in ceteris octo nervis, nihil reliqui fecerim, in quo diligentia mea jure deſiderari poſſit, hosque nervos omnes emenſus fuerim, antequam durae matris vinculo, in teretes faſciculos coeant: unusquisque tamen, qui vel idem nobiscum tentare voluerit, certe experietur, ſingulas, e quibus omnis nervus componitur, fibrillulas numerari non poſſe. Itaque votis non penitus nos excidiſſe, nobis videbimur, ſi hanc tantum laudem nobis conceſſerit idoneus harum rerum arbiter, a veritate nos quam proxime abfuiſſe.

§. VI.

Nervorum opticorum decuſſatio.

Obſervationes nonnullas ex anatome comparata, in medium prolaturus, inter labores nevrologicos natas, de opticorum nervorum decuſſatione, ſicuti in plurimis animantibus a me viſa eſt, primo dicam. Haec vero in omnibus animantibus, non uno eodemque fit modo: in plurimis piſcibus, ranaque, admodum perſpicua videtur, ita tamen, ut alter quidem, ſuper alterum decurrat nervus, uterque autem ſingulus omninoque diviſus, et ſine omni ſubſtantiae miſtura; ſecus ac in aliis animantibus obſervatur, quae neſcio, an veram decuſſationem an potius arctiſſimam intimamque horum nervorum conjunctionem oſtendant? Illam vero admodum luculentam in equino cerebro vidi. Oculi ſiniſtri bulbus ulcere plane conſumtus, nervusque itidem contractus, macilentusque erat, et luteo colore deturpatus: hic e dextro cerebri latere ortus cum ſano nervo ſiniſtri lateris multas fibrarum conjunctiones iniivit, quem deinde decuſſans ad ſiniſtrum oculum proceſſit. Quod ſingulare decuſſationis nervorum opticorum exemplum ea, qua fieri potuit diligentia [1]) delineavi.

§. VII.

Glandula pituitaria.

Cerebri appendiculam, quae pituitariae glandulae nomen in anatomicorum ſcholis obtinuit, ſemper vere ſolidam inveni. Spiritum ex infundibulo in glandulam ipſam urgere non potui, niſi in cerebro equino; hujus enim pituitaria glandula, quam vel ideo pingere [1]) placuit, parvulam aliquam cavitatem, quae ab immiſſo ſpiritu dehiſceret,

1) Tab. I. icon. 1 et 2. 1) Tab. II. icon. 22.

dehiſceret, omnino continuit *). Bovilli cerebri infundibulum in glandulam altius dimitti deſcendereque videbatur.

§. VIII.

Crura fornicis.

Quotquot animantium cerebra diſſecui, tam proceſſum mammillarem, quam eam cerebri provinciam curioſe luſtravi, quae tota fere olfactorio nervo inſervire videtur. Hujus medullares, cinereasque fibras perſequuturus cerebri ſubſtantiam pedetentim in tenues lamellas cultro diviſi et abſtuli. Tandem ad fornicis crura perveni; quorum poſteriora ad tuber usque cinereum decurrere, ibique inter ſe confluere et eminentias candicantes efficere vidi; anteriora vero in proceſſus mammillares porrigebantur, quorum ſuperficiem magno medullae faſciculo, cujus latitudo in itinere ſemper creſcebat, totam fere obducebant. Haec duo anteriora crura arcte inter ſe cohaerent, unde mammillares proceſſus [1]) quoque conjunguntur. Porro ſtriata corpora omnes prope medullares faſciculos, in proceſſus mammillares dimittere [2]), itaque ad odoratus ſenſum, quo plurima animantia eminent, maximopere conferre, obſervavi.

§. IX.

Communicatio ventriculorum cerebri.

Anatomicorum plurimi inque iis ipſe Hallerus [1]), vir et poſt fata immortalis memoriae, perperam negarunt, ventriculos cerebri anteriores et inter ſe invicem et cum tertio conjungi. Etenim, quoties in glandulae pituitariae infundibulum tubuli beneficio, ſpiritum vel leni halitu immiſi, toties quoque in animantibus certe omnes ventriculos attolli obſervavi. Neque etiam foramina, minime coeca, ſed ſatis aperta patentia, difficulter inveneris, quibus hic ventriculorum perficitur nexus, quem ſicuti in homine dudum oſtendit Monrous [2]), ita ego quoque ſecundum meas obſervationes icone [3]) illuſtrare volui.

§. X.

Nervus intercoſtalis.

Inſignem huncce et egregiae utilitatis nervum, in plurimis animantibus, ſedulo rimatus ſum, easque diverſitates, quas partim nervus ipſe, partim ganglia ejusdem, ſuperius nempe, medium, et thoracicum primum ratione magnitudinis obtulerunt, in tabulam diligenter conſignavi. Hujus vel aliquando aliquis uſus eſſe poterit; etſi definiendae relativae cerebri moli parum profuerit, cum intercoſtalem nervum, cervicales plurimis ramis adeant augeantque.

EXPLICA-

*) Cf. hor. ſcript. nevr. T. III. p. 34. — in multis animalibus major eſt, quam in homine. L.

1) Tab. II. icon. 20. 21.

2) Iconibus modo laudatis haec patere arbitror.

1) Element. Phyſiol. T. IV. p. 42. 55.

2) *Ueber die Verrichtungen des Nervenſyſtems*, p. 9.

3) Tab. II. icon. 19.

EXPLICATIO ICONUM.

TABULA PRIMA.

Figura I.

Exhibet dimidiam basin equini cerebri singulasque ejus partes litteris notatas. Numeri paria nervorum indicant.

D C B. Cerebrum proprie sic dictum.
E F. Cerebellum.
L G I K. Portio cerebri, quae processum mammillarem formare videtur.
O M N. Processus mammillaris, e quo nerui olfactorii exeunt.
U T. Crus cerebri sinistrum.
Q. P. Pons Varolii.
P. A. Medulla oblongata.
R. S. Tuber cinereum.
W. Locus infundibuli glandulae pituitariae.
a b c d e f g h. Nerui optici.
a b c d. Nervus sanus, qui oculo dextro prospicit.
e f g h. Neruus corruptus, qui oculum sinistrum adit, et alterum oppositi lateris decussat.

Fig. II.

Nerui optici reflexi, ut eorum superficies inferior pateat.

a b c d. Neruus Sanus.
e f g h. Neruus corruptus, multis fibris cum sano neruo, laminaque medullari tenui ventriculos obducente conjunctus.

Fig. III.

Cerebri basis in fele cum nervis.

Fig. IV.

Felis processus mammillaris ita delineatus, ut vera ejus magnitudo pateat.

Fig. V.

Cerebri basis in cuniculo.

Fig. VI.

Cerebri vitulini basis.

a a a a. Fasciculi medullares confluentes.
b. Inter fasciculos modo indicatos latissimus, qui abit in processum mammillarem. Haec medullae lamina in omnium animalium cerebris hac tabula delineatis reperitur.
c c c. Fasciculi et medullares et cinerei, qui etiam ad processum mammillarem progrediuntur.

Fig. VII.

Cerebri basis in cane.

Fig. VIII.

Cerebri basis in veruece.

Fig. IX.

Cerebri basis in boue.

Fig. X.

Cerebri basis in porco.

Fig. XI.

Cerebri basis in capreolo.

Fig. XII.

Cerebri basis in strige ulula.

E C D. Cerebrum proprie sic dictum.
A B F. Medulla oblongata.
a b c d. Thalami nervorum opticorum.
e. Processus mammillaris.
f. Cerebellum.
Numeri paria neruorum indicant.

Fig. XIII.

Cerebri basis in falcone gentili.

TABULA SECUNDA.

Fig. I.

Cerebri basis in ansere.

d d. Fasciculi medullares.
a. Eorum conjunctio.
b e. Nerui olfactorii.

Fig. II.

Exhibet cerebrum esocis lucii, ejusque basin cum neruis et auditus organo.

a b c. Sacculus elasticus Camperi, in quo auditus ossicula duo sita sunt.
d e. Locus, in quo tertium ossiculum auditus insidet.
f g h. Canales semicirculares valde elastici.
i i. Cerebrum proprie sic dictum.
k. k. Colliculi neruorum olfactus.
l. Cerebellum.

Numeri paria neruorum indicant.

Fig. III.

Cyprini carpionis cerebrum, ejusque basis cum neruis et auditus organo nec non origine neruorum olfactoriorum.

a b c. Sacculus elasticus, in quo ossicula auditus tria sita sunt.
d. Apex unius ossiculi.
f g. Locus, in quo quartum ossiculum auditus insidet.
h i k l. Canales semicirculares.
m n. Membrana pituitaria.
o o. Venae.
p. Bulbus nerui olfactorii.
q. Linea alba in membrana pituitaria obseruanda, sub qua bulbus in membranam inferitur, inque eam plurimas fibrillas neruosas mittit.
r r. Colliculi neruorum olfactus.
t t. Papillae, e quibus nerui olfactorii nascuntur.
s u. Nerui olfactorii.
2 2. Nerui optici reflexi, ut origo neruorum olfactus perspicue pateat.
f. Superficies superior colliculorum neruorum olfactus.
u û u. Lobi cerebri magni, e quibus par neruorum secundum proficiscitur.
v v. Cerebellum.
w. Eminentia quadrigemina.

Fig. IV.

Cerebrum ejusque basis in siluro glanide.

a. Glandula pituitaria.
b. Bulbus nerui olfactorii.
c c c. Cerebellum.
d d d. Lobi cerebri magni, e quibus nerui optici exeunt.
e e. Colliculi neruorum olfactus.

Fig. V.

Cerebrum ejusque basis in rana esculenta.

a. Medulla spinalis dissecta.
b. Discus, in quem neruus auditorius extenditur. Hic discus in medio vestibulo reperiundus, figurae fere oualis est, formaturque a materie singulari albissima et fere fluida.
c. Glandula pituitaria.
d e. Quartus ventriculus cerebri.
f. Cerebellum.
g. Lobi magni cerebri.

Fig. VI.

Cerebri basis in fringilla.

Fig. VII.

Neruus intercostalis in boue cum pare neruorum octauo et nono.

a b c. Ganglion superius nerui intercostalis.
e d. Rami ad pharyngem.
f. Neruus intercostalis in colli latere descendens.

u t f. Gan-

u t f. Ganglion thoracicum primum.
v. Ramus ab intercoftali veniens.
q. Ramus ad par octauum progrediens.
s. Neruus intercoftalis in thoracem et abdomen defcendens.
w w w. Rami neruos pedis anterioris adeuntes.
o n h i. Par vagum.
n m k l. Acceflorius Willifii.

Fig. VIII.

Equi neruus intercoftalis.
a. Nerui intercoftalis ramus, qui ab ipfo fecedens diuifusque, cum ganglio ejusdem fuperiori iterum conjungitur.
b. Spatium hoc nerui difceffu natum, per quod arteria carotis tranfit.

Fig. IX.

Neruus intercoftalis in foetu humano maturo, cum ganglio fuperiori, medio et thoracico primo.
9. Par nonum.
8. Par octauum.

Fig. X.

Neruus intercoftalis in caprea.

Fig. XI.

Intercoftalis neruus in foetu bubulo octimeftri cum ganglio fuperiore et thoracico.
8. Par octauum.
9. Par nonum.

Fig. XII.

Neruus intercoftalis in cane.
a. Ganglion fuperius.
c. Ganglion thoracicum.
8. Ganglion nerui vagi.

Fig. XIII.

Intercoftalis in veruece.
a. Ganglion fuperius.
b. Ganglion medium.
D. Ganglion thoracicum.

Fig. XIV.

Neruus intercoftalis in porco.
a. Ganglion fuperius.
E. Ganglion medium.
E. Ganglion thoracicum.

Fig. XV.

Intercoftalis neruus in cuniculo.
a. Ganglion fuperius nerui intercoftalis.

Fig. XVI.

Neruus intercoftalis in lepore.
a. Ganglion fuperius.
b. Ganglion thoracicum.

Fig. XVII.

Intercoftalis in fele.
a. Ganglion fuperius.

Fig. XVIII.

Intercoftalis in anfere.
a. Ganglion fuperius.
b. Gloffopharyngeus, octaui paris ramus.

Fig. XIX.

Ventriculi laterales in vitulo. Ventriculum finiftrum ita delineaui, ut feptum lucidum pateat.
A A. Corpora ftriata.
B B. Fimbriae, quae cum fornice cohaerent.
C. Centrum femicirculare geminum.
D. Thalamus neruorum opticorum.
a a a. Plexus choroideus.
b b. Septum lucidum.
c. Foramen, quo ventriculi laterales conjunguntur.
d. Foramen ad cauitatem proceffus mammillaris ducens.
e e e. Proceffus mammillaris.

 Fig. XX.

Fig. XX.

A B C D. Basis cerebri in lepore, ablatis medullae laminis ad crura fornicis usque.

a a. Nerui optici reflexi.

b b. Processus mammillares.

c c c. Crura anteriora fornicis.

d d. Crura posteriora, quae in tubere cinereo confluunt.

e e. Medullae fasciculi, qui crura fornicis cum cruribus cerebri conjungunt.

f f. Crura cerebri.

g g. Fasciculi et medullares et cinerei corporis striati ad processus mammillares progredientes.

Fig. XXI.

Exhibet basin cerebri in vitulo, cerebri substantia usque ad crura fornicis ablata. Processus mammillaris sinister apertus est.

A B C D. Pars cerebri ea, quae ad processus mammillaris formationem pertinere videtur.

a b c. Crura cerebri.

c c c c c c. Crura anteriora fornicis, quae latitudine paullatim crescunt, et fere totam superficiem processus mammillaris obducunt.

c c. Fasciculi alii, qui ad corpora striata adeunt.

d d. Crura posteriora fornicis.

e e. Fasciculi medullares crurum cerebri.

f f. Naturalis situs corporis striati, ejusque substantia medullaris.

g g. Fasciculi cinerei inter fasciculos medullares corporis striati obseruandi.

h. Apertura ventriculi lateralis in cauitatem processus mammillaris.

Fig. XXII.

Equi glandula pituitaria. Infundibulum glandulamque aperui, ut glandulae cauitas in conspectum veniat.

a b. Infundibulum apertum.

c. Cauitas glandulae pituitariae.

TABULA. I.

TABULA I.

In qua nervorum cerebralium magnitudo, ad cerebri pondus, hocque, ad illud totius corporis, refertur.

Animantia.	Pondus corporis.	Pondus cerebri.	Ratio cerebri ad corpus.	Magnitudo parium nervorum octo.	Magnitudo nervorum comparata cum pondere cerebri.	Mensura processus mammillaris.
Foetus humanus maturus.	—	℥xj. ʒiij.	—	$12'''$. 5 ſc.	℥j — $1'''$. ʒj — = $1\frac{1}{4}$ ſc.	
Equus.	—	℥xv. ʒj.	—	$33'''$. 1 ſc.	℥j — $2'''$. ʒj — = $2\frac{1}{2}$ ſc.	$1''.5'''$. $3\frac{1}{2}$ ſc. long. = $9'''$. $2\frac{1}{2}$ - latit.
Bos.	—	ʒxiv. ℈iß.	—	$36'''$. 5 ſc.	℥j — $2'''$. 4 ſc. ʒj — = 3 ſc.	$1''$. $1'''$. 9 ſc. — = $7'''$. 7 ſc. —
Vitulus.	—	℥viiiß. gr. iij.	—	$21'''$. 5 ſc.	℥j — $2'''$. 4 ſc. ʒj — = 3 ſc.	$1''$. — 3 ſc. — = $6'''$. 6 ſc. —
Capreolus.	—	℥iiiß. ℈ii. gr. vii.	—	$20'''$. 1 ſc.	℥j — $4'''$. 8 ſc. ʒj — = 6 ſc.	= $10'''$. — — = $5'''$. 9 ſc. —
Porcus.	libr. 140.	℥iv. ℈ij.	$\frac{1}{412}$	$22'''$. 8 ſc.	℥j — $4'''$. 8 ſc. ʒj — = 6 ſc.	$1''$. — 2 ſc. — = $6'''$. 8 ſc. —
Veruex.	l. 50. ℥viii.	℥iij. ʒj. ℈ii. gr. v.	$\frac{1}{192}$	$19'''$. 2 ſc.	℥j — $6'''$. 4 ſc. ʒj — = 8 ſc.	= $8'''$. 5 ſc. — = $5'''$. 3 ſc. —
Canis.	l. 38. ℥x.	℥ij. ʒvj. gr. viii.	$\frac{1}{161}$	$16'''$. 6 ſc.	℥j — $6'''$. 4 ſc. ʒj — = 8 ſc.	= $10'''$. 1 ſc. — = $5'''$. = —
Felis.	l. 6. ℥viii.	ʒvj. ℈ij. gr. v.	$\frac{1}{94}$	$12'''$. 6 ſc.	ʒj — $2'''$.	= $5'''$. $1\frac{1}{2}$ ſc. = $2'''$. 4 ſc.

Animantia.	Pondus corporis.	Pondus cerebri.	Ratio cerebri ad corpus.	Magnitudo parium neruorum octo.	Magnitudo neruorum comparata cum pondere cerebri.	Menſura proceſſus mammillaris.
Cuniculus.	l. 3. ʒij.	ʒij.	$\frac{1}{152}$	9‴. ½ ſc.	ʒj — 4‴. 8 ſc.	= 3‴. 2 ſc. = 1‴. 5 ſc.
Anas.	l. 8.	ʒii. ℈ii. gr. 19.	$\frac{1}{257}$	11‴. 8 ſc.	ʒj — 4‴.	= 3‴. 3 ſc. — = 1‴. 6 ſc. —
Falco gentilis.	l. 1. ℥xj.	ʒj. ℈ii. gr. viii.	$\frac{1}{102}$	8‴. 5½ ſc.	ʒj — 6‴.	= 1‴. 3 ſc. — = — 7 ſc. —
Strix Vlula.	—	ʒii. ℈ii. gr. iv.	—	8‴. 6 ſc.	ʒj — 4‴.	= 1‴. — 2 ſc. = — = 7 ſc.
Fringilla Spinus.	ʒii. ℈ii.	gr. vii.	$\frac{1}{25}$	4‴. 8 ſc.	grj — 6 ſc. ʒj — 36‴.	
Eſox Lucius.	l. 4. ℥viii.	gr. 16.	$\frac{1}{1305}$	9‴. 8 ſc.	grj — 6 ſc. ʒj — 36‴.	
Cyprinus carpio.	l. 3. ℥vij.	gr. 19.	$\frac{1}{560}$	13‴. 7 ſc.	grj — 7 ſc. ʒj — 42‴.	
Silurus Glanis.	lib. 4.	gr. xi.	$\frac{1}{1187}$	6‴. 4 ſc.	grj — 8 ſc. ʒj — 48‴.	
Rana eſculenta.	ʒv. ℈ii. gr. v.	gr. ij.	$\frac{1}{172}$	3‴. 4 ſc.	grj — 1‴. 6 ſc. ʒj — 96‴.	

TABULA II.

TABULA II.

Magnitudinem nerui intercoſtalis nonnullorum animalium indicans.

Animantia.	Pondus cerebri.	Latitudo nerui intercoſtalis	Magnitudo ganglii ſuperius.	Magnitudo ganglii medii.	Magnitudo ganglii thoracici primi.
Foetus humanus maturus.	℥ii. ʒiij.	4 ſc.	5‴. 5 ſc. latit. 6‴. = longit.	1‴. — lat. 3‴. 8 ſc. long.	1‴. 7 ſc. lat. 4‴. = long.
Equus.	℥xv. ʒj.	7 ſc.	3‴. 2½ ſc. — 11‴. 4 ſc. —	—	—
Bos.	℥xiv. ʒiij. ℈iß.	5 ſc.	3‴. 7½ ſc. — 2″. 5‴. 7 ſc. —	4‴. 1 ſc. 1″. 1‴. 5 ſc.	8‴. 8 ſc. 1″. 3‴. 7 ſc.
Foetus octimeſtris.	℥v. ℈v. grj.	4½ ſc.	3‴. 1½ ſc. 4‴. 5 ſc.	9 ſc.	2‴. 7½ ſc. 7‴. —
Veruex.	℥iiiß.	2½ ſc.	2‴. — 4‴. —	2‴. — 1‴. 1½ ſc.	1‴. — 5½‴. —
Caprea.	℥ii. ʒvj. ℈j. gr. v.	2½ ſc.	1‴. 2½ ſc. 6‴. 5 ſc.	—	1‴. 5 ſc. 7‴. 8 ſc.
Porcus.	℥iv. ʒj. gr. x.	5 ſc.	1‴. 7 ſc. 5‴. 6 ſc.	8½ ſc. 2‴. 2½ ſc.	1‴. 5 ſc. 7‴. 8 ſc.
Canis.	℥ii. ʒiii. 1½ ſc.	5½ ſc.	2‴. — 4‴. 1 ſc.	—	1‴. 6 ſc. 7‴. 2 ſc.
Felis.	ʒvi. griii.	1½ ſc.	— 9½ ſc. 3‴. 1 ſc.	6¼ ſc.	1‴. 5 ſc. 2‴. 7½ ſc.
Cuniculus.	ʒj. ℈ii. gr. 12.	1¼ ſc.	— 8¾ ſc. 2‴. —	—	— 7½ ſc. 2‴. 4 ſc.
Lepus.	ʒiv. gr. 12.	1 ſc.	— 7½ ſc. 2‴. 8 ſc.	—	— 7½ ſc. 2‴. —
Anas.	ʒii. ℈ii. gr. 19.	2 ſc.	— 5 ſc. 1‴. 2 ſc.	—	— 7½ ſc. 1‴. 2 ſc.

XII.

IAC. FR. ISENFLAMM ET IO. FR. DOERFFLER DE VASIS NERVORUM.

ERLANGAE 1768.

PROOEMIUM.

Nihil Viro ad medendum accedenti magis animum addere, nihil majorem poſſe alacritatem injicere videtur, quam ea, qua recte ſe agere cognouerit, certitudo. Si enim recte agere cujusque honeſti viri eſt, eorum profecto, qui artem ſalutarem profitentur, qua ne ſemel quidem peccare licet, huc cum primis eniti eo magis intererit. Sic enim optime, vbi inſculptae corporibus noſtris mortalitatis leges irrita interdum reddunt artis conamina, non ſuum tantum animum ex morte infirmi dolentem [1] pacata erigit conſcientia, verum etiam ſcientiae honeſtatisque famam a conuiciis maleuolorum vindicat [2]. Agit vero recte dum, quae muneris partes poſcunt, prouida ſuſcipit ſapientia, indefeſſa explet aſſiduitate, ſicque conſeruando et reſtituendo ciuium ſanitatem, ipſe bonum ſe virum, bonumque ciuem exhibet. Paucis quidem hoc officium verbis comprehenditur, ad immenſos tamen, vixque determinandos extenditur limites. Non diſtinctiſſime ſolum, qui ſint in quibus vertitur ſanitas, cardines cognouiſſe oportet, verum etiam qui quantique modi, quibus hi degenerare poſſunt. Neque enim, cum *dolor intus incidit ſcire, quid doleat, is poteſt, qui, qua parte quodque viſcus inteſtinumque ſit, non cognouerit, neque curari id, quod aegrum eſt, poteſt ab eo, qui quid ſit ignoret* [3]. Aggrediendi ſunt, qui aut crudeliter, aut ſubdole corpus noſtrum deſtruunt hoſtes, verum dubia eſt et incerta militis et arma et conflictum ignorantis victoria. Probe igitur Medicus ſuum perſpiciat neceſſe eſt remediorum, quibus utitur promptuarium, eorumque vim et modum agendi cognoſcat. Fiet enim tunc, ut cujus et cauſſas et effectus optime perſpexit, morbo ea opponat ſapienter ſelecta remedia, quorum partes, mixtionem atque virtutem talem eſſe cognouerit, quae exſtirpandis mali radicibus ſufficiat. Alacrem tum fiduciam, qua in opere verſatur, addit argumentorum firmitas, felixque eam ſaepe euentus coronat. Sunt tamen permulta, quae, quo minus ad hunc ſemper euehatur certitudinis gradum cognitio noſtra, impediunt, acciditque frequenter, vt ni praecoci ratiocinio in auia errorum abripi

1) Vid. Ill. Richteri Programma: de Medico morientis aſpectum magis quam mortui fugiente.

2) Vid. Ill. Schulzii Diſſ. de Medico vehementer laud. digno §. XV-XXIV.

3) Cels. Lib. I. Praef.

abripi velimus, ab hoc abstinere cogamur, sic jubente cognitionis nostrae defectu. Nascitur hinc facile *opinio*, quam scientiae opponit diuus HIPPOCRATES, *dum* [4] *hanc quidem scientiam seu scire*, (ἐπίςασθαι) *illam ignorationem* (ἀγνοεῖν) facere contendit; licetque ipse hic Medicinae pater grauiter eos reprehendat, *qui ex imperitia et consilii inopia morbum non agnoscunt* [5], vix tamen eueniet, quin interdum in Diagnosi morborum maxime ingenui ejus filii hanc incurrant reprehensionem. Nobis certe inuitis saepe *sufficit, si quid fiat intelligamus, etiamsi, quomodo quidque fiat, ignoremus* [6], cum, quantam haec caligo medelae nostrae remoram injiciat, tristes experiamur. Neque tamen abjiciendus prorsus ob rei difficultatem animus, quin potius conjunctis viribus prouida tamen cautione, tentandum est, num altius in dies in abdita Naturae humanae penetrare cognitioni nostrae liceat. Hac jam mente BAGLIVIUS, cujus in obseruando et medendo maxima merito laus est, varia medicis, quae desiderantur, proposuit, eorum excitaturus attentionem. Refert, nec immerito, inter desiderata Historiam morborum *nasi, oculorum, oris, aurium, ventriculi, hepatis,* NERVORUM, *aliarumque hujusmodi partium magis principalium sigillatim* [7]. Supersunt forte circa unamquamque enumeratarum partium problemata quaedam, mihi tamen ea potissimum, quae ad neruos pertinent, maximis inuolui tenebris videntur. Non me profecto intempestiuus pruritus ad hanc incitauit considerationem, in qua *dubium se haerere* ipse magnus non diffitetur BOERHAAVIUS [8], sed proficiendi cupido, et necessitas quaedam, dum vix ullos viderem morbos, in quibus non plus vel minus ipsi nerui adficerentur. Verum cum et ad *morbos minus manifestos artem inopem esse non conueniat* [9], lubens hanc, quae mihi sese offert arripiens occasionem, ea, quae dudum de *Vasis Neruorum*, tanquam sede multorum morborum meditatus sum, eruditorum examini subjicio. Quod igitur dum praesenti hoc Specimine Inaugurali facio, id beneuolum Lectorem rogatum volo, vt prolata pro rei difficultate dijudicet. Sic enim spero fore, ut facile veniam impetrem eorum, quae mihi incognita in meditando remoram, in argumentando hiatum effecerunt.

§. I.

Quo magis jam attento animo sciendique cupido neruos contemplor eorumque structuram et actionem, eo me pluribus difficultatibus eoque altius implicari sentio. Plura sunt, in quibus perscrutandis nostrorum deficit organorum acies, plura, in quibus argumenta infirma vix firmum suppeditant ratiocinium. Dubius sic dum maximorum Virorum scripta peruoluo majorem inde cognitionem deprompturus, parum saepe iis euolutis recedo doctior. Vel enim in variorum explicatione in varias eos abire video sententias, vel, quae certitudini desunt, conjecturis saepe supplere, vel id ipsum, in quo cardo rei vertitur, in dubio relinquere. Non animo meo spes illudit fore, ut lites hasce componat, aut his in tenebris clariora adferat tractatio mea. Verum cum ingens sit eorum, qui neruos adficiunt, morborum numerus, vixque dentur ulli, quibus non et hi adjungantur, nunquam hanc rem meditatione satis persequi posse mihi visus sum,

 nec

4) Lib. de Arte. Cap. I.
5) Lib. de morb. sacr. Foes. Sect. 3. 84.
6) CICERO de Diuinat.
7) BAGLIV Prax. Med. Lib. II. Cap. 7.
8) De morb. neruor. pag. 179.
9) HIPPOCRAT. Lib. de Arte Cap. VIII.

nec injucundam ratus aut prorſus inutilem fore pathologicam potiſſimum neruorum conſiderationem. Sic vero hac in re mihi agendum eſſe ſentio, ut neque noua intempeſtiue fingendo erudito Lectori moleſtiam, nec trita jam et cognita nimis recoquendo creem nauſeam. In iis igitur, quae hucusque Clarorum Virorum detexit induſtria, quaeue de neruis eorumque fluido et actione unanimi fere conſenſu ſtatuit orbis medicus, ſubſiſto, huic fundamento, quae mea me meditatio docuit de Vaſorum eorum ſtatu praecipue praeternaturali ſuperſtructurus.

§. II.

Differunt utique pro diuerſa, quam corpori noſtro praeſtant, utilitate, variae, e quibus id compoſitum eſt, partes ſimplices vel *ſimilares* [1]), aliaque longe muſculorum, quae annexa contractione ſua mouent, *alia* vaſorum, quae fluida vehunt, *alia* oſſium, quae corpus fulciunt atque defendunt, alia NERVORUM, qui ſenſui motuique ſeruiunt, ſubſtantia eſt atque fabrica. Licet enim non defuerint magni *Viri*, qui *credendum* putarent; *omnes partes ſolidas corporis contextas eſſe fibris neruoſis atque iis conſtare* [2]), vel etiam quod *homo totus ſit neruus* [3]), ſic tamen loquendo vel fibrillas neruaeas alio ſenſu ſumſerunt, quam eo, quo vaſis muſculisque opponuntur, vel juxta aliorum Cel. Viror. ſententiam *manifeſto in hoc nimii fuerunt* [4]). Neque vel primo intuitu, grandiores cum primis ubi fuerint, neruos a vaſis, vaſaque a muſculis aut oſſibus diſcernere, et in quaque parte eam, quae ad functionem requiritur, fabricam deprehendere difficile eſt. Eſt tamen inter haſce partes peculiaris quidam maximeque neceſſarius nexus, et mutuum, quo ſuis ſibi ſubueniunt functionibus, officium. Nutriuntur oſſa ſucco per vaſa advecto, haecque ipſa ſuam actionem fibris muſcularibus [5]) atque nerueis [6]), in acceptis ferunt, quae rurſum vaſculis ſuam debent integritatem. Sic ſibi mutuo implexae hae partes, ad ſubeundas, quibus praeſunt, functiones aptae euadunt, vixque fieri poteſt, quin vna harum partium laeſa, aut male adfecta, in totam complexae partis functionem notabile redundet detrimentum.

§. III.

Singulare hoc, quo vaſa ad neruos accedunt, quo nervi vaſis ſubueniunt, commercium ſingularem quoque mihi mereri attentionem videtur, ſique magnum eſt, neruorum in vaſa imperium, ſane non minus a vaſorum infirmitate multae pendebunt neruorum adfectiones. Sunt mihi vero hic in genere vaſa canales ramoſi fluidum ſiue a corde in ramos minores ad ultimas usque extremitates vehentes, ſiue id ab ipſis his extremitatibus in majores truncos indeque tandem in cor reuehentes, nec obſtat, ſiue id intermedia quadam parte e. g. Hepate in Vena Portarum fiat ſiue nulla. Poteſt adeo hoc ſenſu cor et pro fluidorum promptuario et pro vaſorum omnium origine atque fine haberi.

1) HEISTERI Comp. Anat. p. 9.

2) BOERHAVE Inſtitut. Med. §. 301.

3) BOERHAV. de Morb. Nerv. p. 286. vbi tamen vix ſatis clare de homine interno et inuiſibili ſermo eſt.

4) Ill. v. HALLER Element. Phyſiol. T. 4. p. 27. WILHELM. BATTIE Exercitat. XXIV.

5) CASSEBOHM. Meth. ſecand. Lib. 3. Cap. V. §. 8.

6) v. HALLER El. Phyſ. T. I. p. 70.

haberi. Licet jam *sanguis* sit *humorum nostrorum crassissimus* [1]) facileque inde tenuiores humores tenuioribus vasis vehi sequatur, vix tamen inde vel ordo et numerus vasorum decrescentium vel particularum humores constituentium in minores subdiuisio determinari potest. Verum cum pluribus argumentis probari possit, *dari minora vascula ex arteriis rubris orta, sed diaphana, nullius vitri ope conspicua, quae globulis sanguineis imperuia tenuius fluidum vehant* [2]) fluidique moleculas vasculorum lumini respondere necesse sit, neque praeterea *ex crasso humore*, sanguine scilicet, *subito omnium tenuissimum generari veri simile videatur* [3]), facile inde sequi apparet varios adesse debere et luminis vasorum decrescentis et tenuitatis fluidorum ordines. Hi igitur siue *errore loci* [4]) siue quocunque demum modo turbati fuerint, fluidorum motum progressiuum turbando, diuersas quoque sani corporis turbabunt functiones.

§. IV.

Ne ipsis quidem nervis parcere malam hanc vasorum constitutionem, quid? quod plerasque forte illorum adfectiones huic originem debere, clarior sine dubio ipsorum neruorum consideratio probat. Pluribus quidem partibus Veteres neruorum nomen imposuere, ita tamen, vt re ipsa coacti neruos proprie ab aliis partibus distinguerent. Sic *neruos a cerebro Spinaeque medulla prodeuntes, actiuos, sensorios, et electiuos atque tonos, qui circa artus sunt, copulatiuos* dixit Rufus Ephesius [1]), Erasistrati simul, qui neruos *sensorios et motorios distinxit*, et Herophili, *qui voluntati quosdam obedire, aliquos ab osse in os, a musculo in musculum transire docuit*, sententiam subnectens [2]). Arctioribus recentiores vocis significationem inclusere limitibus, sensum potissimum et motum neruis tribuentes [3]). Neque id immerito, cum tanta sint, quae pro hac neruorum functione, eidemque accommodata fabrica militent argumenta. Siue igitur Neruos dicamus *partes corporis ortas ex medulla cerebri, cerebelli, medulla oblongata et spinali, et inde porrectas ad omnes alias fere corporis partes firmas, forma chordarum vel funiculorum* [4]), siue *funiculos planos fibrosos a cerebro aut a spinali medulla profectos, sensus acerrimi participes* [5]) siue id ipsum aliis verbis enunciemus [6]), facile de neruis nobis sermonem esse, quidue hoc sub nomine intellectum velimus, apparebit.

§. V.

Validiora sine dubio pro tractatione nostra argumenta ex considerata accuratius funiculorum nerueorum structura atque compage desumi possunt. Subftantia scilicet medullaris

X 3

1) Boerhave Instit. Med. §. 226.
2) v. Haller Elem. Phys. T. I. p. 115.
3) ibid. p. 114.
4) Boerhave de cognosc. et curand. morb. Aph. 118.

1) De Appellatione Part. Corp. human. Lib. I. Cap. XXXV.
2) Lib. III. Cap. XVIII.
3) Adrian Spiegel de Corp. human. Fabr. Lib. VII. Cap. I. Bohn. Circ. Anat. Physiol. Progym. XIX. Th. Bartholin. Anat. reform. p. 659.
4) Boerhave de morbis neruorum p. 2.
5) v. Haller. Elem. Physiol. Tom. IV. p. 185.
6) Frid. Hofmann Med. Rational. Systemat. T. I. Lib. I. Sect. 3. Cap. I. Baumer. Diss. de Neruis Corp. human. §. I.

medullaris siue tubulis siue funiculis constans a cerebro, cerebello, medulla oblongata atque spinali oriunda, suisque vestita tunicis, funiculorum instar ad suae locum destinationis, pro sensu scilicet aut motu decurrens, neruos constituit. Bina sic sunt, quae ad formandum proprie funiculum nerueum concurrunt, substantiae scilicet medullaris productio, et eae, quae hanc vestiunt atque tegunt tunicae. Non de tubulorum medullarium indole, non de ipsius fluidi neruei natura nunc sermo est, cum hujus proprie in illis motui, sensus motusque id est vera neruorum actio vnanimi fere eruditorum consensu tribuatur. Lubens igitur in re tantis confirmata argumentis [1]) acquiescens ad inuolucra potius neruorum consideranda oculos animumque conuerto. Horum jam post suum e theca ossea exitum inque decursu suo partem exteriorem intuens, satis eam densa constare tunica video, quae siue in omnibus neruis *a dura cerebri membrana enata* [2]) sit, *siue hac post neruorum exitum in periosteum reflexa* [3]), *ex cellulosis fibris compingantur*, tamen cum sic *robustam aliquam atque albam vaginam efficiat* [4]), muniendae cumprimis atque firmandae molliori, quam continet substantiae destinata videtur, quippe qua intermedia substantia cellulosouasculosa partibus vicinis aduectitur. Qui hac continentur funiculi neruei, in minores rursus funiculos vix determinando numero diuidendi, sua jam vestiuntur singuli tela cellulosa [5]), quam ab arachnoidea continuatam esse docet Ill. HALLERUS [6]) huicque demum Piae meningis productio singulum inuoluens funiculum subjacet, quae et *teneram suam Naturam vasculisque pictam in neruis retinet* [7]).

§. VI.

Neruorum jam haec fabrica atque distributio, si cum vasorum per corpus nostrum decursu comparetur, vario respectu mutuum harum partium considerari potest commercium, modusque, quo reciproce suas sibi laesiones communicant. Magnum sine dubio est, *quod ex neruulis vasa percurrentibus* [1]) in haec redundat emolumentum, nec difficile forte, horum ab illis robur vitale pendere, demonstrare esset. Ipsos laqueos nerueos vasa nonnulla satis notabilia transmittentes non sane somnians natura, sed sine dubio *ad magnos vsus creatrix Sapientia* struxit [2]), licet quid inde vasis commodi accedat, nondum satis certe determinari possit. Clarius forte et sensu et ratiocinio vasorum ad neruos accessus et implicatio, mutuusque sic eorum nexus cognoscendus

1) Ill. SCHMIEDEL Diss. de Act. Nervor. §. VII.

2) VESAL. de Corp. Hum. Fabrica. T. I. Lib. IV. Cap. I. SPIEGEL de Corp. Human. Fabr. Lib. VII. Cap. I. BOERHAVE Instit. Med. §. 781.

3) v. HALLER. El. Phys. T. IV. p. 191.

4) loc. cit. p. 192.

5) WINSLOW Expos. Anat. Tom. III. p. 346.

6) loc. cit. p. 189.

7) loc. cit. p. 188.

1) v. HALLER Elem. Physiol. T. I. p. 69. T. VIII. p. 275. — Et perpetuo in vicinia multorum vasorum nervi cernuntur. v. VRISBERG hor. script. Tom. III. p. 24. Fuerunt adeo, qui ex tela cellulosa et vasis sanguiferis nervos componerent. vid. CALDANI in Institt. Physiol. not. ad §. 199. Plura porro de vasis nervorum tradidit Ill. ISENFLAMM in praktischen Anmerkungen über die Nerven p. 38. Vasa absorbentia nervorum defenderunt MARTIN, R. CARR, NUCK, RUYSCH. cff. hor. script. Tom. II. pagg. 60 et 72. L.

2) Tom. II. p. 204.

dus eft, quem vario effici modo apparet. Sunt vafa vicina neruis, hos in decurfu fuo fatis arcte comitantia, vt pro varia eorum extenfione aut obftructione vario quoque modo neruus vicinus adfici poffit. Comitantur fic e. g. vafa intercoftalia neruos in coftarum fulco decurrentes, plurimaeque arteriae et venae per mefenterium ad inteftina diftributae neruos vicinos comitesque habent. Notabilis maxime eft neruorum hepaticorum cum ramis Venae Portarum arteriaeque hepaticae vicinitas [3]) qua horum diftributiones eadem inuoluti tunica exacte fequuntur [4]). Facile vicina haec neruorum vafa diftinguere erit a fuperftratis, iis fcilicet, quae fuper tunicam neruorum externam diftributa exiguo in fpatio in multas abeunt ramificationes, vafculofamque quafi tunicam conftituunt. Haec cera tincta replens, praecipue in truncis neruorum majoribus eleganti ffime reddit confpicua, pictique cujusdam retis vafculofi neruum inuoluentis fpeciem efficit. Facit jam horum mentionem SPIEGELIUS, dum ad tunicam neruorum *externam ex vicinis venulis furculos quosdam impenfe exiles deriuari* dicit, *iis, qui per corneam oculorum tunicam difpergantur, non diffimiles* [5]). Ab hifce quoque vafis praeter naturam adfectis turbari pariter ipfius nerui contenti integritatem poffe facile apparet.

§. VII.

Licet non infoecunda prorfus in Medicina hujus contiguitatis vlterior videatur confideratio, non tamen huic infiftere, verum ad aliam potius, quae vafa neruosque intercedit, communicationem tranfire conftituimus, eam fcilicet, qua propius ad nerui fubftantiam vafa accedunt, ipfisque quafi funiculis nerueis intertexuntur. Non Veterum jam effugit indaginem arteriola quaedam alte nerui optici pulpae immerfa, quam porum ab eo, quem ei adfcripfere, vfu denominarunt [1]) pluraque funt vafcula, quae huic addidit recentiorum induftria. *Plurimae arteriolae per hanc medullam aut ad oculum feruntur, aut ad ipfius medullae naturam pertinent* [2]) ipfaque retina, quae fubftantiae medullaris propago eft atque extenfio, *ingenti vafculorum numero fcatet* [3]). Verum vitiofa merito videri poffet, haec, qua a neruo optico argumentamur, analogia, vtpote qui pluribus in momentis, cum primis inuolucro fingulorum funiculorum deficiente a reliquorum neruorum fabrica recedit. In iis ergo fubfiftere fatius eft, quae conftantiori quadam lege in formandis reliquis neruis per corpus diftributis natura obferuauit.

§. VIII.

Funiculi igitur medullares [1]) fafciculos proprie nerueos denfiori in decurfu tunica veftitos conftituentes, ipfi finguli tenera admodum circumdantur membranula, alios femper ab aliis feparante, quam piae meningis ipfos jam truncos nerueos ab origine

3) GLISSON. Anat. Hepat. Cap. XXXIII. FRID. RUYSCH Thefaur. Anat. T. X.

4) CASSEBOHM Med. fecand. Lib. I. Cap. X. §. 16.

5) de Corp. Hum. Fabr. L. VII. Cap. I.

1) GALEN. de Ufu part. Lib. X. Cap. XIII.

2) v. HALLER T. V. p. 354.

3) WINSLOW. Expof. Anat. Tom. V. p. 534. — Arteriae et venae centralis nervi optici et retinae diftributionem; illius VRISBERGIUS in Commentt. foc. Reg. Sc. Gotting. T. II. p. 104. hujus WALTERUS in epift. de venis oculi Berol. 1778. propofuit. L.

1) vid. §. V.

gine comitantis propaginem esse, nullum dubium est. Pendet cumprimis similitudo ab ingenti vasculorum numero, quae jam intra ipsum cranium Pia Meninx dirigit atque sustentat. Cum igitur *nerui ex infinitis funiculis contexti, et ope harum membranarum inuicem connexi obseruentur* [2]), facile pro horum funiculorum numero augeri membranae hujus intertextae superficiem atque extensionem, sicque vasculorum perreptantium numerum apparet. Originem horum vasorum cum ipsa pia Meninge ex Cranio vel tubo spinali repetere, ingens, qui in tanto decursu adesse deberet, ramorum numerus, motusque fluidorum vix cogitandus vetat, dum ex vasis vicinis vel superstratis facile surculi tunicas externas perreptando ad ipsa funiculorum inuolucra penetrare possint. Confirmat vtrumque, felix tentamen atque experientia, dum *scilicet materia tincta in arteriam quandam impulsa et vasa neruorum superstrata replet, et horum propagines surculos scilicet ad interiores membranas abeuntes* [3]). Id ipsum ex ore Frid. Ruyschii describit Boerhavius [4]), dum, *quando neruus*, inquit, *in corporibus infantum (nam in his optime demonstrari possunt) per injectionem coloratur, tunc penitus ruber euadit, sine vlla distinctione, et omnia interstitia inter primum et secundum inuolucrum etiam inueniuntur plena, his ablatis inuenitur materia intra fibrillas secundo inuolucro contentas, adeo, vt detegantur vasa, injectam materiam accipientia, quae pertingunt ad fibrillas vltimas.* Bina sunt, quae ex hoc sequuntur experimento, interjacere scilicet inter duo inuolucra textum cellulosum, et dari vascula ad minimorum forte funiculorum inuolucra penetrantia.

§. IX.

Respondit jam summus Vir ad objectionem, quae forte moueri possit, fieri scilicet injectione inflammationem artificialem, dum injectio non quale fluidum vehatur, sed adesse vascula peruia doceat, majorique haec vi et fluidorum impulsu distendi posse. Probant haec simul cum ramificationum numero comparata et luminum decrescentium ordinem, et crescentium semper fluidorum transeuntium tenuitatem. Nec obstat haec vasculorum exiguitas, quo minus in variorum explicatione phaenomenorum magnam mereantur attentionem, cum illam ineffabili suo numero, quo per totum systema Neruorum, omniumque funiculorum inuolucra disperguntur, compensent, nec, quae in neruis nostris mutationem producunt, pondere semper et mole mensuranda sint, hique a subtilissimis saepe, vt radio lucis, effluuiis odoriferis, igne electrico affici vehementer possint. Hanc merito attentionem inculcat Boerhavius, dum de inuolucris neruorum eorum fibrillas colligentibus et firmantibus, deque illorum vasis sanguiferis, lymphaticis aliisque loquitur, eaque *intellectum parere multorum in neruis phaenomenorum et morborum* adjicit [1]). Non igitur *inter minutias Anatomicas probe ab intentionibus Practicis excludendas* [2]) retulit Vir Magnus horum vasculorum considerationem, ejus sapienter subnectens vtilitatem.

§. X.

2) Spiegel de Corp. human. Fabr. Lib. VII. Cap. I.

3) Frid. Ruysch. Epist. Probl. XII. Thes. Anat. I. p. 42.

4) de Morb. Nerv. p. 217.

1) *Instit.* R. M. §. 282.

2) Act. Wratislaw. Ao. 1717. Mens. Sept. Crass. V. Art. 2. — Prochaska de struct. neruor. Viennae. L.

§. X.

Liquidi quidem hujus tenuiffimi per tenuiffima vafcula membranulas perreptantia allati, atque *in cellulofam telam, quae funiculos nerueos ordinat* [1]), exhalantis varius effe vfus poteft, eoque major, quo altius funiculis nerueis haec tunica vafculofa immergitur, quoue plura funt inter illos interftitia [2]). Nondum mihi, fateor, indoles ipfius fluidi neruei feu fpirituum animalium fatis perfpecta eft, vt iis facultatem, prout reliquum corpus ita et neruos nutriendi adfcribere poffim, eoque magis, cum et plantas nutriri videam [3]), in quibus tamen vix aliquid neruorum fluido fimile fufpicari licet. *Liquidum* ergo *neruos nutriens ex arteriolis telae cellulofae, fibrillas nerueas connectentis, et inuolucrorum neruos obducentium prouenire, fecerni, et in tunicas, quae fibrillas nerueas componunt, potiffimum in earum interftitia deponi, vt nutriat et irroret decenter* [4]), Clarorum Virorum eft fententia. Praeter hanc nutriendi functionem, quod reliquum humoris eft, *facile concretionem prohibere, has partes humectare et emollire poteft, ne fibrillae minimae exarefcant, et nerui actionem impediant* [5]), quoue fic neceffaria conferuetur parietum flexilitas atque humiditas.

§. XI.

Conftanti quadam in corpore noftro lege fancitum eft, vt, quae contraria directione fluida vehunt, vafa plus vel minus fefe arcte comitantia, eodem fere modo diftribuantur, quo fic fit cuique fluido allato, fuum, quo reuehi poffit, vafculum. Eundem et in minimorum genere obtinere ordinem ratio docet, et experientia; tenuiffima cumprimis vafcula exhalantia liquorem, vafa reforbentia requirunt, ne is vitiofe collectus multarum fiat fomes infirmitatum [1]). Quae igitur vafa venofi generis, arteriofo oppofiti prout in omnibus corporis membranis vafculofis adfunt, adeffeque debent, ita omnino fieri nequit, vt funiculorum nerueorum inuolucra iis deftituantur. Plexus inde feu rete conflatur vaforum varii generis, incredibilis quidem tenuitatis, verum etiam immenfi numeri. Recipiunt horum alia numero ramorum non determinando fluidum fuum ab ipfo corde arteriisque majoribus, reuehunt alia in majores femper fucceffiue ramos abeuntia eundem humorem in venas majores, indeque in cor ipfum, vt adeo a cordis et recipientis et diftribuentis debito motu liber quoque fluidorum etiam per haec vafcula motus pendeat, nec difficile fit patulas fic a corde ad funiculorum vsque nerueorum inuolucra atque interftitia vias concipere.

§. XII.

1) v. HALLER. Elem. Phyfiol. Tom. IV. p. 193.

2) vid. Cl. LEDERMULLER Mikrofcopifche Ergözungen Tab. LI. Clariffimorumque Virorum de his interftitiis fubjunctam fententiam. *Fränkifche Sammlungen* Tom. V. N. 7.

3) Ill. LUDWIG. Inftit. Phyfiol. Regn. Veget. P. II. C. III.

4) Ill. SCHMIEDEL Diff. de Actione neruorum §. VI.

5) BOERHAVE de Morb. Neru. p. 218.

1) Ill. v. SVIETEN Comment. Tom. IV. p. 171.

§. XII.

Multa jam exinde quae ad horum vasculorum integritatem, multa, quae ad liberum per haec vascula fluidorum motum requiruntur momenta, sponte sequuntur. Vires enim cordis siue majori impetu fluida in subtilissimos vsque canaliculos impellant, siue languore suo tardiorem fluidorum motum efficiant, tardiusque sic eadem ab extremitatibus recipiant, notabilem semper et in his ipsis vasculis producent differentiam. Accedit porro, in vascula nostra, quatenus canales sunt, omnes quoque vasorum quadrare morbos, sique parietes eorum respexeris, hos nimium extendi, constringi, obstrui, posse, si, quae vehunt fluida, haec vel lentore phlogistico, vel spissitudine frigida peccare, si vtraque consideraueris, errorem loci obuenire, humoremque in vasculorum ramos sibi imperuios irruere posse. Quem igitur ad modum vniuscujusque corporis nostri partis libera functio atque integritas multum a libero fluidorum per vasa, quibus illa circumdatur, transfluxu pendet, hocque turbato, et illius plus vel minus turbari actionem necesse est, ita quoque funiculorum nerueorum actionem multum a vasculorum membranulis, quibus circumdantur, perreptantium conditione mutari posse, merito concluditur.

§. XIII.

Sed quo haec omnia? Anne minima Praetori, anne exigua haec vascula Medico consideranda sunt! Mihi sane, vbicunque de actione in neruos, de mutatione in neruis producta agitur, nulla vnquam res adeo exigua est, quin maximam attentionem mereri videatur, eoque magis, cum a tenuissimis corpusculis, vt supra §. IX. dictum, miras in neruis produci mutationes deprehendam, vt adeo eo facilius, sic substantiam medullarem a vasculis proxime contiguis affici posse, intelligam. Dubiam mihi saepe has de Neruorum affectionibus sententias mentem traxisse non diffiteor, meque infirmos accedentem deque morbi ac Symptomatum caussa materiali et formali sollicitum ancipitem saepe haesisse, vbi vel minimam in morbo neruorum adfectionem adesse deprehenderem. Si quis ex fructuum horaeorum vel obsoniorum abusu tensionibus flatulentis, ructibus atque borborygmis vexetur, si ex venarum compressione oedemata superueniant, si sanguis in motu progressiuo impeditus corrumpatur, si pro aeris pulmonumque qualitate respiratio turbetur, satis mihi quidem tum ex principiis physicis tum ex structura partium caussam inter et effectum nexum perspicere videor. Sed quam primum motus inuoluntarius vel ejusdem debilitas adsit, vel de ingente dolore siue vniuersali, siue partis cujusdam conqueratur infirmus, *aquam mihi cum magno* Boerhavio [1]) *haerere*, lubens fateor, nec vllam siue de caussa materiali et formali dolorum, siue de sede materiae rationem, quae mihi ipsi prorsus satisfaciat, me adferre posse. Video quidem Ill. Hallerum post exantlatos tantos in perscrutanda Corporis humani Natura labores ingenue fateri, *in doloribus articulorum nos veram sedem tormenti nondum satis perspectam habere* [2]). Ego vero sincere fateri non erubesco plerorumque, tantumque non omnium dolorum siue idiopathici sint, siue deuteropathici, caussam

1) de morb. neru. p. 179.

2) El. Phys. T. II. p. 404.

cauſſam materialem atque ſedem vehementer mihi obſcuram eſſe, multaque phaenomena, probe conſiderata majorem adhuc reddere obſcuritatem. Non itaque intempeſtiuo cuidam pruritui ſuam debet originem haec mea de VASIS NERVORUM meditatio, ſed neceſſitate quadam de his vaſculis cogitare coactus ſum. Ad lectos infirmorum acerrimis excruciatorum doloribus, lacrymisque et eiulatu leuamen ſaltem dolorum petentium torſi ingenium, et ipſam cauſſam ſedemque dolorum detecturus, et, quibus hi profligari poſſint, remedia. In vaſcula funiculos nerueos circumdantia humoresque contentos multum cauſſae conjici poſſe, ſuſpicans, hanc meam eruditorum examini propono opinionem, numquid inde forte lucis in Pathologiam aut Symptomatologiam ſpargi poſſit.

§. XIV.

Neque hic ad ſentiendi mouendique facultatem, qua nerui gaudent [1]), redeundum eſt, cum hanc eruditorum conſenſus teſtetur, confirment ipſa experimenta, quamuis, quo id fiat modo conjecturis plus quam firmo ratiocinio explicare liceat. Liberum requiri per neruum partem inter ſentientem vel motam atque nerui originem commercium, neruus ligatus vel deſtructus probat, nec male inde, fieri id per motum tenuiſſimi fluidi, neruei ſcilicet, in cerebro ac cerebello ſecreti colligitur. Dubiolum quidem non penitus hic ſilentio praeterire lubet. Neruos ſentientes et mouentes in artubus cumprimis accurate diſcernere et determinare vix hucusque licuit, ſuntque Clariſſimi Viri, qui utrique functioni eosdem praeeſſe validiſſimis demonſtrant argumentis [2]). In ſenſu ſine dubio a parte ſentiente ad ſenſorium commune, quocunque demum id modo fiat, mutatio propagetur neceſſe eſt, in motu vero ab ipſa neruorum origine ad partem mouendam. Quod ſi igitur pars corporis e. g. manus flammae ignis exponatur ſimulque fortiter moueatur, ſimul et mouetur et ſentit. Contraria ergo ſic directione mouetur fluidum nerueum eodem tempore. An per diuerſos funiculos nerueos? An per eosdem? An diuerſus hic motus, ut alter alteri non obſit? An alter alterum minuere aut abſorbere poteſt? An ideo inſtinctu quodam naturali partem dolentem mouemus, tibiamque allidentes genu manibus apprehendimus pedemque vibramus, vel digitum conquaſſantes, illico vehementer manum quatimus, ſenſum ſic atque dolorem oppreſſuri?

§. XV.

Verum non dubiolum hoc vrgere, nec altius in re ardua difficultatibus implicari lubet, in iis potius, quae communi doctrina recepta ſunt, ſubſiſtendum nobis eſt. *Neruos*, ſiue de ſenſu, ſiue de motu ſermo ſit, *per interiora non vero per exteriora actiones ſuas* facere [1]), certum eſt, *neruique majores* cum primis *minimam partem ſuae molis habent vere neruoſam dicendam* [2]), iis ſcilicet, quae neruis propriae ſunt, facultatibus praeditam. In medullari ergo ſubſtantia haec vnice, quae neruis tribuitur, virtus reſidet. Subtraxit ſeſe hujus fabrica atque compages oculis atque ſcrutinio maximorum

1) vide §. IV. V.
2) v. HALLER El. Phyſiol. T. IV. p. 389.

1) BOERHAVE de Morb. Neru. p. 3.
2) Ill. v. SVIETEN Comment. T. I. p. 358.

rum Virorum, in eoque tandem omnes acquieuere, tenerrimam esse atque imperscrutabilem. Id saltem cognita hac ex teneritudine sequitur, eam a minimo contactu minimi corpusculi mutari debere, mutationemque hanc et moli, figurae, qualitati, et impetui contingentis particulae respondere, foreque eo majorem, quo paucioribus intermediis tegumentis vel membranis corpusculum substantiam medullarem contingat. Contactum vtique siue mediatum siue immediatum substantiae medullaris indeque ejus mutationem in actione neruorum requiro, non enim etiam hic vel actionem in distans vel *irradiationem* HELMONTIANAM cogitare possum, licet et hujus vocis significatio contactum aliquem significare videatur.

§. XVI.

Dum igitur substantia medullaris et sentit et mouet, fit quaedam in ea mutatio, hoc est, aliter se nunc habet ac antea, dum non sentiret, vel non moueret. Qualis demumcunque haec fuerit mutatio, id saltem certum erit omne illud, quod in medulla nerui talem mutationem producere valet, posse etiam sensum motumque producere. Liber et aequabilis sit necesse est, fluidi neruei per tubulos medullares motus, tumque et sensus ingratus aberit et naturalis ille, qui in corpus sanum quadrat, motus fiet. Mutabunt hunc fluidi neruei transfluxum ea, quae parietes tubulorum aliter ac antea erant, contingunt, variosque sic, plus forte vel minus tubulos arctando, pro sua natura, vi atque extensione effectus producent. Fiet id, siue immediate substantia medullaris tangatur, siue papillae cutaneae, siue integumentorum externorum compressio ad neruorum vsque inuolucra perque haec ad ipsos tubulos penetret, sicque pro rei varietate vel sensus simplex, vel voluptas, vel dolor, vel stupor, vel si constrictione hac vi quadam fluidum nerueum in tubulorum propagines impellatur, inuoluntarius quidam et conuulsiuus motus orietur. Confirmant hanc de tubulorum nerueorum constrictione, dum agunt, sentiunt vel adficiuntur, sententiam, ea, quae et in majoribus corporis nostri vasis fieri videmus, quae scilicet fluidum magis in aliam partem propellentia, ipsa angustantur, vel et reciproce si constringantur, aut comprimantur, majorem fluidi copiam in alias partes impellunt.

§. XVII.

Nec obstat, quod in dolore potissimum tensionem aliquam adesse neruorum doceri videam. Ita *in dolore fibrae tensio maxima, adeo vt haec ruptioni sit proxima*, adesse dicitur [1]) ipseque *dolor eo acrior, quo fibra rupturae propior, eo autem mitior, quo naturali est tensioni propior* [2]), cum tamen vix de substantia medullari, quam tamen proprie sentire certum est, eam dum sentit vel mouet, tendi, relaxari vel constringi [3]) cogitari possit. Adjuuor explicatione Illustrissimi Commentatoris, qui ad locum supra citatum [4]) rem exemplo a Carnificum tormentis suspensum hominem extendentibus desumto illustrat. Sic enim prout totum membrum ita et totum neruum ejusque potissimum

1) Nou. Pathol. Delin. §. 138.

2) BOERHAVE Aphor. 221. de cognosc. et curand. Morb.

3) Ill. v. HALLER El. Physiol. Tom. II. p. 205. T. IV. p. 407.

4) Ill. v. SVIETEN Comment. T. I. p. 357.

potissimum inuolucra extendi video. Tubus vero mollis et flexilis vix extendi majorem in longitudinem potest, quin ejus simul lumen minuatur, totumque cauum angustetur, sicque contenta in arctiorem contactum comprimantur. Fiet ergo extensione neruorum eadem, de qua supra §. praec. dictum, substantiae medullaris mutatio, fluidumque in ea vectum aliter ac antea mouebitur, vt adeo posse quidem tensionem producere dolorem, non vero in omni dolore tensionem adesse, argumentari liceat. Addi forte posset, hujusmodi substantiae medullaris coarctationem, fluidi neruei praeternaturalem motum efficiendo, dolorem producere, tantam vero, quae omnium tubulorum nerueorum cauum aboleat, omnem quoque fluidi neruei motum abolere, sicque stuporem et insensilitatem efficere. Posset sic fortasse transitus ex summo dolore in stuporem concipi. Frigus enim intensum papillas nerueas ipsaque neruorum inuolucra sensim constringendo, primo sensum ingratum et dolorem infert, *mox dein sensum, tandemque motum delet* [5]. Quadrant haec quoque in ipsum ignem, qui prout omnes partes membranosas fibrosasque corporis, ita etiam neruorum vaginas exsiccando corrugare, sicque in substantia medullari hanc mutationem ad plenariam vsque destructionem efficere potest. Si denique *acerrimi liquores chemici in cute dudum mortua, dum hactenus humida sit, constrictionem suscitant* [6], quidni etiam acria neruos contingentia, tunicas constringendo, ipsam substantiam medullarem afficient.

§. XVIII.

Sed ad vasa jam neruorum redeundum est, numque justa in haec cadat suspicio, disquirendum. Plethoricum video, suum, quo abundat sanguinem, vel motu corporis violento vel potu spirituoso commouentem, alto sepultum somno, situ capitis forte decliui noctem transigere. Expergiscens de vertigine, sensuum obnubilatione ac hebetudine, languore corporis capitisque dolore ipsi saepe arteriarum pulsui respondente conqueritur. Non in obscuro rei videtur ratio. Turgida Piae Meningis anfractus cerebri vestientis vascula sanguine accumulato, substantiam cerebri comprimunt, ejusque sic functionem turbando varia producunt incommoda [1]. Sed tantum abest, vt eandem quoque reliquorum neruorum conditionem concipere nequeamus, vt potius plura adsint, quae similitudinem structurae docendo pro similitudine quoque adfectionum militent. Distribuuntur per corpus funiculi medullares, quos Piae Meningis propagines comitantur ac inuoluunt, suis intertextae vasculis [2]. Recipiunt vascula quem vehunt, humorem, a vasis majoribus, sicque ab ipsa humorum massa, vt adeo pro motu et qualitate totius massae fieri et in his vasculis, sicque et in iis, quos inuoluunt, funiculis mutationem necesse sit.

5) v. Haller El. Physiol. T. IV. p. 391.

6) pag. 195.

1) Posse a cerebro sic adfecto in reliquos corporis neruos molestias propagari, ex eo facile intelligitur, cum cerebrum ac cerebellum neruis originem det. Nihilque impedit sententia Veterum, animam et ideo etiam origines Neruorum in corde quaesiuisse, cum autopsia vltimo repugnet. Aristot. de Part. Animal. Lib. III.

2) vide §. VI. VIII. X.

§. XIX.

Dum imminente febre acuta abit sensim in lentorem phlogisticum Massa sanguinis, turbatur fluidorum motus, haecque vasculis sibi fere imperuiis impacta difficilius transeunt, vasaque sic extendendo vicina comprimunt. Impediuntur quidem sic omnes, quae a libero fluidorum in corpore sano motu, functiones pendent, verum cum ad cerebri etiam neruorumque vascula continua malum extendi necesse sit, horum compressione tantam induci debilitatem mirum non erit. An forte hoc sensu *lassitudines vltro obortas arguere morbos* dicit diuus HIPPOCRATES [1]), quas lassitudines in notis adjectis, vt ab aliis Speciebus distingueret, *phlegmonosas* vocat JOH. HEURNIUS. Idem Magni BOERHAVII Ill. Commentator sic explicat: *in morbis acutis inflammatoriis dum orbatus diluente suo vehiculo sanguis difficilius transit per vltimos arteriarum fines saepe tanta debilitas oritur, praecipue si morbi impetus caput petat, atque in encephali vasis immeabilis sanguis haerere incipiat* [2]), ut adeo etiam hic de vasculis ad omnes partes, quae robur corpori addunt neruos scilicet tendentibus sermonem esse appareat. Confirmat id attenta rerum quae eueniunt, obseruatio. Eos, qui paullo ante vegeti erant ac robusti, jam nunc dum morbo prehenduntur inflammatorio, tanta inuadit debilitas, vt vix corpori, vix membro mouendo pares sint, verum repente exhausti quasi concidant, nec male saepe ex hujus debilitatis magnitudine de ipsa morbi futuri judicatur vehementia. Ex eadem fere scaturigine omnium membrorum dolores febres saepe malignas praecedentes oriri videntur.

§. XX.

Nec Diathesis semper vel phlogistica vel maligna ad producendam hujusmodi debilitatem requiritur cum et sanguinis maxime laudabilis abundantia cum primis si a caussa externa commoueatur, robur corporis minuere ac supprimere possit. *Plethoram grauatiuam* vel *Plethoram ad vires* [1]) vocare solent. Validam efficit cordis arteriarumque actionem magna fluidorum moles, altiusque sic majorique vi in vascula minima fluida inpelluntur. Decrescente sic cum vasorum ordine motus celeritate [2]) vascula fluidis contentis distenta vicina comprimunt, quae si ad neruorum adplicentur vasa, densioribus hincque non facile cedentibus vaginis substrata, ea tubos medullares comprimere atque afficere debere facile intelligitur. Talis fuit *lassitudo cum tremore ab oppressione virium*, in quam *Pythionem* incidisse nobis refertur [3]). Eo modo a morborum fere contrariorum classe affici funiculi neruei eorumque robur et actio minui potest, *dum fluidorum moleculae lenta viscositate nimis cohaerentes non patiuntur se diuidi per vasorum actionem in illam tenuitatem, quae requiritur, vt transire possint per vltimas vasorum angustias*, sicque frigidum pituitosum, vel glutinosum spontaneum adest. Pallidum et tumidulum corpus repletas esse viscedine non libere satis resorpta

cellulas

1) Praenot. Coac. Sect. I. Cap. VI. Aphorism. Lib. II. Aph. V.
2) Comment. T. II. p. 269.
1) JUNCKERI Consp. Pract. p. 7.
2) v. HALLER El. Phys. T. II. p. 210. T. IV. p. 384.
3) HIPPOCRAT. Epidem. Lib. III. Cap. I.

cellulas testatur, cumque sic et vascula, cellulaeque funiculos nerueos interjacentes turgeant, horum quoque debilitatur et robur et actio, nec mirum quod in hoc morbo *languida membra vix corpus trahant, a minimo motu delassata illico, quodue sensuum omnium hebetudo, stupor vertiginesque molestissimae adsint* [4]. Licet enim motus difficultatem etiam laxis musculorum fibris tribuere possimus, sequentia tamen in Cerebrum potissimum neruosque quadrare nemo dubitat. An hujusmodi forte statum subintelligit *Hippocrates*, dum, *quidquid* inquit, *non coaluit, siue cute siue carne tegatur, cauum est, quod quidem sanum spiritu, aegrum vero sanie*, (ichore) impletur [5].

§. XXI.

Possent quidem, quae hucusque de morboso vasculorum nostrorum statu dicta sunt, maximorum virorum probari testimoniis, qui in aliis morbis, in massa fluidorum vasisque majoribus residentibus, hanc etiam neruorum conditionem respexisse, et neruorum morbos a vasorum vitiis deduxisse videntur. Ita Ill. de HAEN *acutarum illarum febrium lentarum, quas alii* NERVOSAS, *alii malignas, alii mesentericas nominibusque iterum aliis alii insigniunt*, mentionem facit [1], et Cel. PRINGLE febres neruosas inflammatoriis adnumerat [2]. Cum igitur inflammatio vix absque fluido in vascula sibi imperuia irruente cogitari possit [3], eo magis hic neruorum vascula alte sepulta consideranda erunt, quo atrociora saepe sunt in his morbis absque conspicuo rubore vel tumore Symptomata.

§. XXII.

Aliud adhuc argumento nostro momentum accedere ex puerorum Natura considerata videtur. Tenellis pueris genus neruorum prae adultis admodum sensile ac mobile vnanimi consensu tribuunt Medici, jamque inter morbos eorum *vigilias* atque *Pauores*, qui neruos potissimum adfectos denotant, numerat HIPPOCRATES [1]. A leuissimis laeduntur caussis [2], quaeue vix adulti forte sensissent, diras producunt in tenellis Neruorum adfectiones. In cerebri majori humiditate atque mollitie caussam quaerit diuus *Cous, analogia quoque ab ouibus atque capris desumta* [3]. Confirmat utrumque experientia, et puerorum sensibilitatem et humidam cerebri mollitiem inter ipsas inciforis manus quasi diffluentis, hinc ad demonstrationes anatomicas minus apti. Vix haec, si vlla menti nostrae vel oscillationis vel tensionis neruorum idea inhaereat, combinari possunt, cum hic major mollities cerebri et sensiles magis et magis mobiles neruos

4) Ill. v. SWIETEN Comment. Tom. I. p. 104.

5) Lib. de Arte. Cap. VIII.

1) Rat. Medend. T. X. p. 256.

2) de Morb. Castrens. P. III. Cap. VII.

3) BOERHAVE Aph. 371. 372.

1) Lib. III. Aphoris. XXIV.

2) Ita Ill. SWIETEN Comment. T. IV. p. 664. Male consulitur regum pueris, dum in luminosis conclauibus exponuntur, dum in vicinia exploduntur tormenta bellica etc. Noxium hunc morem, si non abolere omnino potuerim, saltem sic emendare licuit, vt vix amplius nocere possit.

3) Lib. de morb. sacr. Cap. V. De magnitudine Cerebri hic quoque consideranda elegantem vide locum in Ill. v. SWIETEN Comment. T. IV. p. 402.

neruos efficiat. Pro vafis haec Neruorum militant. Si humidior pulpa cerebri in pueris, plus ei humoris infit, neceffe eft. Plura igitur aut pro ratione vafa, quae humorem adferant, aut haec majora aderunt. Congruit hoc cum majori corporis puerilis mollitie, fpongiofoque ejus et magis vafculofo habitu, qui et in ipfa Neruorum inuolucra extenditur, neruosque magis reddit confpicuos. Ideo vafcula haec fub inuolucris neruorum delitefcentia facilius in pueris materia ceracea impleri poffe teftatur Boerhavius, hancque neruorum artificialem repletionem *non procedere in adultis hominibus, nam inuolucra illa per aetatem coalefcunt et indurefcunt* 4). Anne ergo inde magis neruorum adfectionibus obnoxii homines in prima aetate, quod plura vafcula patula humoribus e minima cauffa commotis aut turbatis faciliorem praebeant ad ipfos funiculos nerueos aditum, anne et inde nerui magis fenfiles? ita fere fufpicarer, cum primis dum etiam *pulfum celeriorem infantum neruis magis irritabilibus et corpori magis vafculofo tribui* videam 5), inque neruorum affectionibus etiam vafa cumprimis neruorum effe confideranda 6). Poffet fic ex tenfione vaforum facilius fubftantia medullaris affici.

§. XXIII.

Eo clarius forte cuncta haec patebunt, fi particulares quasdam feu topicas neruorum affectiones confideremus. Praemonendum tamen, nunquam hic nobis de morbis neruorum deuteropathicis feu per confenfum neruorum productis fermonem effe, cum vtique tot miri inter neruos confenfus phaenomena obferuemus, celeriterque fubftantia medullari adfecta in diffitos neruos continuos tamen propagetur affectio. Sic villis primarum viarum irritatis toties omnes corporis partes conuelluntur, fic meconium retentum dolores atque conuulfiones inducit 1), fic vermes inprimis viis ftabulantes affectus epilepticos et catalepticos inferunt 2).

§. XXIV.

In folis ergo adfectibus idiopathicis, iis fcilicet, in quibus materia in ea, qua detinetur fede, effectum exhibet, fubfiftentes, non male ab ipfa totius encephali fuis veftiti tunicis cum fubftantia medullari neruorum fuis contenta vaginis fimilitudine argumenta defumimus, quantasque materia meninges, inter et cerebrum accumulata vel effufa turbas concitauerit, confideramus. Scatent fcripta medicorum obferuationibus, quae poft multas cerebri functiones turbatas, miras in cauo cranii degenerationes repertas effe teftantur. Sic poft vehementia deliria gelatinae non mediocris copia in capite circa bafin cranii reperta eft 1), poftue affectus foporofos aqua limpida ventriculi cerebri repleti erant 2); in capitibus Paralyticorum aqua glutinofa adfuit 3), iique, qui poft diuturnam fenfuum hebetudinem obierunt, ferum in bafi cranii extrauafatum habuerunt.

4) de Morb. Nerv. p. 218.
5) Rob. Whytt de morb. Hypochon. Cap. III.
6) Ibid. Cap. I. et Cap. VI.
1) Boerhave Aphoris. 1345.
2) v. Swieten Comment. T. IV. p. 713.
1) Ill. Morgagni de fedib. morb. Epift. VI. Art. 2. Epift. VII. Art. 6. 7.
2) Ibid. Epift. LXXII. Art. 15.
3) Epift. X. Art. 11. Epift. XI. Art. 22.

habuerunt 4). In cadauere viri, qui jugulum discindens mortem sibi consciuerat, quodue in Theatro Anatomico Academiae hujus dissectum est, praeter singularem cerebri duritiem plexus choroideus mire aneurysmaticus et varicosus obseruatus est, cum in cadauere viri maniaci serum in ventriculis cerebri et vesiculas in plexu choroideo viderit Ill. MORGAGNI 5). In delirio, conuulsione et sopore gelatina sine foetore sub pia matre, calculique in glandula pineali cum vasis medullae spinalis inflammatis 6), in apoplectico seri insignis quantitas in basi cerebri 7). Aphonia et torpor cum sero inter meninges cerebri et spinalis Medullae 8). In Ictero, conuulsione et sopore aqua serosa ex pariete medullae spinalis effluxit 9), postue conuulsionem aqua cerebrum inundatum fuit 10). Lipothymia et Syncope cum sero intra meninges 11), tandemque Epilepsia dicitur neruorum distentio interdum ab aqua intra cranium effusa 12). Post diuturnam vertiginem serum in ventriculo cerebri dextro adfuit 13). Delirium, sopor et mors cum aqua in medulla spinali 14). Nec morbos, qui adeo inter se diuersi et contrarii videri possent, ab hujusmodi colluuie produci posse, mirandum est, dum supra jam, pro diuerso gradu, materiaeque quantitate aliter neruorum functiones turbari dictum sit, hosque se inuicem morbos sequi et excipere quotidie obseruemus, sic et ipsam Catalepsin in morbum comitialem mutatam ex BENIVENIO, refert MARCELLUS DONATUS 15).

§. XXV.

Nulla in allatis hisce exemplis de materiae qualitate vitiata aut acrimonia facta est mentio, vt adeo soli ponderi ac moli materiae comprimentis, hae turbatae cerebri functiones tribuendae videantur. Esset id eo magis probabile, dum et sola ossium cranii mala conformatio cerebrum comprimendo tantas saepe turbas intulit. Sic *dum suturae cranii a figura naturali deuiarent, et quasi cliuo exaltatae eminerent*, epilepsia oborta est 1), idemque morbus superuenit ab osse cranii propter laesionem tumido 2), vt nihil nunc de Obseruationibus chirurgicis, diras affectiones a sanguine sub cranio extrauasato vel etiam sestucis osseis productas testantibus adjiciamus, in quibus Symptomata a solo contactu, irritatione vel compressione oborta sunt. Verum praecipitanter nimis omnis materiae acrimonia atque corruptio excluderetur, cum et hanc interdum et ipsarum partium solidarum destructionem adfuisse, obseruationes confirment. Ex metastasi materiae

4) PISO de Morb. a coluu. Seros. p. 158. 159.
BONNET Sepulchret. T. I. p. 276.
5) de Sed. Morb. Epist. VIII. Art. 4.
6) Ibid. Epist. X. Art. 17.
7) Epist. IV. Art. 19.
8) Epist. IV. Art. 7. 21.
9) Epist. XXXVII. Art. 2.
Felix PLATER. Prax. Medic. Lib. I. Cap. 2.
10) Epist. X. Art. 6.
11) Epist. XXV. Art. 2. BOERHAVE de Morb. Neruor. p. 63. 64.
12) Epist. IX. Art. 7. 8. 9.
13) Epist. II. Art. 9. 22.
Epist. VI. Art. 2. 6. Epist. X. Art. 11.
14) Epist. X. Art. 18. Epist. LI. Art. 48.
LOWER Tract. de Cord. p. 259.
15) Histor. Medic. mirab. Lib. II. Cap. VII.
1) BARTHOLIN Anat. Lib. IV. Cap. V.
2) Ephemer. Nat. Curios. Dec. I. Art. 4. obs. 35.

materiae purulentae ad cauum cranii delirium atque conuulsiones ortae sunt [3], post vlcera intempestiue sanata aqua limpida cerebrum inundatum [4]. In cerebro aqua acidula reperta est [5], et post dolorem capitis, lethargum et apoplexiam tamen sine conuulsionibus aqua subsalsa adfuit [6], in alio conuulsionibus exstincto serum id salsum erat [7], et post deliria capitisque dolores serum cruentum in cauo cranii repertum est [8]. Verum etiam partium solidarum destructarum notabilia inuenio exempla. Post delirium abscessus in cerebro repertus est [9], ipsumque cerebrum et Thalami Optici corrupti in Paralytico [10]. Cerebrum hominis fatui corruptum inuentum est [11], postque diuturnam somnolentiam serum cruentum in ventriculis inque plexu choroideo vesiculae deprehensae sunt [12]. Post conuulsiones ventriculi cerebri corrosi, et plexus choroideus laceratus inuenitur [13], inque vera epilepsia cum tremore alterum corpus striatum corruptum est [14]. Ipsum tandem post fatuitatem conarium materia turbida mucosa repletum cernitur [15].

§. XXVI.

Possent vtique innumera hujusmodi afferri exempla, ni ex allegatis jam affatim pateret, posse materiam inter substantiam cerebri ejusque inuolucra praeternaturaliter accumulatam vel pondere suo ac mole vel degeneratione et acrimonia tanta mala inferre. Sic Paralysis *vel a topico lentore vel a rosione vasorum oriri dicitur* [1] et materia acris a sanguine per Metastasin ad neruos deposita, mira mala producit [2]. Transitum haec nobis ad morbos neruorum particulares parant, nam etiam post vitia topica notabiles neruorum degenerationes reperio. Neruus cruralis posticus erosus fuit [3], vt et nerui poplitaei [4]. Post motum oculi conuulsiuum multum seri subsalsi et prasino colore tincti circa glandulae pituitariae sedem repertum est [5], postue coecitatem neruus opticus humore turbido plenus [6], idemque neruus destructus et retina ossea [7], idem neruus cinereus et multo muco repletus [8]. Femur ipsum erosum et in acetabulo serum cruentum deprehensum est [9], inque rheumatismo gelatina supra musculos effusa [10].

§. XXVII.

3) Morgagni de Sedib. Morb. Epist. V. Art. 4.
4) Epist. V. Art. 30.
5) Epist. I. Art. 6.
6) Epist. II. Art. 20. Epist. IV. Art. 2.
7) Epist. IV. Art. 4.
8) Epist. XLVII. Art. 12.
9) Epist. V. Art. 2.
10) Epist. V. Art. 17.
11) Epist. L. Art. 3. 12.
12) Epist. III. Art. 3.
13) Epist. II. Art. 9.
14) Epist. IX. Art. 20.
15) Epist. XXI. Art. 24.

1) Boerhave de morb. Neruor. p. 616.
2) Rob. Whytt de Affect. Hypochondr. Cap. IV.
3) Ill. Morgagni de Sedib. Morb. Epist. L. Art. 2.
4) Epist. L. Art. 55.
5) Briggs. Ophthalmographia p. 90.
6) Morgagni Epist. XIII. Art. 8.
7) Epist. LII. Art. 30.
8) Epist. XIII. Art. 8. 9. Epist. LII. Art. 30. Epist. LXIII. Art. 4. 6.
9) Epist. LVII. Art. 3. 5.
10) Epist. LVII. Art. 16.

§. XXVII.

Probant haec cuncta junctim sumta, et in morbis neruorum particularibus posse materiam praeter naturam ad substantiam medullarem delatam vehementer adeo nervos afficere, *siue humor hic inter tunicas neruorum collectus partes interiores comprimendo agat* [1]), *siue mordax natura succi* [2]) neruos vellicet. Ita Ill. MORGAGNI problematice quasi proponit, an serum limpidum variis, vt supra dictum, locis deprehensum premendo agat an irritando [3]). Posse vero solo contactu neruos vehementer affici, dolor spinam sub vngue infixam aut tibiam allisam sequens, vt et conuulsiones dentitionem difficilem comitantes testantur, vbi vix acrimonia vellicans demonstrari potest, possunt vero et *acres putrefacti humores haerentes in arteriis membranae exterioris neruos erodere, et diuturnos dolores excitare* [4]). Non enim vel fluidi neruei indolem vel tubulorum medullarium capacitatem satis perspectam habeo, vt vel illud acrimonia quadam infici, vel in hanc sanguinis penetrare acrimoniam, suspicari audeam, vixque hoc credendum ipse magnus docet BOERHAVIUS, ita tamen, vt id forte de solo spiritu stillatitio fermentato vegetabili suspicetur [5]). Corrodi tamen semper vascula a materia acri sic ad medullam penetrante dolor saepe absque malo consectario breui euanescens, materia aliorsum translata, admittere vetat. Si sola extensione vascula medullam vicinam afficiant, vnum esset idemque siue illa liquore blando siue acri turgeant. An forte collecti humoris particulae tenuissimae per Diapedesin transsudant? Vix hic aliquid determinare audeo, in re et oculorum meorum et ingenii aciem effugiente.

§. XXVIII.

Audio tamen Medicos vnanimi fere consensu quibusdam in morbis de materia neruos infestante loqui, ejusque coctionem et excretionem per varia corporis emunctoria, ad quorum tamen fabricam vasa plurimum conferunt, promouendam, repulsionem vero ad viscera vitalia summe esse periculosam. Conuulsiuos sic motus variolarum erupturarum prodromos ex SYDENHAMO dicit BAGLIVIUS [1]). *Venena corporis humani neruosas praecipue partes adoriri*, FRID. HOFFMANNUS [2]), *eaque introuersa grauissima Symptomata inducere.* Efflorescentiae intempestiue retropulsae vertigines [3]), et fonticulus clausus miras conuulsiones inducere potest [4]). Materia miliaris ad nervos repulsa eosdem irritat [5]), et ex *ejusdem funesta ad interiora corporis et vitalia organa retrocessione singultus oritur* [6]). Quaenam sunt haec, per quae celeriter adeo hujus morbi materia retrocedit, vascula, et vbi proprie haec materia retrogressa nervosque infestans delitescit? Continua sint haec receptacula cum vasculis subcutaneis

 necesse

1) BOERHAVE de Morb. Neruor. p. 65.
2) MORGAGNI de Sed. Morb. Epist. LI. Art. 45.
3) Epist. I. Art. 6. 7.
4) BOERHAVE de Morb. Neruor. p. 59.
5) Ibid. p. 157. 160.
1) Prax. Med. Lib. I. de Variolis p. 62.
2) Med. Rat. Syst. T. II. Part. II. Cap. III. §. XXXVI.
3) BOERHAVE de Morb. Neruor. p. 518.
4) ROB. WHYTT de Affect. Hypochondr. Cap. VIII.
5) Ibid. Cap. VII.
6) Ill. v. HALLER Elem. Physiol. T. III. p. 310.

necesse est, dum cito saepe adeo et feliciter eadem expellitur. Multum hujus rei cognitione in formanda Prognosi et instituenda Therapia adjuuarer.

§. XXIX.

Dum haec scribo, video coram me virum juuenem ante aliquot menses insultu leuiori apoplectico correptum, remanente alterius auris surditate, pedisque et brachii stupore et motu difficili. Liberatur ab his penitus, sponte efflorescentibus in brachio numerosis vlceribus sordidam saniem plorantibus. Haec dum intempestiue consolidarentur, in eundem incidit affectum hemiplecticum iisdem cum sequelis. Redierunt post vsum diluentium, resoluentium et neruinorum vlcera in carpo dextrae manus inque brachio sinistro, magnam materiae saniosae quantitatem stillantia, jamque nunc ab omni debilitate, neruorumque affectione prorsus immunis est. Quanam via, et quorsum celeriter adeo repulsa haec materia vlcerosa fertur, vt Paralysin efficere possit? Incidit in pessimam febrem miliarem mulier quinquagenaria. Nec regimen calidum, nec remedia calida adhibita sunt, satisque placide morbus non alioquin leuis decurrit. Die morbi vndecimo repente, post animi excandescentiam retrocedunt exanthemata, ne vestigio quidem superstite. Illico tussis conuulsiua, vomitus et singultus superueniunt, tanta vehementia, quantam in nullo vnquam infirmo obseruaui. Nihil vesicantia sat magna, nihil Cortex Peruuianus affatim et sub omni forma datus profuit. Tanto sic imminente periculo alternatim quouis horae quadrante, cum infuso herbae Scordii datae sunt quatuor guttae *Olei Bezoardici Wedelii*, et guttae decem *Essentiae Scordii* cum *Spiritu Bezoardico Bussii*, eo quidem effectu, vt secunda post horum remediorum vsum hora purpura vberrime rediret, conquiescentibus illico omnibus viscerum internorum affectorum Symptomatibus. Vsum horum remediorum justo citius intermissum statim rursus purpurae retrocessio cum iisdem atrocibus Symptomatibus excepit, quae vero semper adhibitis rursus his remediis cum leuamine apparuit. Notabile, foeminam hanc intra trimestre spatium tres ejusdem morbi recidiuas passam esse, et in quauis recidiua ternas forte vel quaternas retrocessiones. Euasit tamen, nuncque optime valens laeta vltimarum, vt vocant, guttarum reminiscitur. Immanis totius corporis dolor juuenem inuasit ita, vt prae tormentorum ferocia ne vnum quidem membrum mouere possit, sed quasi tetano correptus immobilis decumberet. Largissime die septimo post vsum Corticis Peruuiani erumpens Purpura miliaris, omneque quasi corpus tegens tantum illico leuamen attulit, vt et omnes dolores euanescerent, et membris rediret mobilitas. Die vigesimo frigus incaute admissum eosdem dolores atroces reuocat, rursus copiosa Purpura erumpente conquiescentes, majorique demum Purpurae cura habita non redeuntes. Ex me ipso quaerens, quae fuerint praecise fibrillae quaeue vascula, quibus materia subito retrocedens adhaeserit, tantaque mala produxerit, et quomodo celeriter adeo in vascula subcutanea expelli potuerit, vix mihi ipsi satisfacio, nisi forte ad *Neruorum Vasa* reliquo vasorum Systemati continua confugere liceat.

§. XXX.

§. XXX.

Atrocia sunt, quae dentitionem difficilem comitantur Symptomata, multis pueris periculosa, multis funesta [1]). Nerui, cumprimis rami paris quinti vehementer adficiuntur. Dens quidem prorumpens neruulos tendit, comprimit et vellicat, lateque per consensum tristes diffundi possunt passiones. *Dolet membranula, quae praesepiolum obuelat jamque nunc disrumpitur* [2]). Potest tamen et major fluidorum affluxus in dentium euolutione obuius conferre ad affectionum extensionem, possuntque fluida in vasa neruorum irrumpentia eorum adficere medullam. Adesse vero majorem humorum affluxum, tum oculorum illacrymatio tum saliuae profluuium testatur. Majorem illum efficit cum periculo aluus adstricta [3]), ideoque forte HIPPOCRATES *pueros dentientes, quibus profluuium alui est, minus conuelli dicit*, minori sic humorum versus superiora affluxu. Verum dum adultos quoque interdum post admissum frigus de odontalgiae specie, quam fluxionem vocant, conqueri audio, eosque doloris extensionem describentes, exacte paris quinti distributionem pedemque anserinum delineare video, absque tamen vllo vel tumore vel rubore conspicuo, vix possum, quin de vasculis in ipsis horum neruulorum inuolucris contentis, humore plus justo turgidis suspicer. Debilitantur saepe refrigeratione partes quaedam corporis, ita vt per totam vitam magis sensiles sint ad minimam aeris sicque humorum motus mutationem vel acriter dolentes vel ad motum ineptiores, nec rubicundae, nec tumidae. An vaginas neruorum frigus constringendo reddidit angustiores, vt sic vascula pauco affluente humore magis turgida tubulos medullares afficiant? Dum de inueteratis fluxionibus hinc inde labentibus nec temere repellendis populares conqueruntur, nullum, in quo praecise caussa doloris residere possit, locum inueniens, ad haec neruorum vasa conuerto animum.

§. XXXI.

Confirmor eo magis in hac opinione, dum Clarorum Virorum eam fulciri aliquantum video testimoniis. *Post affectus Catarrhales interdum Paralyses sequuntur* [1]), et in affectibus rheumaticis doloribusque articulorum nihil juuant sudores, nisi simul adsit vrina hypostatica [2]). DURETUS vero *sudorem Paralytico superuenientem vel morbum soluere vel incurabilem reddere docet* [3]), scilicet vel materia neruos comprimente resoluta et expulsa, vel tenui amisso fluido magis inspissata. Quantum porro in Passionibus Hypochondriacis atque Hystericis Systema neruorum, abdominalium cumprimis adficiatur, dira hos morbos comitantia saepeque horrenda testantur Symptomata, inque his multum conueniunt [4]), praetermissa nunc, quae hos ad-

 fectus

1) Ill. SCHMIEDEL Diss. de Dentitione difficili §. VI.

2) Ill. HALLER Elem. Physiol. Lib. XXX. p. 20.

3) Ill. SCHMIEDEL loc. cit. §. XIII.

1) HEISTER. Comp. Pract. Cap. XIV. §. 37.

2) SYDENHAM Oper. p. 564.

3) Explic. Praenot. Coac. Hipp. Cap. XIV.

4) ROB. WHYTT de Affect. Hyp. Cap. II.

fectus intercedit differentia [5]). Dum enim hysterica mulier *veluti comitiali morbo correpta, citra neruorum distensiones strangulatur, dumque angustiis jecur, transversum septum, pulmones et cor celeriter opprimuntur* [6]), in neruos potissimum adfectos mali culpa conjicitur. *Neuropathiam* horum adfectuum cateruam a Viro Illustr. vocari video [7]), eamque materiae acri neruos irritanti tribui [8]). Sic Boerhavio sermo est de morbo hypochondriaco *cum materia*, quam *faeces sanguinis amurcosas in propaginibus arteriarum mesentericarum retentas vocat* [9]), alioque loco dicit: *materiam lentam in vasis abdominalibus collectam ita agere in neruos, vt inde mala quaedam producantur* [10]). Mihi tamen praeter neruorum vascula nullus locus innotescit, vbi propior hujus materiae cum substantia medullari, quae proprie sentit, contactus intercedere possit.

§. XXXII.

Est plerumque his in adfectibus Symptoma quoddam peculiare, vrina scilicet, quae tenuis interdum et aquosa excernitur. Ita de hac Illustr. Hallerus: *in vrinae certe Hypochondriacae exemplo vix possis tibi temperare, quin agnoscas neruos ostiola vrinifera amplexantes stringere, vt exclusis crassioribus et colore aliquo tinctis particulis puram aquam solam transmittant* [1]). Obseruationem tamen, quae mihi adeo notabilis videtur, adferre liceat. Matrona quadragenaria post numerosa puerperia grauibus corripitur passionibus hystericis. Praeter alia Symptomata agrypnia aderat molesta, quam sex vel octo in eadem nocte mictiones reddebant molestiorem. Id vero notandum maxime, bis vel ter in vna nocte tam vehementem accidisse mingendi stimulum, vt ei ne per momentum quidem compescendo par esset, verum subito arrepta matula lotium reddere cogeretur. Erat hoc circiter sex vnciarum, pallidissimi et vere aquei coloris, cum reliqua vrina naturali stimulo missa vix quoque a naturali consistentia et colore recederet. Tanta erat haec vrinarum diuersitas, vt matutino tempore accedens, sexque vel septem vrinalia intuens illico distinguerem, quae vrina spastice, quae naturaliter excreta esset. Pallida haec vrina dum excerneretur, jam in vesica aderat, quam non potuit debili acrimonia stimulare; vnde ergo incompescibilis stimulus? In renibus vix alternans adeo frequenter constrictio, dum quatuor et quinque vrinae naturales prodirent. Vnde ergo singularis aliarum pallor?

§. XXXIII.

Si denique euictum esset, morbos, qui interdum epidemice in nonnullis prouinciis grassati sunt, quosue singulares adfectiones Spasticae et conuulsiuae comitabantur,

5) Frid. Hoffmann Med. Ration. Syst. T. IV. P. III. Cap. V. VI.

6) Aretaeus de Acutis Lib. II. Cap. XI.

7) Morgagni de Sedib. Morb. Epist. XLV. Art. 17.

8) Ibid. Art. 27.

9) De morb. neru. p. 118.

10) Ibid. p. 483.

1) Element. Physiol. T. II. p. 442.

imitabantur [1]), ab vſu clauorum ſecalinorum vel ſecalis corniculati [2]) ortum traxiſſe, quod tamen nondum ab omnibus admittitur [3]), probaret id, poſſe etiam cum alimentis prauam ingeri materiam, quae nulla coctione prorſus ſuperata forte in vaſis neruorum retenta dira hujusmodi mala produceret. Id fere ex methodo, quae in his morbis proficua deprehenſa eſt, laxantibus ſcilicet remediis, alexipharmacis et volatilibus adhibitis [4]) concluderem, dum non ſatis diſtincte *Sulphur quoddam narcoticum, vaporoſum neruis admodum inimicum*, quod pro cauſſa allegatur [5]), perſpicio. Conuenit forte cum his adfectionibus aliquantum, licet ratione cauſſae occaſionalis differat, morbus ille, quem ſub BERIBERI nomine deſcribit Ill. GORTERUS [6]) quemue in *India orientali acquiri ſaepe* dicit, *ſi aeſtu fatigati potum frigidum bibunt auidius, decumbantue in aere nocturno humido et frigido, vbi tum motus et ſenſus extremorum hebeſcit cum quadam titillatione, immo quandoque vox ipſa.* Confirmat id BOERHAVIUS, dum ex WILLISIO refert, *hominem per medios imbres, ambulantem propter refrigerium madidi corporis in Paralyſin omnium partium incidiſſe, quae neruos ex medulla ſpinali accipiunt*, concluditque inde, *a prohibita perſpiratione et reſorptione potuiſſe effundi liquidum, quod comprimebat omnes neruos* [7]). Quadrare mihi hoc vel maxime in vaſcula ſubſtantiae medullari contigua, vaſa ſcilicet neruorum videtur.

§. XXXIV.

Varia jam mihi huic meditationi vltra inſiſtenti ſeſe offerunt Problemata. *An character ille neruis impreſſus* vel *in ſubtiliſſimo fluido et vaſis illud continentibus haerens, per quem ſtatis temporibus paroxyſmus febris reuocatur* [1]), interdum in noſtris neruorum vaſis deliteſcit, ibi frigus et debilitatem, in vaſa majora reſorptus calorem et ſudorem excitans, cum pauca ſaepe ſit, quae eum per ſalutarem labiorum effloreſcentiam [2]) tollit excretio? An omnes neruorum paſſiones, vbi materia quaedam fluida praeſto eſt, potius ad morbos humorum ſicque etiam ad morbos vaſorum referendae ſunt? An remedia neruina talia, quae maxime illibata in vaſa minima penetrant? An vis electrica neruos concutiens refluxum per vaſcula accelerat, ſicque majorem in vaſis majoribus motum efficiens et vaſorum morbis medetur [3])? An ad hanc neruorum vaſorumque vicinitatem attendendum in ex-

1) Act. Medic. Berolin. Dec. II. Vol. VI. Miſcell. Lips. T. V. obſ. 102. Act. Wratislav. Ao. 1717. Claſ. IV. Art. XI. Ao. 1733. Claſſ. II. Art. 3. §. 4.

2) THEOPHR. ERES. Hiſt. Plantar. Lib. VIII. Cap. V. SCHENCK Obſeru. Med. Lib. VII. Obſ. IV.

3) Diſſ. G. W. WEDEL de morb. ſpaſmodico Epid. Jen. 1717.

4) Act. Wratislav. Ao. 1717. Claſſ. IV. Art. XI. §. 2.

5) FRID. HOFFMANN Med. Rat. Syſt. T. IV. P. III. Cap. III. §. XI.

6) Compend. Medicin. Tract. XXIV. §. X.

7) De Morb. Neru. p. 65.

1) v. SWIETEN Comment. T. I. p. 537. 538.

2) Ill. DELII Diſſ. de Effloreſcentia Labior. §. XIV. XV.

3) CHRIST. LUD. ALBERT Diſſ. de Vi electrica in Amenorrhoea. §. XV.

in explicatione morborum interdum per terrorem curatorum, e. g. oris inflammationis et tumoris 4), haemorrhagiae narium et vteri 5), alui adstrictae 6), aliorumque, vt nihil de morbis vasorum a terrore inductis commemorem. An majus est, magisque propinquum in neruos an in vasa animae imperium aut vis pathematum, dum haec celerrime pulsum, respirationem et faciei colorem mutant? an ex vno Systemate in alterum propagatur mutatio? Fuit forte tale in vtrumque Systema imperium mulieri, quam ZACHIAS ecstasin simulasse, et vultum in mille colores vel ictu oculi mutasse 7) refert. Sed satis me jam in salebrosa hac et caliginosa semita incessisse arbitror, vixque vltra progredi audeo, verens, ne plura audaci conjectura, non experimentis vel ratiocinio satis fundata proferens erudito lectori displiceam. In his saltem, quae hucusque protuli, lucem quandam, tum vbi ipse doloribus infirmorum angerer, deprehendere mihi visus sum, eo mihi gratiorem, dum et indicationum et eligendorum remediorum ostenderet cynosuram, felici saepe euentu confirmatam. Nec comto haec sermone nimis ornare enixus sum, probe gnarus, *morbos*, sic loquente CELSO, *remediis curari, non eloquentia.*

4) GWERN. ROLFINK Meth. Med. spec. S. III. Cap. XII.

5) DOMINIC. PANAROL Pentecost. V. Obs. 27.

6) VIT. RIEDLIN Lin. Med. An. 97. Mens. April. N. 6.

7) Quaest. Med. Leg. Lib. III. Tit. II. Quaest. VI.

XIII. CA-

XIII.

CAROLI CHRISTI. KRAVSE

DE

SENSILIBVS PARTIBVS HVMANI CORPORIS.

LIPSIAE 1765.

---

§. I.

Scripsit olim HERMANNVS BOERHAAVE:[1] „Si contemplamur ingentem molem „cerebri, cerebelli, medullae oblongatae, medullae spinalis, comparatione habita „molis vere solidae reliqui corporis, numerum maximum neruorum inde egressorum, „et vbique distributorum; cerebrum et carinam, h. e. medullam spinalem esse basin in „embryone, vnde reliqua viscera et partes deinceps generantur, teste egregio MAL„PIGHIO; vix vllam esse particulam corporis, quae non sentiat, vel se non commo„veat; credemus fere, omnes partes solidas corporis contextas esse fibris neruosis atque „iis constare.“ Quae quidem sententia cum et sermone hoc probabili et a Viro summae auctoritatis tam fidenter proposita esset, inde vsque doctissimis Europae Medicis placuit comprobataque fuit, donec ALBERTO ab HALLER, Viro Perillustri Generosissimoque, et a natura ad experiundum comparatissimo, per numerosissima de viuis animantibus brutis capta experimenta veritatem ejus periclitanti, secus visum esset. Post illa enim a Summo Viro acta pericula, ancipiti disputatione magnaque per oppida et vrbes edita animalium strage distracti, et inter sese diffidentes Medici modo huc modo illuc se inclinarunt, quo scilicet sua quemque impelleret opinio traheretue miserorum animalium quiritatio et angor. Quam quidem sententiarum diuersitatem ne nunc quidem post tot in vtramque partem habitas disputationes sublatam cernimus. Cum igitur a nobis partae hactenus doctrinae specimen qualecunque edendum esset, neque in tot peritissimorum Scriptorum frequentia protinus materies animo occurreret, quae, si a nobis explicaretur, neque nimis trita parumue vtilis, neque prorsus iniqua viribus nostris esse videretur; de sentientibus humani corporis partibus cogitationes nostras proponere, animum tandem induximus, non quod usque adeo arrogantes eramus, nobisque ipsi tam suauiter blandiebamur, vt tam difficili et a tot claris doctisque viris hactenus varie tentatae rei pares omnino vires nostras putaremus, verum quod tantae eam esse

1) *Institut. Medic.* §. 301.

esse dignitatis, tantamque ad recte faciendam artem momentum habere existimabamus, vt vel iteranda tertiandaque tractatio posset non superuacanea videri. Ipsa enim dignitas illa effecit, vt Illustris HALLERVS post primam ea de re editam dissertationem [2]) iterum [3]) iterumque [4]) mentem suam exponeret, et eruditissimorum hominum admonitionibus locum concedens paulo quidem luculentius veriusque quam prima scriptione explicaret. Quo minus nobis speramus vitio verti posse, quod post illa, quae alio loco lingua vernacula scripsimus [5]), denuo eadem de re differere ita quidem hoc tempore instituimus, vt ex ea dissertatione quibusdam nostro quidem arbitrio desumtis et transcriptis, aliis pro hac nostra breuitate omissis, modo noua quaedam proponamus, modo ibi jam dicta nouis hic rationibus rerumque testimoniis confirmemus et illustremus. Et quoniam, quod vir Illustris et sapiens, I. B. MORGAGNVS, aliquo loco vere dixit, saepenumero priscae doctrinae fastidio vltra aequum progredi docti homines solent, nos ne in contrarium vitium curramus, et nouae doctrinae odio vltra aequum progrediamur, quam poterimus, diligenter cauebimus. Via autem et ratione hac vtemur, vt a praemissis generalioribus, atque iis quidem paucis, ad singula genera partium humani corporis veniamus, singula eo, qui nobis commodior videbitur, ordine contemplaturi, et sensum cuique suum vindicaturi.

§. II.

Vt igitur ordine procedat oratio nostra, primo, quae et vnde sit illa, quae partibus humani corporis tribuitur, sentiendi vis, paucis videamus. Est autem ea humani corporis partibus attributa proprietas, qua fit, vt, si partes eae certa quadam ratione commouentur vel ab aliis corporibus continguntur concutiunturque, mutatio haec a principio vitali illo, quod toti corpori praesidet, et vulgo *anima* appellari solet, animaduertatur percipiaturque. Quae quidem facultas, si ejus caussa in corpore reperiunda spectatur, quin a solis neruis, et parti cuique sentienti arctius intimiusque intertextis et cerebro ejusue, quae in spina est, medulla conjunctis copulatisque proficiscatur, nemo peritiorum est, qui dubitet. Quod cum ita sit, id quoque verum erit, omnem corporis *partem, in quam, datis quibusdam caussis, quibuscunque demum iis, sensus aliquis cadit, neruis instructam esse donatamque, etiamsi nerueorum funiculorum in eam ingressus nulla hactenus esset arte demonstratus.* Non tamen vicissim, si qua pars aut non omni sensus genere aut tempore certo quodam ne illa quidem sensus specie, quae vehementior est et dolor vocatur, afficitur, protinus colligendum est, eam nunquam non ad caussas quasque insensilem esse, nihilque neruosi accepisse.

§. III.

2) Vid. *Comment. Soc. R. Goetting. A. MDCCLII.*

3) vid. *Memoires sur la nature Sensible et irritable des parties du corps animal* par Mr. DE HALLER T. IV.

4) *Physiol.* T. IV.

5) Vid. Abhandlung des Herrn von Haller von den empfindlichen und reizbaren Theilen des menschlichen Leibes verdeutscht und geprüft von D. Carl Christian Krausen. Leipzig 1756.

§. III.

Itaque si quis partes corporis aliquas ex sentientium classe ejicere ausit, multa sane oportet circumspiciat, neque solis credat experimentis, captis illis de sanis corporibus vel hominum vel animantium brutorum. Quapropter nos quoque, dum argumentum hoc attingimus, magis ex ipsius artis salutaris thesauris quam ex ornatissimis theatris Zootomicorum hauriemus atque suppeditabimus ea, quae ad disceptationem propositae rei pertinere videbuntur. Quod dum in animo habemus, non ii quidem sumus, qui cujuspiam honesta studia et solertiam nauci faciamus, aut quemquam ab experiundi sedulitate atque industria dehortemur auocemusque, sed qui tamen prorsus arbitramur, ad elegantiam artis cujusuis pertinere, vt doctores, vbicunque possint, domesticis potius quam aliunde petitis, quasi precariis et emendicatis, principiis vtantur; cum maxime vero ambigua esse, quae ad euincendum refellendumue sensum partium humani corporis ab animantibus brutis requiruntur extorquenturque testimonia.

§. IV.

Sed ne hoc frustra dixisse videamur, protinus sententiae nostrae aequitatem lectoribus comprobari volumus. Misera autem animalia tantae torturae subjecta, de partium suarum sensu non posse liquido testari, quisque facile intelligit. Alia enim eorum agitantur ira et excandescentia, alia prae terrore metuque stupida fiunt, alia maximo angore sollicitantur commouenturque. Prius illud Illustris HALLERVS ipse ingenue fatetur, „nam etiam, inquiens, absque vulneribus bestia, libertatis amans, vincula et „lora maligne fert, et solet impatientiam clamoribus testari, suique tortoris faciem ma„numque perhorrescere.“ Alterum ex HALLERI discipulis aliquis [1]), anteaquam controuersia haec suscepta esset, diserte et ingenue asseruit hisce quidem verbis: „Similes „terroris effectus vidit HALLERVS in canibus, quos HAMBERGERI incredulitatis aut, vt „recte loquar, ejus, in Anatomicis praesertim, ignorantiae et nefarii ingenii caussa „toties dissecare coactus fuit, qui, dum vinculis adstringuntur, ne guttula quidem san„guinis effusa, et ne mucronem quidem cultri experti, prae solo metu non raro expi„rasse visi sunt.“ Tertium denique quod attinet, MART. FROBEN LEDERMÜLLERVS [2]), nobilis ille et diligens rerum naturalium scrutator, summam anxietatem animantium hujus generis torturae subjectorum doloremque, quo corpus vniuersum perturbatur, multiplicem adeo veretur, vt nec de sanguinis motu accelerato ejusque globulorum figuris firmum et certum quid ex obseruationibus ejusmodi colligi statuique posse arbitretur. Quo igitur minus fida ex illis fuerit collectio, si de sensu partium statuere fategeris! Neque adeo ii, qui, quod istiusmodi experimentis aut nihil aut perparum tribuunt, eam rationem experiundi negligunt, reprehendendi sunt aut Anatomes ignorantiae accusandi, in hac certe re, ad quam subtilioris Anatomes peritia opus non est.

 Ex

1) Vid. LANGHANSII, Viri clarissimi, *dissertatio de consensu partium corporis humani*, edita Goettingae 1749. pag. 34. Haec cum scripsissem, alia legi apud Ill. HALLERVM, scilicet aliquando subitam, a summo dolore, mortem superuenire.

2) Vid. JACOBI BERNH. PREV *dissertatio de celeritate sanguinis in vasis minimis.* Altorfi 1758. p. 27-33.

Ex illis autem animantium variis affectibus et commotionibus intelligimus, quam ob rem, datis iisdem externis doloris caussis, signa ejus modo edere modo nulla dare bestiae consueuerint, non tantummodo in eorum, qui Illustri HALLERO aduersantur, experimentis, sed in eorum etiam, qui Illustris viri caussae patrocinantur 3).

§. V.

Sunt aliae quaedam animaduersiones necessariae. Dolore vtuntur tanquam signo praesentis sensus in qua parte. Cujus quidem caussa proxima in obscuro posita est, nec nisi generaliorem hanc explicationem admittit, si qua pars doleat corpori adhaerens, aut nerueos funiculos ipsos aut fila neruosa parti illi intertexta motu certo quodam concuti et commoueri sic, vt inde oriatur sensus ille ingratus, qui dolor vocatur. Cum igitur corporis partes fabrica inter sese differant, rationi consentaneum est, in partibus diuersae fabricae non eundem semper sensum ab iisdem caussis excitari. Fieri igitur posse, vt qua pars, quae, cum esset sanissima, vri quidem ac pungi scindique aut dirumpi absque sensu exquisiti doloris poterat, nihilominus tamen alio tempore ad alias doloris caussas dolens existat. Id autem fieri propterea, quoniam neruosa illa stamina, parti illi intertexta, quae in sano corpore nimis compressa, et per fabricam partis nimis densam fere elisa erant, morbosa conditione ita rarescunt, turgent, aut etiam tenduntur, vt oscillationes illae, quae doloris caussae proximae vice funguntur, celebrari possint. Neque a ratione abhorret, *partem eandem eodem tempore ad caussas quasdam indolentem videri, ad alias ingrato sensu affici.* Vtramque sententiam per luculenta exempla comprobatam alio scriptionis hujus in loco Lector inueniet. Hoc loco neque alterius vtrius probationem, neque plures generales sententias proponere placet, ne dicendorum difficultate legentibus taedium creemus.

§. VI.

Percurramus igitur partes corporis humani, et, quid experimenta obseruationesque doceant, curiose videamus. Repetimus autem, *neruos* non modo ipsos sensu et eo quidem acri et exquisito pollere, sed omnis etiam sensus quasi fontem nisi primum, certe propiorem esse. Sentire autem potissimum eorum partem medullarem.

§. VII.

An vero *arteriae* et *venae* quoque sentiendi facultate gaudent? Arteriis minoribus venisque sensum aliquem esse ex eo erit colligendum, quod postea de cute et musculis dicetur. Hoc loco nihil aliud liquet nisi hoc, canalibus illis sentiendi facultatem, certam quandam, quamcunque demum, inesse posse, inesse enim neruosa fila. Haec autem inesse docet mutatio motus sanguinis, quae consequitur comitaturque mutatam conditionem systematis neruosi. Quo enim modo canales illi a terrore metuque con-stringi

3) Vid. *Memoires sur les parties sensibles et irritables du corps animal par Mr. de* HALLER, T. II. p. 68. 69. 241. 336. 356. T. III. p. 17. 165. 358. 359. et alibi passim. Potiora enim loca tantum excito, praeteritis pluribus aliis.

ftringi et arctari, a moeftitia remitti, ab iracundia et gaudio celerius fortiusque ac plenius impelli poffent, nifi neruofi quid ineffet? Spafticus, durus, contractus, parvus micantium arteriarum motus, feu febrili commotione feu aliis fpasmorum cauffis inductus, idem docet. An vero et *majores arteriae et venae* illa facultate pollent? Poffe pollere ex eo intelligimus, quod majores illi canales ex continuatis minoribus, aut, quod alius dixerit, hi ex illis oriuntur. Neque omittendum eft, neruorum in arterias infertionem ex eo jam fatis intelligi, quod in artubus, quorum nerui inutiles facti funt, fanguinis humorumque circuitus perit. Vt taceam, plerisque arteriis majoribus data effe confpicua fila neruofa. Re ipfa venae majufculae dolere videntur; varices quippe, quibus crura obfidentur, nonnunquam dolent. Arteriae lumbares dolere vifae funt, vt eft apud THOM. BARTHOLINVM [1]), qui fcripfit „GALENVS ait, pulfum „inflammari, item fentire et dolere arteriam; quod in interiori expertus eft quidam „Patauii, qui ingenti circa lumbos dolore defunctus, lapides, inftar vnguis, in arteriis „lumbaribus condebat.“ Ab his partibus fimilaribus tranfeamus ad eas, quae ex illis componuntur.

§. VIII.

Ordiamur autem ab *epidermide*. Quam fi dixerim non omni fenfu carere, verendum erit, ne multi fint, qui nimis fubtilia et ab omni medicorum fenfu aliena docentem me deferant et fpernant. Sed vero fi cuticulam fanam et integram ab fubjecta cute deglubi nonnifi vehementiffimo cum dolore poffe, ex cute igitur in illam neruęas fibras prodire, eidemque penitius intexi, atque ab iis praeftari fenfum aliquem poffe, fecum animo cogitarint, aequiores ex iis fpero effe reuerfuros. Epidermidem paulo antea fanam, at a cute nunc folutam, fine vllo doloris fenfu vellicari, difcindi et comburi, ingenue quidem fatemur; fanam vero et cuti nerueisque filamentis adhaerentem infenfilem effe, ex eo ipfo colligi cogique poffe plane negamus. Neque ignoro, vngues pilosque, quamuis a corpore auelli non absque fenfu doloris poffint, ad partes, quae non fentiant, ab omnibus tamen referri, idemque ergo de epidermide dici merito poffe videri. Sed fruftra videtur; diuerfa enim earum partium fabrica eft atque natura. Nos autem de fenfu epidermidis veri fimile dixiffe, teftes proferimus digitos, in iisdemque reduuiam h. e. epidermidis a cute abfcedentis morbum vulgatiffimum illum. Hoc enim morbo epidermis a cute foluta, quanquam non femper faepenumero tamen, inflammatur, atque tum, fi vnguium fummis acuminibus premendo vellicatur, ad fummum vsque reduuiae apicem fenfu manifefto afficitur. In eryfipelatis generibus leuioribus cutis non magis quam cuticula affecta, et pruritus fedes in hac aeque atque illa effe videtur. Nam nifi inflammata epidermis effet, ejus color rubicundus effe non poffet. Sana enim epidermis fubjectam habet cutem rubicundam fatis, neque tamen rubore fplendet. Epidermidis fquamulae poft illum aliosque morbos cutaneos a tergore refolutae et decidentes idem docent. Atque haec quidem de fenfu epidermidis fatis dicta funto. Operae enim pretium effe non puto diu morari in refutatione opinionis eorum, qui epidermidem non ex vafculis neruulorumque propaginibus

1) In *Anat. reform.* p. 650.

ginibus contexi atque componi, sed ab exhalantibus succis condensatisque originem repetere persuasum habent.

§. IX.

Epidermidi subjecta *cutis* est. De cujus sensu eodemque acri et exquisito, cum nemo sit, qui dubitet, nihil quidem, quo eum vindicem, pono, verum tamen animaduersiones quasdam adjicio, quae caeterarum partium sensum illustrent. Primo igitur obseruo, cutis quidem sensum aeque ac caeterarum partium esse a neruis, non eam tamen totam ex solis neruis conflatam esse atque compositam, sed majorem partem constare atque existere ex intertextis venis arteriisque et cellulosae telae filis aut laminulis [1]), ejus generis partibus, quibus aut nullus omnino, vt Illustris HALLERVS ejusque Amici arbitrantur, aut certe, quod nobis ac non paucis aliis iisque eruditissimis viris videtur, paulo obscurior sensus attributus est. Ergo si cutem, cujus fortasse vix sexta pars neruis debetur, vel acutissimo scalpello seces vel pertenui acicula compungas, fieri non posse, vt continuo et vbique nerueas fibrillas laedas; nihilo tamen minus cutem in omni puncto vel minimo dolere, eidemque adeo toti vere tribui facultatem sentiendi, eamque fere vnum continuumque neruum esse videri; itaque caeteras illas particulas vel jam antea quam cuti insererentur, sensus fuisse participes, vel post insertionem a nerueis fibrillis facultate sentiendi donatas esse. Tandem et hoc, quod vel praecipuum est, addimus, *cutem, epidermide tectam, dum integra sit nulloque morbo affecta, vel admodum aspere contrectari, premi, elongari, perfricari, multaque alia sine doloris sensu posse pati, quorum ne minimum quidem ipsa ferat tum, cum vehementiori inflammatione fuerit correpta.* Hanc obseruationem si animo diligenter proponas, et ad caeteras corporis partes minus sensiles illas transferas, has easdem interdum obscuriori obtusiorique, ac propemodum nullo sensu pollere, interdum tamen satis acriter dolere posse facile dabis.

§. X.

Nos vero ipsi haec §. praec. dicta protinus transferamus ad *tunicam cellulosam*, quae, si illis, quae de sensu animantium brutorum rudi manu et pingui quasi Minerua capi solent, experimentis fides habenda sit, omni sensu carere videtur. At vero si cutem ipsam, qua spectat telam cellulosam, in folia et cellulosas laminas abire omnesque neruos cuti implantatos per eam telam ad cutem migrare [1]), praeterea tunicam cellulosam minoribus arteriis venisque abundare, in eademque frequentissimam inflammationum et abscessuum sedem esse, ab iis autem morbis dolorem abesse non posse cogitaueris, nullum plane sensum telae illi esse, rudioribus illis experimentis non facile credes. Pro varia tamen pinguedinis laminis solidis interjectae copia magnum ac praecipue varium

1) Fibras quoque tendineas in cutem variis in locis tendere eamque crassiorem reddere, TH. BARTHOLINVS in *Anatom. reform.* p. 18. docet, STENONIVM maxime Auctorem secutus. Idemque in nuperrimo scripto posthumo DVVERNEY legimus. Sed negant alii.

1) EVSTACHIVS multos esse in cute neruos negat, in tunica cellulosa plures admittit.

varium discrimen ejus sensus esse non est dissimulandum. Caeterum non omittendum est, ad vsum medicum nihil interesse, an laminae illae seorsim spectatae pro sensilibus habeantur, cum nemo eas ita nudas omnique alia parte spoliatas vnquam acceperit curandas.

§. XI.

Ab externis illis corporis partibus per media ossa ad internam eorum medullam ac periosteum internum veniamus. His autem partibus cum et arteriae et venae sint, neruos quoque datos esse, et analogia suadet et periti viri docuerunt [1]). Sentire ergo partes eas posse facile persuademur. Reipsa autem et vehementius quidem laesam medullam dolere, demonstrarunt DVVERNEY [2]), MONRO [3]), BERTIN [4]), HEVERMANNVS [5]), BORDENAVE [6]), PETITVS [7]), neque tantum in animantibus brutis, sed in hominibus quoque idem factum esse, cum sanae mentis essent. Vt adeo frustra sit Illustris HALLERVS, quando eorum experimentorum momentum satagit adductis contrariis minuere [8]). Praeterea fidelis obseruatio eorum, quae atrocis illius morbi, quem *spinam ventosam* barbare vocant, initio contingunt, docet, inflammato ac deinceps in pus abeunte periosteo interno et ossium medulla, dolorem concitari, qui in intimis ossium recessibus furiens aegrotos dies noctesque vexat ac pungit, omnemque somnum eripiens, ad summam maciem perducit. His aliisque permotus Magnificus LVDWIGIVS iis assentitur [9]), qui dolorem aliquem in medulla ossium interdum extitisse perhibent. Tandem huc quoque pertinet HIPPOCRATIS obseruatio, inquientis: „Ἐπὶ ὀστέῳ διακοπῇ παραφροσύνη, ἢν κενεὸν λάβῃ, id est: Ex ossis dissectione delirium, si ad „vacuum vsque processerit [10]).“ Non autem oleosam partem medullae, sed solidas laminas sensu pollere, prorsus credibile est.

§. XII.

Periosteo interno et medullae laminis facultatem sentiendi esse vidimus. Quid autem de *ossium* ipsorum substantia videtur? Ossa sana vri, radi, perterebrari, serra praecidi absque doloris sensu posse, omnibus cognitum est atque perspectum. Negamus tamen, ex eo consequens esse, vt ossa omnis sensus expertia sint, neque dolore affici vnquam possint. Nam et nerui et arteriae per substantiam ossis ad internum periosteum migrant, et ipsa ossa suas habent arterias conspicuas; ergo sentire et dolere possunt. Quod ad caussas quasdam non doleant, id minime insolens est, cum ipsa cutis,

1) Vid. MONRO *Osteolog.* p. 28. BERTIN *Osteolog.* p. 216.

2) *Hist. de l'Acad. des Sc. de Paris* a. 1700. p. 288.

3) l. c.

4) l. c. p. 218.

5) Abhandlung der chirurgischen Operationen Th. I. p. 55. 56.

6) *Memoires sur les parties sensibles* etc. par Mr. DE HALLER T. III. p. 266.

7) ad *Palfynii Osteolog.* P. I. C. 5. in amputatione artuum tum, cum serra medullam attingere occoeperit, homines de acerrimo dolore conqueri docet.

8) *Physiolog.* T. IV.

9) in *differt. de laesa ossium nutritione* p. 29.

10) *Aphor.* XXIV. *Sect.* VII.

cutis, dum recte valet et integra est, ad caussas sat asperas indolens sit; quod et, nisi ita esset, parum conduceret. Sed relinquamus haec, colligamusque obseruationes, quae docent reipsa ossibus inesse sentiendi facultatem qualemcunque. Ac primo quidem illud ponimus lippis et tonsoribus notum, quo constat, euphorbii aliorumque calidorum pharmacorum actionem per corruptam partem ossium carie affectorum penetrare ad sanum vsque corpus, ibidemque pungere et irritare ossis arterias minimas, adeo vt succus nutricius alliciatur, quo eae elongentur, ac propullulantes corruptam ossis partem depellant. Quod sane, nisi ossibus aliquis, quanquam obscurior subest sensus, fieri nequit. Deinde et illud ignotum non est, acute sentire carnes rubicundas, granulis non absimiles illas, quae ex ossibus periosteo priuatis nudatisque efflorescunt, ac propullulant, posteaquam superiores ossis laminae pluribus iisque exiguis foraminulis perterebratae sunt. Id quoniam Illustris Hallervs inficias ire non potest, effugium quaerit, ac se varie mouens respondet [1]), eas carnes ipsa ossa esse, minime recte affirmari, sed videri ex tumido celluloso textu efflorescere, qui ossibus incumbat, et cujus pars sit periosteum; in eo autem textu quin nerui insint, nihil repugnare. Sed hac responsione Vir Illustris nihil proficit. Eaedem enim carnes ex ipsa ossis substantia progerminant tum in truncis artuum serra praecisorum, tum ossibus caluariae modiolo excisis, vbi tumidi illius textus suspicio nulla esse potest. Carnes eas granulis similes alterno motu eodemque caeteris corporis arteriis synchrono micare, oculus microscopio armatus cernit [2]). His jungi possunt aliae obseruationes. Nicolavs Massa [3]) femoris os carie peresum vidit, quod ne minimum quidem tactum ferret, quin summus oriretur dolor. Si ossa fissuras vel minimas a vi externa contraxerunt, vehemens dolor, febres, aliaque grauissima symptomata consequuntur [4]). Ex illis autem praemissis intelligi potest ratio dolorum, quos profunde in ipsa ossium substantia sentiunt homines, arthritide, scorbuto [5]), morbo syphillitico affecti, itemque febre quartana vehementiori rigentes, horrentes trementesque. Quibus Magnificus Lvdwigivs addit, in summe delassatis percipi sensum ingratum, in artuum penetralibus, qui ipse ossium substantiam afficere videatur [6]). Et Schelhammervs ossibus sensum vindicat, sed obscurum [7]). Non raro etiam in meditullio caluariae, diploën vocant, a collecto ibi

1) *Physiolog.* T. IV. p. 272.

2) Vid. van Swieten *Comment. in Aph. Boerhaauii* T. I. p. 253. Monro l. c. p. 20.

3) *Introduct. Anatom.* C. XXX.

4) Vid. Chirurgorum libri, praecipue Jo. Vlrici Bilgveri, Viri Excellentissimi et Experientissimi, Liber inscriptus ille: Anweisung zur ausübenden Wundarztney in Feldlazarethen. § 479-533.

5) Vid. Lvdov. Rovppen *de morbis nauigantium liber vnus etc.* p. 138. vbi Auctor ille, qui multorum scorbuticorum corpora curauit, scribit: „Hoc in statu (Scil. secundo) morbi saepe animaduertuntur in vna vel altera corporis parte acerbissimi dolores, praesertim, circa ossa, qui nulli cedunt remedio, nec locum mutant.“ „In ossibus „ipsis eorum dolorum sedem esse docent os„sium morbi consequentes exostoses, caries, „epiphysium solutiones ab ossis corpore, et „similes. Vid. etiam Celeb. Stoerkii *Ann. „Medic. secundus*, vbi leges: Quandoque „dolor rheumaticus internam ossium substan„tiam occupauit, et tunc aegri externum „adtactum, quamuis satis rudem, sine ma„gna molestia tulerunt.“

6) *citat. differt.* p. 9.

7) *In Analect.* p. 473.

ibi et mora acriori reddito humore acerbissimi dolores concitantur, quod jam RIOLANVS memoriae prodidit [8]). Illis similes sunt dolores hi, qui miserrime dilacerant homines, dum ossa emolliuntur absumunturque [9]). Omnis autem dolor ossa diuexans nasci videtur, si, quae ossium laminas inuestiunt, membranulae, tenerrimae illae, perque eas diuisae arteriolae minimae et neruosa filamenta aut inflammatione corripiuntur aut nimis tenduntur, aut acribus humoribus punguntur, roduntur concutiunturque.

§. XIII.

Ossibus affines sunt *dentes*. Quos sentire adeo certum est, vt eorum sensum ab Illustri HALLERO in dubitationem adduci, mirum sit. Nam quocunque loco tangas dentem, in eo ipso loco senties contactum. Praeterea dentes, a manducatione austerorum acidorumque, item a solis acidis vaporibus ex ventriculo explosis, ingrato illo sensu, qui *haemodia* nominatur, affici quisque imperitissimus compertum habet. Eum autem in extima dentium superficie sedem habere, quilibet oportet in suis ipsius dentibus animaduertat. Ego sane saepius facto periculo hac de re dubitare non possum. Ne vero absque testimonio istud dictum sit, testes adhibebo idoneos. Legimus autem apud MOEBIVM [1]): „Sentiunt dentes non solum ob neruum insertum, membranam„que exterius et in cauitate expansam, vti multi judicant, sed etiam in propria substan„tia, vt affirmat GALENVS L. XVI. *de vsu partium* et L. V. *de compositione medicam:* „secundum loca.“ Idem fatetur THOM. BARTHOLINVS, quando, „dentibus, inquit [2]), „sensum aliquem tribuere possum, cum sentiant aerem vel aquam frigidissimam, etiam „extremis partibus, in haemodia praesertim, antequam ad membranulas neruosque, „quorum beneficio sentire creduntur, pertingat.“ Et ARETAEVS quoque [3]) tum ossibus cum maxime vero dentibus sensum aliquem esse scribit, et caussam, quam ob rem ad alias laesiones doleant, ad alias non doleant, probabilem edisserit, veram enim solis Diis esse cognitam; probabilem autem illam ab intemperatura caliditatis insitae repetit, et rursus alio loco [4]) monet, aegrotantes de tenui dolore et in ossibus defixo conqueri, et morbum articularem populari vniuersam ossium compagem. Cum his prorsus consentit recentior scriptor, celebris ac peritus apud Parisios Medicus dentarius, cui nomen FAUCHARD [5]). Atque hos quidem testes e pluribus adduxisse sufficiat. Nobis quidem videtur sensus ille ingratus oriri, si vegetabilium rerum succus acerbus, acidus, austerus et adstringens per spicula sua terream dentium partem aggreditur, rodit et concutit, vt osseam substantiam dissoluat et destruat, quod ossibus aceto maceratis, et dentibus per acida mineralia a sordibus subinde repurgatis dealbatisque accidere omnes

8) *Enchirid. Anatom.* VI. C. 7.

9) Vid. l. B. MORGAGNVS *de sedibus et caussis morborum Epist.* L. VIII. no. 4. item SCHENKII *Obs.* de capite, Obs. LX. vbi docetur, ossa ita dolentia sub integris suis membranis tumentia et ad medullam vsque suppurata inueniri.

1) *In fundamentis Physiologicis* p. 112.

2) *Anat. Reform.* p. 692.

3) *Morborum diuturnorum* L. II. C. 12. p. 65.

4) p. 66.

5) *Chirurgien dentiste* T. I. Ch. 6.

nes norunt. Iste autem tremor, extimam dentis partem concutiens, tunc communicatur cum arteriolis minimis illis, quas in ipsa durissima substantia dentium post artificiosissimas injectiones in conspectum sese dare asseruit RVYSCHIVS [6]). Dissolutionis illius initium percipere lingua lambens potest; stupentes enim dentes in extima superficie factos esse asperiores et sapiens et insipiens particula illa sentit. Ipsa quoque in vulgus nota medela haemodiae nos eodem ducit. Stupentibus enim dentibus medemur manducando aut multo butyro illita, aut caseum non recentem; quorum illud pinguedine sua dentibus adhaerentes particulas obuoluit, hic vero partim absorbet, partim mucagine sua etiam obuoluit spicula ea hebetiaque reddit. De ingrato illo sensu per dentes, incisores praecipue et caninos propagato, qui oriri solet, si manus opus textile vel coactile leuiter appressa fricat, aut si instrumenta metallica vel similes res ad se mutuo atteruntur, et certum quendam fere omnibus hominibus ingratissimum sonum edunt, hoc loco dicere non placet, quanquam ea res est dignissima consideratione, tanquam e qua recte ratiocinando colligi consectaria possunt, per quae doctrinae aliae difficiles illae quidem, sed nihilo tamen minus verae faciliorem explicationem accipiant. Ob id autem ipsum, neque hoc postremo loco tactum, neque illa supra de dentium sensu dicta, aut alia hujuscemodi a Viro prudente nauci fiunt, etiamsi ad medicinam faciendam parum pertinet, siue res hoc siue illo modo fiat, dum modo, quod malum subsit, et qua ratione ei medendum sit, scientia comprehensum habeamus ac probe intellectum.

§. XIV.

Relictis ossibus et dentibus transeamus ad *periostea externa* et *pericranium*, tanquam partes, quas sensilissimis olim connumerarunt omnes fere, qui artis exercitio inclyti fuerunt, medici. Quae quidem opinio, adeo constans et communis, nisi parte quadam sigillum veri prae se ferret, tanti consensus ratio intelligi non posset. Videntur autem medici, quicunque acrioris illius sensus meminerunt, non tam ad sanum quam aegrotum corpus animum attendisse. Neque vero improbabilem omnino eorum sententiam esse ex iis, quae de interno periosteo et medulla ipsisque ossibus diximus, intelligi potest. Etenim per externum periosteum iter faciunt nerui et arteriae, ad os ipsum ejusque medullam pertinentes, in eoque summo repunt nerui, qui ad musculos vicinos tendunt. Ipsum quoque plenum est sanguiferis vasis, quae neruorum potestati subjecta esse, dubitari nequit. De neruis, quae periosteo externo proprii sint, dubitationem mouet Ill. HALLERVS, quod oculo vsurpari non possint. Sed jam MARCVS TVLLIVS sapienter praecepit: *Animo contemplare, quod oculo non potes.* Itaque si ea, quae §. VIII. diximus, ad animum reuocamus, de neruis periosteo intextis dubitare non possumus. Nam si, destructis neruis artus cujusque in membro isto vitalis humorum motus sistitur, et ex eo putredo oritur; arterias et venas indeque eductos minores canaliculos absque neruorum actione atque adeo sine neruis ipsis ad edendas actiones idoneos non esse, ergo nerueis filis carere non posse, manifestum est. Sed non modo hujus modi contemplationes neruos periosteo externo esse docent, sed clari quoque

6) *Thesaur.* X. Num. XXVIII.

quoque doctique viri inesse demonstrarunt [1]). Quod non omnibus datum sit, ea reperire et ob oculos ponere, nemo prudens objecerit. At periostea posse nerueis filis donata esse, et nihilominus tamen ad laesiones et vulnera non dolere, fortasse dixerit aliquis exemplo vnguium et pilorum adductus. Sed hae partes periosteo similes non sunt; id quod quoniam omnes vident, secure sumimus. Alius nouitatis amans, quia ex amicis HALLERI est, Illustrisque hujus viri experimenta suspicit, transuersus rapitur. Verum experimenta omnia illa nihil aliud docent, nisi hoc vnum, neruis ipsis et cute minus sensitia esse periostea; sensu omni neruisque carere non docent, nec possunt docere. Medicorum vero fidelis diligentia et in medendo occupata industria periosteis facultatem sentiendi esse ostendit, et omnem hanc dirimens controuersiam, suspici debet. Etenim periosteum propter magnam arteriarum venarumque minimarum copiam saepius inflammari, et tunc eo loci dolorem vehementissimum aegrotanti molestum esse, et febrem conuulsionesque et alia grauiora symptomata sequi, itaque illud sensu gaudere neruisque adeo non carere, ad liquidum perducit. De quo vel ipsa experientia consulatur vel legantur libri chirurgorum, et ex his ille supra laudati BILGVERI [2]). Quo tamen non negatur, fieri quoque saepius, vt vulnera et laesiones periostei et pericranii sine grauioribus symptomatibus sanentur. Sed eadem exitus varietas in omnium propemodum partium vulneribus cernitur, neque tamen earum partium sensum in controuersiam adducit. Sunt vero etiam alia, per quae sensum earum tuearis. Ac pericranium praecipue sensu gaudere dolor capitis tam crebro hominibus infestus, docet. Tum enim non cutis dolet, cum dolor altius insidet; neque, quod Ill. HALLERO visum est, soli neruorum fasciculi afficiuntur, cum dolor non tantummodo in iis locis, per quae fasciculi illi repunt, sed omnino latius et in omnibus ac singulis dolentis regionis punctis saeuit, atque continuus est. Aliquando tamen dolor partes quoque occupat prorsus definitas, vti de doloribus suturarum caluariae testatur ARETAEVS [3]) his verbis: Τῆς κεφαλῆς, ἤλγεε τάς ῥαφὰς, ὄυκ εἰδὼς μὲν ὅ, τι πονέει, ἐδείκνυε τῶν ῥαφῶν τὰ ἴδεα λοξὴν, ἐυθείην, ἐπικάρσιον, ὀπίσω τὲ καὶ πρόσω. Atque nonnunquam vsque adeo saeuierunt capitis dolores, vt suturae cranii hiscere visae sint, quod de eruditissimo quondam PASCALIO memoriae proditum est [4]). Non ignoro, Illustrem HALLERVM aliquo loco dixisse, ex his doloribus nihil certi colligi

posse,

1) Vid. PETITVS ad *Palfynii Osteolog.* T. I. C. 5.

2) l. c. §. 438. Quem quidem locum, quia luculentior est, appono. Die Beinhaut und die Diploe sind vielfältige Mal mehr Ursache an den Zufällen bey den Wunden, und Ursachen zu Knochenkrankheiten ohne Wunden, als man bisher gedacht hat. — — Die Beinhaut wird besonders, ehe sie zerplatzt, in die Höhe getrieben, macht entsetzlichen Schmerz, Convulsionen und Fieber. Item §. 535. vbi de symptomatibus pericranii a caluaria solutionem comitantibus sermo est; qui quidem locus lectu dignissimus est.

3) l. c. p. 66.

4) Vid. PETITVS ad *Palfynii Anatom. chir.* p. 75. vbi praeter id alia hujus rei exempla apud *Hippocratem et Galenum* legi asseuerat mihi non nota, nisi illum in HIPPOCRATE *de Medici officina* Sect. III. §. 37. p. 111. Edit. Charterii. Vid. quoque ARNOLD. BOOT *in obs. Medicis de Affectibus* omissis Cap. IV. ANT. DE POZZIS in E. N. C. Dec. I. A. 10. obs. 32. I. CONR. PEYER in PAEON. et PYTHOGOR. Exercit. Anat. et Med. Exercit. XXXVIII.

posse, cum aegrotantes, quid doleat, ipsi sentire non possint. Sed quoniam Vir Illustris, „se in podagricis tormentis, et cum musculi a scalarum in funiculos subterra„neos ducentium multo vsu, aut a longo praecipitium montium descensu acriter dole„rent, accurate percepisse, nullum omnino tendinum sensum esse“ asseuerat [5]), idem aliis quoque hominibus postea relicturum esse speramus. Experimenta de animantibus brutis aut hominibus quoque capta, experimentis HALLERI ejusque amicorum contraria, ac partim ab eo ipso excitata [6]) attingere nolo, iis quippe parum tribuens verensque, ne Vir Illustris sensum ejus doloris a neruis repetat pericranio non propriis neque inquilinis. Id vnum praeterire non possum, quod in loco, quem modo excitaui, Ill. Vir posuit. „In duobus hominibus, inquiens, Clar. Chirurgus, JOSEPHVS VESPA, os „serra resecuit, neque periostium derasit, nullo cum aegri sensu, neque aliter jubet „operari nuperus Clar. Chirurgus GOOCH. In alio homine periosteum scarificauit, „nullo pariter cum aegri dolore Cl. ROBBIATTI. In alio simile exemplum extat Cl. „PERENOTTI [7]).“ Sed vero quam speciosa ista videantur, nil quicquam tamen iis proficitur. In tam amplo enim loco pericranii nullum omnino, ne minimum quidem neruulum, ac ne aduenam quidem subfuisse, qui credat, vix quisquam erit. Ex quo consequens est, neruos ipsos interdum ad manifestiores dolorum caussas videri non dolere. Alii autem Chirurgi pericranium a caluaria non sine dolore separari fatentur [8]). Et nos ipsi militem gregarium virum caeteroquin fortem atque intrepidum, dum ea fieret separatio, vehementer conquestum vidimus.

§. XV.

Sed ne in hoc vno loco nimis diu haereamus, a pericranio per caluariam ad *duram menyngem* penetramus, admirabundi medicorum summam inconstantiam. Quam enim patrum nostrorum et nostra ipsorum quoque memoria eruditissimi medicorum, Principes dixeris, omnium aliarum in corpore membranarum matrem salutarunt, omnisque propemodum sensus originem constituerunt, atque motu suo dilatatorio et constrictorio separationi liquidi neruosi ac progressui sanguinis per encephalon admirabiliter subuenire, confidentius scripserunt; eam nunc membranam post Illustris HALLERI experimenta non modo omnibus his munerum honorumque splendidis titulis, sed proprio etiam suoque sensu orbatam spoliatamque cernimus. Quarum quidem opinionum nulli animum addicit vir sapientiae studiosus et ab sectandi seque jactandi studio alienus. Quam ob rem nos, missis aliis omnibus, id agamus, vt durae menyngi sensum suum vindicemus, qualemcunque demum. Ac primo quidem animaduertimus, illis, quibus Illustr. HALLERVS ejusque Amici credunt, experimentis opponi alia posse, a viris non minoris eruditionis ac peritiae capta et instituta [1]). Ad haec quidem respondet Ill. HALLERVS, doloris signa inde extitisse, quoniam simul tactum pressumque fuerit ipsum

5) Vid. *Elem. Physiolog.* T. IV. p. 284.

6) L. c. p. 286. sqq.

7) Vid. HALLERI *Physiol.* T. IV. p. 287.

8) Vid. BILGVERI l. c. §. 560.

1) Vid. KAAW BOERHAAVE in *Impetum faciente* §. 325. 326. 329. vbi Clar. Vir multoties repetita experimenta idem semper docuisse h. e. durae matris sensum probasse, fatetur.

ipſum cerebrum. Sed his HALLERI verbis nemo quicquam tribuerit, quicunque alios viros in iisdemque HALLERI ipſius Amicos cerebri cortici ſenſum hujus generis per experimenta derogaſſe non ignorarit [2]). In cerebri vulneribus idem cernere licet, h. e. niſi ipſa medulla laceratur aut quocunque modo concutitur commoueturque, doloris ſigna in animali vix animaduertuntur percipiunturque. Quin etiam aliquem cortici ei relinquere ſenſum poſſumus (vti reuera relinquimus) et negare tamen, a ſolo preſſu leuiori, quali in ejusmodi experiundi labore vtuntur, dum integra ſit dura menynx, in cortice illo vtcunque ſenſili dolorem exoriri. Etenim cutis, quae haud dubie cerebri cortice longe ſenſibilior eſt, dum ſana et integra eſt ſuaque epidermide contecta, preſſum tactumque multo rudiorem et liquores ſatis acres absque vllo doloris ſenſu perferre ſolet. Quae cum ita ſint, ſingularia illa effecta, quae a dura matre titillata extiterunt, in nota ſubjecta [3]) adjicimus, non quod eorum, quae ſupra §. III. diximus, immemores

2) Vid. Idem KAAW l. c. item Cl. ZIMMERMANNVS in *diſſert. de irritabilitate* p. 29. aliique viri eruditi.

3) Vid. *Memoires ſur les parties ſenſibles* etc. par Mr. DE HALLER T. II. p. 116. vbi Cl. HEVERMANN HALLERI Amicus fatetur: „Il y a pourtant eu quelques chiens, qui ont crié, quand j'ai detaché la dure mere du crane" et p. 223. Cl. BROKLESBY ait: „Il y a pourtant eu des ſujets, dans lesquels il m'eſt reſté quelque doute, ſur l'inſenſibilité parfaite de la dure mere" et p. 239. 240. legimus: „On piqua la menynge avec l'aiguille, l'animal (canis) ſe plaignit; on y appliqua le cauſtique et il hurla" et T. III. p. 47. Clar. CALDANI ait: „Il eſt vrai, que l'animal paroiſſoit ſouffrir; lorsque je prenois la dure mere avec des pinces, et que je la tiraillois pour la ſeparer du crane;" idem ibidem: „M. MOLINELLI introduiſit alors une ſonde d'argent entre la dure et la pie mere, en heurtant la ſuperficie interieure de la dure mere, l'animal leva tout d'un coup la tete" et p. 48. „On recommença à chatouiller la dure mere, et le chevreau leva la tete comme la premiere fois" et p. 50. „Lorsque l'on a introduit une aiguille un peu groſſe entre le crane et la dure mere, ou une ſpatule, les animaux ſe ſont ſouvent agités. Cependant la compreſſion du cerveau ne produiſoit pas, cet effet." Porro ibidem: „Je n'ai remarqué que trois fois une ſorte de ſenſibilité de la dure mere, qui eſt decouverte, aprés qu'on a trepané le crane. Cela arriva à un grand chien et à deux petits. Ils jettoient des cris à la ſeule application d'une ſonde, lors même qu'on les chatouilloit, ou qu'on comprimoit un peu cette partie, quoique fort legerement." Item p. 52. „On entortilla la pointe d'une alene avec du coton, et l'ayant trempé dans de l'eau forte, il l'aprocha de la dure mere. A peine l'eut-il touchée, l'animal s'agita." Ibidem: „Lorsque l'on chatouilloit la partie concave de la dure mere, il y avoit quelques ſignes de douleur." Et p. 53. „Toutes les fois, que les animaux s'agitoient lors qu'on les chatouilla, ils furent d'une tranquillité admirable, lorsqu'on appliquoit les cauſtiques dans l'endroit même, où ils avoient été ſenſibles au chatouillement." Et p. 60. „Je repetai ſur un chat l'experience de la dure mere. Mr. FONTANA les fit auſſi ſur un autre et ſur un agneau et ſur un chien. L'évenement fut conſtamment le même." Admiratione quidem digna res ea eſt, non tamen vsque adeo ſingularis, vt prorſus nihil ſimile in animali reperiatur. Nam titillationis ſenſum pedis planta aegerrime fert, cauſtico non vehementiſſimo ſat tamen valente illita nihil dolet, nihil ſentit. Ill. HALLERI Amici ſenſum eum non durae menyngi, ſed cerebro tribuunt, ſed aduerſarii reſpondebunt, qui fieri poſſit, vt cortex cerebri, ſi a tam exigua cauſſa commouetur, per eandem menyngem (ex hypotheſi) inſenſilem non ſentiat ignem, cum tamen cutis ſenſilis per inſenſilem cuticulam vim

mores simus, sed vt eorum, quae §. VI. proposita sunt, illustrationem suppeditemus. Deinde, aliud de dura menynge caluariae adhuc adhaerente, aliud de eadem nexu eo soluta et nudata, judicium ferendum esse, quisque videt. Idemque etiam per experimenta compertum est 4). Apud Illustrem MORGAGNVM 5) quoque legimus, a coalitu menyngum exstitisse capitis dolorem, nisi fortasse, quod mihi videtur, menyngum ille coalitus inflammationem menyngum doloremque cum ea conjunctum, tanquam effectus caussam, fuerit consequutus. His omnibus addere licet cunctorum ante nostra tempora illustrium chirurgorum praecepta de non laceranda dura menynge in illa capitis curatione, quando caluariae ossa terebris exciduntur 6); eorundemque obseruationem de menyngis dolore, quam CELSVS quoque 7) proposuit hisce verbis: „Raro „sed aliquando tamen euenit, vt os quidem totum integrum maneat, intus vero ex ictu „vena aliqua in cerebri membrana rupta aliquid sanguinis mittat, isque ibi concretus „magnos dolores moueat.“ In aliis casibus remittunt symptomata et dolores, sublata festuca, quae menyngem antea pungebat. Ergo illa symptomata non a laeso cerebro sed vellicata menynge oriuntur. Multa eademque singularia ad hunc locum pertinentia leguntur apud BILGVERVM 8), quae dubitationem, quin pericranium et dura mater sensu gaudeant, nullum sane relinquunt. Non ignoro quidem, Illustrem HALLERVM dicere, neruum, qui conspicuus sit, durae menyngi insertum reperiri nullum. Verum vtcunque id sit, sensus istius membranae, qualiscunque demum ille, similem rationem habere potest ei, quae in sensu periostei interni aliorum ossium cernitur. Possem alia addere, nisi metuendum esset, ne lectoris ingenio nimis parum aut nihil omnino tribuere viderer, si de sensu membranae, innumerabilibus arteriis venisque conspicuae, et inflammationi, doloribusque a caussa interna externaue concitatis saepe saepius obnoxiae, prolixior essem.

§. XVI.

minimam ignis quam ocyssime percipiat. Alii, quos ad HALLERI Amicos non referre licet, alia, etsi illis non contraria repererunt. Vid. GEORG. GVILL. BENEFELD *diss. de Habitu virium motricium corporis humani ad actionem medicamentorum* p. 5. Cum Cl. Vir peniculis illis horridis, ex filis ferreis contextis, quibus vtuntur auri fabri, menyngem duram confricaret, animal protinus exquisitum dolorem concepit et enormiter conuulsum est. Similiter cum argenti solutionem spiritu nitri fumante factam et aqua dilutam, membranae illi adhiberet, ac praecipue de humida calce, ad solutionis fundum subsidente, nonnihil ipsi admoueret, aeque molestum et grauem dolorem inde percepit animal, pariterque conuulsum est, inprimis cum sedi, quae supra torcular Herophili est, eam applicaret.

4) Vid. HALLERI *Physiolog.* T. IV. p. 307. vbi ipse candidus vir FABRI collectionem excitat, quam videre non contigit. Nec non Ill. MORGAGNI in L. *de sedibus et caussis morbor. Ep.* IX. n. 21. vbi PETRI PAVLI MOLINELLI experimentum refertur. Is autem cum retectam in cane viuo duram matrem iterum et saepius pungeret, obseruauit, canem conuulsionibus torqueri variis, *praesertim* cum ea pars durae Matris pungeretur, quae maxime ad os adhaerebat. Eodem loco epilepsiam ab erosa dura matre, item ab irritata ortam concitatamque esse legimus.

5) Ibid. L. I. p. 8. legatur et p. 8. 9. 49. 50.

6) Vid. CELSVS L. VIII. c. 3. neque periclitemur, inquiens, ne terebrae mucrone cerebri membrana laedatur. Ex quo graves inflammationes cum periculo mortis oriuntur.

7) *ibidem.*

8) l. c. §. 511—563. ac praecipue quidem §. 530—537.

§. XVI.

Hunc locum igitur relinquere potero, posteaquam de reliquarum omnium membranarum sensu pauca quaedam pro hac breuitate adjecero. Dico autem, a nulla membrana, per quam arteriae et venae pertextae sunt, quaeque inflammatione corripitur, facultatem sentiendi prorsus abesse posse. Et pulsus durities, quae ipsa pro nota inflammatarum membranarum a medicis habetur, neruos per eas dispersos esse, tam liquido docet, vt de re euidenti pluribus dicere inutile sit, maxime cum contrariae sententiae rationes fere leues sint. Nam vt hoc vtar, si tacta cornea membrana oculi dolere videtur, aut laesa in experimentis sensum ingratum excitare visa est, ipsa autem cum propagine conjunctiuae membranae ante corneam productae, cui et numerosi neruuli sunt et sensus cutis propagine dignus, arctissime cohaeret [1]; nos sane non intelligimus, qui possis ex eo, quod cornea membrana in curationibus suffusionis plerumque absque doloris sensu incidi aut in animali viuo absque signo doloris compungi potest, ejus insensilitatem colligere.

§. XVII.

Venio igitur ad *Ligamenta*, quibus sensum, quamuis nullum esse GALENVS pridem plurimique post eum Medici putauerunt, aliquem tamen esse ex his intelligemus. Ac primo quidem ligamenta plena sunt refertaque arteriis; quae et in sano integroque statu ad functiones peragendas vim ac potentiam neruorum poscunt, et in statu inflammationis dolorem mouent. Quod sane luculentius patet, si varias occasiones, in quibus dolor laesis ligamentis superuenit, omnino proponimus. Quis enim est, qui ignoret, articulos valde dolere, si artuum ossa, vel minora quoque illa in manibus pedibusque officula, sedibus suis vel prorsus vel quodam tantum modo mota sunt atque distorta. Similiter etiam ligamentorum vulnera quanquam non semper, saepenumero tamen, grauissima symptomata ipsam interdum mortem inferunt, quamuis leuiora videantur [1]. Deinde et illud, quod in eo panaritii genere, cujus sedes in vagina tendinum musculorum digitos flectentium est, nonnunquam fit, praetereundum non est. Accidit videlicet interdum, vt in curatione pessimi illius generis, quicquid agas, nihil proficias, neque symptomatum remissionem praestes, nisi ligamentum, quod in manus capite est et annulare vocari solet, et in eo saepe morbo inflammatione correptum est, praecidatur [2]. Sunt vero etiam aliae occasiones, in quibus ligamenta, quoniam magis quam antea tensa sunt et ab acri humore, quocunque demum, punguntur vellicanturque,

1) HALLER. *Physiol.* T. IV. p. 291.

1) Vid. BILGVERVS l. c. §. 131. 439. 441. vbi leges: So gering die Wunden in Gelenken auch vielmals scheinen, so werden sie doch oft in sehr geschwinder Zeit gefährlich, ja gar tödtlich. Quod quidem fidem facit ei, quod Cl. WHYTT de dolore maximo refert inque mortem demum finito, cum capsula ad humorem emittendum perforata esset.

2) Vid. GARENGEOT *Traité des operations de Chirurgie* T. III. p. 313. Si le ligament annulaire est lui-même abbreuvé du pus, qui cause la maladie, qu'il soit inflammé, et qu'il donne occasion à des douleurs violentes, il faut sans aucune difficulté le couper, et l'on verra bientôt le malade soulagé; c'est ce que feu Mr. Arnaud a fait plusieurs fois.

canturque, dolores inferant, acutos admodum. Tanquam si id genus catarrhi, quod rheumatismum medici vocant, articulis ligamentisque incumbit, et ad minimos articuli motus intolerabilem dolorem infert. Aut si dolores podagrici, chiragrici, ischiadici hominem pessime habent; quorum sedem in ipsis ligamentis esse docet materia calci vel topho similis, qua obsidentur articuli arthritide confirmata vetustaque detenti affectique. Frequens etiam dolorum caussa in articulis est humor acris eorum, qui eo, quem scorbutum barbare vocant, morbo detinentur [3]). In aliis nonnunquam fit, vt a diuturnis doloribus ischiadicis caput femoris sede sua moueatur, et homo claudus reddatur. Neque rarum est articulos impleri humore abundante et acri, a quo magnus et diuturnus dolor mouetur, quem, non nisi emisso humore acri illo et rodente, abegerit aliquis sustuleritque. Ex multis huc pertinentibus exemplis praecipue illud memorabile mihi videtur, quod Cl. Hevermannvs, et ex ejus libro Cl. Kvrella adducit, vt ligamentorum insensilitatem lectoribus comprobatam reddat [4]). Quod ego quidem vehementer miror. Nam si dolor, qui foeminam per annos continuus exercuerat, statim euanuit, cum humor, perforato ligamento, articulis emissus esset; nonne dolorem eum ab ipso illo humore ligamentum pungente commotum fuisse, adeoque ligamenta ipsa sensu non carere manifestum est? Tandem et dolor ille quoque, a motu seu flexionis seu extensionis artuum quacunque de caussa rigidorum et contractorum existens, a Cl. Weisio, qui eundem in se ipse percepit, argumentum et indicium facultatis sentiendi ligamentis concessae dicitur [5]).

§. XVIII.

De ligamentis haec satis dicta sunt; transeamus igitur nunc ad *musculos*. De quorum quidem sensu cum nemini facile existere dubitatio possit, nihil, nisi quod de cute diximus, adjiciendum est, omne videlicet musculi punctum, vel minimum, sensu esse praeditum, quamuis praeter neruos plurima tela cellulosa, plurimaeque arteriae et venae ad constituendum, quem dicunt, ventrem musculi accedant.

§. XIX.

3) De doloribus his vid. vtilis liber, quem de morbis nauigantium, Lvdov. Rovppe, vir peritissimus, conscripsit atque composuit, in cujus p. 172. leges. „Ob defectum motus synouia, quae naturaliter in articulationibus secernitur, vti et ros, qui in et „circa articulationes, inprimis genuum, majori in quantitate, quam vt dissipari, re„sorberique possint, accumulantur, mora et „stagnatione ibi acrimoniam contrahunt, „ligamenta, ossium cartilagines corrodunt, „ossibus cariem inferunt. Clarent inde ra„tiones fixorum, et pertinacissimorum do„lorum, collectionis humorum, in et extra „articulorum capsas; de stridore, ossium „crepitatione quid afferre superuacaneum „erit; nam res ex se ipsa patet."

4) Vid. Cl. Hevermanni liber inscriptus Abhandlung von chirurgischen Operationen Th. I. p. 44. Aut Cl. Kvrella in Scharschmidii libro posthumo de vulneribus in p. 49. subjecta obseruatione, cujus summa est, foeminam quandam, quam dolor articuli per annos male habuerat, *fere* nullum dolorem a perpunctione ligamenti percepisse, et emisso humore dolorem ipsum euanuisse.

5) Vid. Io. Nic. Weisii *Tetras dissertationum Medicarum, quibus theorema medicum: Alia sensatio alii motus, adstruitur* etc. p. 12. praefat.

§. XIX.

Ex his autem muſculi fibris §. praec. ſenſilibus admodum, continuatis ac productis confici et conflari tendinis partem niſi omnem, certe maximam, cernimus. Qui quidem tendinum ortus antehac ab HEVCHERO [1]), viro et arte et facundia inſigni, paucisque aliis in dubium vocatus, haud ita pridem ab HALLERO magis quam antea ambiguus haberi coepit. Sed dubitandi rationes allatae ab hoc Illuſtri Viro tam parum valent, vt Vir Illuſtris, niſi opinionem eam ſuae de partium quarundam ſenſu hypotheſi fauere putaret, iis nihil omnino tribueret. Nunc autem cum opinionis ſuae patrocinium quoddam in eo reperiri ſperat, vere oſtendit, nihil tam longe a vero abhorrens, tam durum, tam inſolens nihil eſſe, quod dicendo molleſcere non poſſit [2]). Si tamen ab Illuſtri Viro propoſitas rationes aeſtimes, nihil iis effici videbis. HEVCHERI dubitatio repetitur a facili ruptura, cum quis ſeparare velit carneam fibram vsque ad extremum tendinem. Sed ego quidem, quo quis jure ex illa facili ruptura inſertionem fibrae carneae in tendineam colligere poſſit, non intelligo. Abrumpitur enim carnea fibra, quoniam verſus extremum tendinem fibrae arctiſſime connexae inter ſeſe ſunt atque coalitae. Atque ſi, quod nemo dubitat, verum eſt, fibram tendineam prouectiori aetate magis magisque augeri, carnea fibra paulatim in tendineam mutata; LEVWENHOEKII et MVYSII obſeruationibus per microſcopia factis nihil plane efficitur. HALLERI ipſius cogitata ad rem prorſus non faciunt. Quae enim, qualis et quanta collectio eſt: „Fibra carnea accipit neruos et irritabilis eſt, a fabrica celluloſa diuerſa videtur, fibra tendinea non „accipit neruos, neque irritabilis eſt, et ſunt praeterea experimenta aliqua, quae „videntur naturam tendinis celluloſam euincere; ergo tendineae fibrae non videntur „eſſe continuatae carneae?" Nullus modo idearum nexus, modo cogitationes ipſae non ſatis verae, ſed precariae. Reliqua [3]), quae a Viro Illuſtri poſita ſunt, ne digna quidem judico, quae repetam et opponam ſententiae de carneis fibris in tendineas productis continuatisque, vbique fere receptae illi, et in ſe probabili. Nam ſi, quod nemo negat, muſculi pars carnea in recens natis major, tendinea minor eſt; ſi in iisdem tendinis natura nondum dura, nondum ſplendida eſt, ac vix a pallidiore carne differt; ſi in junioribus tendines nondum adeo frequentes ſunt; ſi alias fibra muſcularis in tendineam abit, atque adeo tendinea pars muſculi cujusque prouectiori aetate magis magisque increſcit; ſi ipſa tendinea fibra aeque atque carnea contortam faciem contemplanti offert; ſi natura ſimplex eſt, ab ea autem ſimplicitate abhorret digaſtrici, vt hoc vtar, muſculi, qui ſatis commode ex continuis fibris componi poterat, compoſitio et conglutinatio ex triplici ordine fibrarum, vno muſcularium, altero tendinearum, tertio muſcularium: nullus profecto

1) Vir iſte in noſtris terris quondam Illuſtris de eo ortu dubitauit in *Selectioribus Anatom. Phyſiol. Practicis Sect. de Muſcul. Theſ.* VI. Item in diſſ. de *Ignorantia Anatomicorum Theſ.* XXV.

2) Vid. HALLERI *Phyſiol.* Tom. IV. p. 431.

3) l. c. p. 432.

fecto amplius erit locus dubitandi, quin tendinum fibrae sint aliud nihil nisi fibrae musculares productae continuataeque.

§. XX.

Quodsi autem tendineae fibrillae nihil aliud sunt quam fibrae musculares in longum porrectae, ac graciliores redditae, quae ipsae sensu exquisito pollent; erunt et illae tendineae quadam sentiendi facultate praeditae, qualicunque demum. Sed quia strictiores, tenaciores, cellulosis filis breuioribus arctius copulatae atque compactae sunt, neruosum, quod iis inest, magis, quam in carne musculi, comprimitur, adeoque id, quod fibrillis nerueis inest, medullosum eliditur, eo quidem magis, quo longius a ventre musculi tendo distat; ergo sensus quoque fibrarum tendinearum eo obtusior euadet, quo longius a ventre musculi partes earum distabunt, et quo magis adulta aetas est: cum aetate enim crassescunt tendines atque de sensus vigore, vt partes aliae quaelibet, paulatim remittunt. Ex quo consequens est, punctiones tendinis, quo mollior is, quo propius a ventre musculi illae absunt, eo grauiora symptomata non modo inferre posse, sed, ita jam sentiente VESLINGIO [1]) reipsa inferre. Praeterea vero tendinibus sunt suae quasi vaginae, aliis quidem robustae, firmae et tenaces ac propemodum cartilagineae naturae, aliis teneriores, molliores et facile cedentes, quibus neruosi quid inferi atque adeo intertexi nemo, ac ne HALLERVS quidem ipse, negare ausit. Itaque si vel tendinem ipsum facultate sentiendi prorsus carere, atque adeo ejus vulnera omni omnino periculo vacare sustineas, de vagina tamen ejus aliter sentiendum, atque illa symptomatum grauitas, quam propter a vulneribus tendinum timere Chirurgi solent, saltem vaginis neruosis illis attribuenda erit. Atque si tum tendinis tum vero maxime vaginae inflammationem, quam quidem illa symptomata grauiora aut comitantur aut consequuntur, non earum partium limitibus solummodo circumscribi et contineri, verum ad ipsius musculi ventrem ejusque circumdatam cellulosam pertinere, ergo neruos musculi ipsius affici atque adeo inflammatione corripi, indeque igitur symptomata illa existere posse cogites; nihil erit caussae, quam ob rem mala saepenumero symptomata a tendinum vulneribus inferri posse, imo re ipsa illata esse neges.

§. XXI.

His ex natura rei petitis addenda sunt, quae in ipsis morborum curationibus vsus ostendit. Ac primo quidem hominem, cui tendo vel punctim vel caesim quidem, at transuerse et ex parte tantum, vulneratus est, in magnum periculum adduci, plurimi ante nostra tempora experimentis crediderunt, cum post vulnera ea magnum dolorem, vehementem inflammationem, febrem acutam, gangraenam, delirium atque conuulsiones subsequi vidissent. Si tamen etiam vulnera tendinum et aponeurosium aliquando absque grauioribus symptomatibus et facile ad sanitatem perducta esse objicis, concedo, et diuersum euentum ex modo vulneris, ex loco tendinis laesi, ex tendinis vel mollioris vel osseam fere naturam nacti natura §. praec. ex hominis natura singulari, minus sensili,

1) Vid. VESLINGII Obs. et epist. p. 91.

sensili illa ejusque aetate intelligo, at propterea omne tendinis vulnus parui faciendum esse, nego ac pernego. Quanquam enim Illustris HALLERVS chirurgos quosdam, claros Viros, secum consentientes adducit [1]), non tamen desunt, quibus secus videatur [2]). Quorum agmen ducat GALENVS, qui, quamuis alibi aliter sentiat, sibi tamen parum constat, et tendinum vulnera, aeque ac neruorum, periculosa judicat nec consuenda esse [3]). Post GALENVM fere pauci fuerunt, qui tendinum laesiones non graues esse existimarent. Sed hos HALLERI aetate superiores nominatim excitare superuacaneum est. Ex recentioribus autem primo loco ponendus est, Illustris Incisor et Medicus LIEUTAUD, qui tum neruum cutaneum, tum vero etiam aponeurosin vel tendinem musculi bicipitis in brachio, dum vena pertunditur, laedi interdum, asseuerat. Priori casu dolor eo, quo neruus pungitur, temporis momento acutus percipitur, et ad apices digitorum vsque per totum cubitum propagatur. Casu altero dolor fere post aliquot horas existit, et grauiora symptomata infert; sub ipsa sectione venae chirurgus sentit resistentiam [4]). Sequatur Io. VLRICVS BILGVER, Vir Experientissimus, quem honoris caussa nomino. Hic, si quis alius, numerosissima omnis generis vulnera per occasionem belli nuper truculenter gesti tractauit, dignus igitur, quem hac de re audiamus. Ipsa adeo ejus verba in subjecta nota pono [5]). Aliud testimonium de sensu tendinum dixit VOGELIVS, Medicus et Chirurgus apud Lubecenses clarissimus, qui id, quod supra de caussis dolorem creantibus dixi §. V. liquido docet [6]). Neque contemnenda

 sunt,

1) l. c. T. IV. p. 279.

2) *ibidem* p. 280. vide non paucos secus sentientes.

3) L. III. *de comp. medic. secundum communia.*

4) Vid. LIEUTAUD *Precis de la Medecine pratique* p. 605. seq.; item DIONIS *Cours d'Operations de Chirurgie* p. 471.

5) Vid. Io. VLR. BILGUER Anweisung zur ausübenden Wundarzneykunst in Feldlazarethen. §. 276. Die nur halbe oder nur geringe Zertrennung eines starken Muskels, einer Flechse oder Aponeurosis und eines Nervens verursachen oft entsetzlichen Schmerz, Fieber, Convulsionen, Entzündungen u. d. g. denn alle diese nur einigermaaßen zertrennten Theile werden alsdenn widernatürlich gespannt und gezogen. Et §. 402. Dergleichen, d. e. eine heftige Entzündung, kann eine kleine Wunde in einem Tendine oder Aponeurosi verursachen. Et §. 299. Lassen aber die Zufälle nicht nach dieser Behandlung nach, so bleibt nichts übrig, als den leidenden Muskel, die leidende Aponeurosin oder Flechse gänzlich zu zerschneiden. Item §. 441. An Gegenden des Körpers, wo Flechsen, Bänder, Drüsen und Wassergefäße, auch ausser den Gelenken, befindlich sind, eräugnet sich oft, daß diese Wunden lange Zeit nach ihrer größesten Heilung, doch immer noch offen bleiben, und beständig näßen, zwar nur eine wäßrichte Feuchtigkeit, doch oft in Menge geben, immer mit schwammichtem Fleische angefüllet sind, und sehr schwer heilen oder wohl gar fistulös bleiben. Et tandem §. 443. illa omnia de aponeurosium et tendinum vulneribus periculo plenis denuo proponuntur.

6) Vid. Vogels Wahrnehmungen ꝛc. p. 365. Die verletzten und verdorreten Sehnen fiengen schon an, durch die Eiterung abzuschälen, daß sie fast ganz weiß vor Augen lagen. Ich reizte durch ein bedächtiges Kneipen diese Sehnen mit einer Pinzette, ohne daß sich mein Kranker darüber beschwerte; allein wenn ich etwas warm gemachten Terpentingeist darauf brachte, so verspürte er ein empfindliches Brennen, welches aber bald vorüber gieng. Haec verba postrema Callide omiserunt Scriptores Goettingensis Diarii eruditi, cum hoc VOGELII scriptum recenserent an. MDCCLIX. pl. XXVI.

sunt, quae SCHNEIDERVS, Chirurgus rerum suarum gnarus, proposuit 7). Neque, si a tendinum vulneribus nihil metuendum est, satis intelligo verba Illustris HALLERI, quae loco supra excitato leguntur: „Chirurgos multa expertos nolle parci tendinibus, „atque jubere amputari" tendines enim frustra resecare hominis temerarii est. A tendinum vulneribus ad istud genus mali in digitis, quod *panaritium* barbare vocant, veniamus et ad tertiam quidem ejus speciem, cujus sedes est in vagina tendinum musculorum digitos flectentium. Cum chirurgi a tam pauca materia tam horrenda symptomata excitata toties vidissent, an mirum erat, si tendinum laesionibus adeo timebant, iisdemque sensum exquisitum attribuebant? Illustris HALLERVS caussam symptomatum in neruos vicinos transfert a tumore compressos. Sed a sola modesta compressione tam parui et vix animaduertendi tumoris dolor oritur nullus. Praeterea a qua parte origo symptomatum repetenda sit, ipsa curatio satis perspicue docet. Saepe enim quicquid agas, nihil proficis, nisi tendinem in musculi ipsius vicinia, persecueris; quo facto omnis atrocitas symptomatum momento temporis remittere solet, non solum in hoc genere, sed vbicunque tendines ex parte tantum vulnerati grauia symptomata efficiunt. Atque haec quidem de panaritio satis in praesenti re dicta sint. Hoc vnum adjicio, si affecti tendines in hoc genere tantum mali, ipsam mortem, eamque truculentam, adferunt, annon in laesionibus tendinum et aponeurosium a manifesta caussa externa perpetratis fieri similia possunt? Equidem crediderim; ab similibus namque caussis similia effecta dari non ignoro. Atqui si aponeuroses et tendines vel paruo vulnere vel alia quacunque ratione ita laeduntur, vt aut fibrae varie trahantur, distendantur lacerenturque, aut effusi humores in putredinem abeuntes acrimonia sua easdem rodant, vellicent atque concutiant; caussae hae similes sunt illis, a quibus illud in digitorum extremis oriri malum solet. His jungi multa admodum possunt, quibus suum cuique momentum est ad vendicandam tendinum et aponeuroseon sensibilitatem. E quibus nonnulla quam potero breuissime exponam.

§. XXII.

In digitorum resectione, quia praecisi musculorum tendines suis, quibus comprehenduntur, vaginis constringuntur, eaque res magnam inflammationem mouet, vaginam secti tendinis forfice paululum findere chirurgi jubent. Eandemque ob caussam, videlicet

7) Chirurgische Geschichte mit theoretischen und praktischen Anmerkungen, entworfen von C. F. Schneidern S. 22. ich habe selbst einmal das Exempel an einem Soldaten gesehen, welcher in einer Rencontre über die rechte Hand eine Wunde in Gestalt eines halben Mondes bekommen, bey welcher der eine Tendo des Extensoris quatuor digit. und zwar der, welcher zu dem mittlern Finger gehet, entzwey gehauen war, es erfolgten hierauf heftige und gefährliche Zufälle, welche auch nicht eher nachließen, bis man die noch ganzen fibras entzwey geschnitten hatte. Ferner habe ich den Tendinem Achillis an einem Hunde halb entzwey geschnitten, worauf der Hund stark zu schreyen anfieng, und bald darauf stellte sich ein Zucken in des Hundes Schenkel ein, das sich so gar bis über die Hälfte des Leibes erstreckte, auf der Seite, wo ich die Wunde angebracht. Und dieses Zucken sammt dem Schreyen hörte auch nicht eher auf, bis ich den Tendinem völlig durchschnitten hatte.

videlicet vt vehementior inflammatio, vlcera, et ipfa quoque gangraena, auertantur, in refectione cubiti praecipitur fcarificatio aponeurofeon, quae cubiti mufculis circumdata eft. Item linea alba, communis ille mufculorum abdominalium tendo, quouis angufto vulnufculo compuncta, efficit dolorem, vomitum, fingultum, conuulfiones. Similia prorfus, imo etiam grauiora a fepto transuerfo, qua tendinofum eft, icto inferri vulgo nota res eft. Aponeurofis quaeque, vt fupra diximus, ac praecipue mufculorum rectorum abdominis, nec non eorundem vagina, itemque fafcia lata, exiguo vulnere impofito, hominem grauioribus fymptomatibus obnoxium reddit. Male affecto annulo mufculi obliqui externi in hernia incarcerata mufculi abdominis contractionibus fpafticis tentantur, et ipfe quoque annulus in curatione herniae iftiusmodi cultro fectus dolorem mouet. Chirurgi quoque vetant conftrictionem tendinum, tum cum refectis artubus arteriae venaeue deligantur. Ab hac autem deligatione nihil metuendum effet, fi tendines omni fenfu carerent. Neque omittenda eft Petiti obferuatio animaduertentis [1]), compuncta aponeurofi abducentis oculi in curatione fuffufionis moveri naufeam, vomitum aliaque. Non ignoro quidem, Illuftrem Hallervm dicere, in omnibus illis vulnerum generibus effecta mala illa non ab laefis partibus tendineis et aponeuroticis, fed a neruulo quodam fimul compuncto laceratoue prodire. Sed id falfum eft. Cum enim nullum vel mediocre vulnus effe facile poffit, quin paruum neruulum habeat vulneratum maleque affectum, confequens effet, vt, fi Illuftris Viri fententia comprobaretur, nullum propemodum vulnus a grauioribus malis liberum foret. Atque haec quidem hactenus pofita fufficiant. Alia apud Illuftrem Hallervm legi poffunt, in vtramque partem et verbis difputata et experimentis demonftrata [2]). Multum Illuftris Vir tribuit argumento repetito ab abfentia neruorum in ipfa interiori tendinum fubftantia. Quae ratiocinandi ratio mihi parum admodum probatur. Nam fi vel neruos in interiora tendinis feorfum immiffos oftendere nequeas, is tamen fenfu pollere poteft per eos neruos, qui per carneam mufculi fubftantiam difperfi funt, cum tendineae fibrae fint ipfae fibrae mufculares continuatae elongataeque, quas fenfiles effe nemo negat. Nimis igitur fidenter Illuftris Vir ponit, vtique fenfum in tendinibus non alium effe, nifi quem poffis praetereuntibus neruis tribuere. Nonnulla etiam putat fibi fuaeque fententiae fauentia, quae oppido contraria funt. Quale eft illud, quod fupra jam attigi, quando chirurgos multa expertos nolle parci tendinibus atque jubere amputari videt. Etenim nifi a tendinibus male affectis aut mala futura metuerentur, aut praefentia reapfe vrgerent, temerarii effent illi ex Chirurgis, qui partium infenfilium, innocuarum, quarum futura fanatio incerta eft, diffectionem fruftra praeciperent. Sed vero fi qui funt, qui jus vitae et necis in miferos fibi datum putent, non tamen defunt, qui fecus atque humanius fentiant, ac parci tendinibus velint, nec tendinum et aponeurofeon diffectionem permittant, nifi fruftra adhibitis aliis omnibus, quae partium illarum intenfioni nimiae, a qua praecipue fymptomatum grauitas et vehementia efficitur, alias medentur [3]). Quin etiam fi vel ipfos tendines ponas infenfiles, eorum tamen vaginae, haud dubie fenfiles illae, vulneribus aliisque tendinum morbis affectos in

 difcrimen

1) Vid. Memoires de l'Academie des Sciences de Paris A. MDCCXXVI.

2) L. c. p. 273 — 284.

3) Vid. Bilgver L. c. pluribus locis.

discrimen adducent, nisi idonea ratione medendi opem feras. Ex quo etiam, quod haec ipsa tot animantibus infesta et funesta controuersia ad medendi artem habeat momentum, intelligi potest. Atque hoc loco caussam hanc non quidem deserere, sed idoneis judicibus judicandam relinquere placet, si hoc vnum addidero, ex singularibus illis casibus, vbi tendo aliquis absque dolore ruptus videtur, nihil recte colligi posse, quod demonstret tendinum insensilitatem. Cum enim fieri nequeat, quin, in tali rerum statu, vicinae partes, quibus exquisitior sensus est, vehementius distrahantur; facile patet, si hae ipsae partes ita distractae dolorem nullum inferant, ex ea ipsa absentia doloris nil effici quicquam, quo tendinum sensus omnino tollatur.

§. XXIII.

Tendines excipiant *glandulae.* Quibus quoniam pauci tantummodo nerui dati sint, exiguum quoque sensum esse Illustris HALLERVS putat. Sed vero glandulae totae constant ex arteriolis, venulis, neruulis et vel ductulo vel osculo excernente, interjecta quadam fabrica cellulari; eaedemque inflammationibus, imo etiam abscessibus, scirrho denique acerrime dolenti atque maligno saepe saepius obnoxiae sunt; et quando vulnera acceperunt, major oriri solet inflammatio et dolor. Praeterea in quasdam earum, tanquam in saliuales lacrymalesque, prompta animo actio est, quae absque sufficienti neruorum copia fieri nequit. Ex quibus, quam vera Illustri HALLERO de glandulis dicta sint, satis intelligi posse existimo.

§. XXIV.

Atque haec quidem de iis corporis partibus, quarum praecipue facultas sentiendi in controuersiam ab Illustri HALLERO adducta est, fortasse prolixius, ac debuimus, hactenus diximus. Sequitur, vt de interioribus quaedam subjungamus, pauca fere, breuioribusque animaduersionibus comprehendenda, cum et minor de iis controuersia sit suscepta. De multis vero interiorum partium nihil omnino dicemus, ne parum admodum sapere videamur. Quis enim est aut quotusquisque, qui *ventriculum et intestina, partes genitales* virorum, *naturales* mulierum, item *vreteres, vesicam, et felleam et vrinalem*, ad sensiles partes non referat? His igitur praeteritis *cerebrum* nunc primo attingimus. Cujus quidem partem medullarem, qua conjunctio est, omnium sensionum quasi emporium aut officinam receptaculumue, aut, quod verius dixeris, instrumentum, per quod mens et species rerum accipit et vniuerso corpori imperat, admirandum illud esse, vno propemodum ore omnes fatentur. At de eo, num cerebrum ipsum tactum aut varie laesum affectumque dolore corripiatur, non inter omnes constat. Siquidem non solum multi eorum, qui HALLERI partibus sese haud miscent, sed amici quoque Illustris viri, imo is ipse irritationes corticis cerebri ab animali non percipi docent [1]); illi autem ipsius etiam medullae sensum non admittunt, quem HALLERVS ejusque amici per experimenta rudiora illa assertum putant. Sed quia hi a bestiarum contorsionibus et conuulsionibus argumentum ejus rei repetunt, eae vero ipsae in epilepsia correptis sine vllo sensu fiunt, parum aut nihil experimentis illis hac in re tribuendum

1) Vid. HALLERVS l. c. p. 314.

tribuendum esse omnes vident. Longe igitur optime Illustris HALLERVS praeter illa allegat obseruationes, vbi in eorum, qui in vita doloribus encephali laborasse visi sunt, corporibus post obitum variam cerebri labem industria Medicorum inuenit [2]. His adducti cerebro sensum aliquem esse concedimus, neque mouemur contrariis obseruationibus, vbi similis labes in corporibus mortuorum reperta fuit, etiamsi nullus capitis dolor hominis vitam infestauerat; aut vbi grauissima vulnera cerebro imposita, ipsiusque cerebri pars deperdita sine magno dolore et grauioribus symptomatibus fuit. Eadem enim diuersitas in aliarum etiam partium affectibus et vulneribus cernitur.

§. XXV.

A cerebro transimus ad *pulmones*. Qui si sani sunt, obscuro tantum sensu gaudent, inflammati autem et caloris et doloris sensu, minori tamen, quam partes magis tensae et tanta humorum copia non turgidae, afficiuntur. Tussi vexati homines, diuturna praecipue, prorsus sentiunt eum locum, vbi mali caussa haeret. Et si verum est, quod viri quidam doctissimi ac peritissimi, eosque inter sapiens MORGAGNVS [1]) putant, in morbis dictis pleuriticis cum dolore conjunctis, non magis pleuram, quam pulmones ipsos inflammatione corripi; non leue momentum ad comprobandum sensum pulmonum supra dictis adjicitur. Pulmones alio tempore totos propemodum vlceribus absque dolore absumtos reperiri, non insolens aut iis proprium est, sed quotidianum et omnibus partibus corporis commune.

§. XXVI.

Cor est ex genere partium muscularium, aut, vt verius dicam, musculus omnium princeps, et neruos satis multos; sensus igitur instrumenta accipit; itaque a caussis iis, quae ipsam ejus actionem simulque adeo vitam non infestant aut omnino tollunt, affici et dolere posse videtur. Vulgaria ergo illa experimenta de brutis animantibus capi solita, vt alias, ita hic praecipue, parum apta sunt ad id, quod debent, demonstrandum, maxime cum ad cor, nonnisi permultis partibus aliis vehementer vulneratis, accedere possis. Quae cum ita sint, diligentiorum Virorum Obseruata sunt consulenda. Legimus autem apud Ill. MORGAGNVM [1]), in corpore virginis demortuae, quae in vita punctionibus, circa cor et leuioribus conuulsionibus solicitata esset, repertum fuisse pericardium aquae vncias nouem continens, et cordis membranam manifesto erosam. VESALIVS autem [2]) et BENIVENIVS [3]) carnosas excrescentias in cordis ventriculis, quae ante obitum dolores cordi intulerant, repererunt. De pericardii inflammatione seorsim legi potest laudatissimus MORGAGNUS [4]).

§. XXVII.

2) Vid. HALLERVS, ibidem.

1) L. c. epist. XX. XXI. vbi et VALSALVAE et ipsius MORGAGNI obseruationes leguntur, quae docent, thoracis inflammationem, illaesa prorsus pleura, sedem habuisse in pulmonibus.

1) L. c. *Epist.* XVI. n. 43.

2) *De humani corp. fabrica* L. II. C. V.

3) *De abditis morbor. et curat. caussis* C. XXVI.

4) L. c. *Epist.* XXI. n. 46. Alios casus, vbi pericardii lympha, acris reddita et corrosiua

§. XXVII.

Reliqua viscera, *Iecur*, *Lien* et *Renes*, num neruos habeant, et in inflammationibus magis minusue doleant, vix est, qui dubitet. Hinc eorum sensum pluribus asserere qui gestiet, operae pretium facere non videbitur. Id vnum igitur nos adjicimus, ex eo, quod renes aliquando toti fere pure absumti in corporibus mortuorum apparent, non effici, vt, quod Ill. HALLERO videtur, renibus sensus exiguus sit; id ipsum enim, vt supra jam monuimus, aliis quoque partibus, et ipsi quoque cuti, parti sensilissimae, aliquando accidit. Neque calculi renum, reperti in corporibus eorum, qui ante obitum de renum doloribus conquesti non fuerant, renum sentiendi facultati quicquam derogare possunt. Quamuis enim calculus tardius accrescens in homine quieto aliquando satis diu absque dolore latere potest, incrementa tamen celeriter sumens, aut variis de caussis, motu vel corporis vel animi, ictu, praua victus ratione, lectuli calore magis minusue commotus, dolorem infert et aliorum symptomatum cohortem adducit. Incipiente enim malo est grauatiuus lumborum dolor, atque ex pondere quasi premens tensio, quae breui vehementissime excruciat. Percipitur autem in parte lumborum superiori mox sub costa vltima prope spinam; ibidemque saepe fixus est, deurentis claui instar, atrox admodum etc. Idem prorsus, quod de calculis in renibus commorantibus dictum est, ad calculos in cista fellis genitos pertinet. Aeque enim, quam illi, modo quiescunt, nullumque dolorem mouent, modo cistam eam irritant, doloremque et alia grauia symptomata concitant. Haec autem addidi propterea, vt hi, qui ipsi per se hujus ab Illustri HALLERO agitatae controuersiae momentum parum recte perspiciunt, admoniti intelligant, hujusmodi speculationibus et moliminibus perperam directis maleque intellectis, ipsam doctrinam signorum, quae arx est totius Artis Medicae, conturbari vehementer, atque conuelli adeo, vt summa tandem metuenda sit confusio.

rosiua et pericardium et cordis exteriorem partem excoriarit, et rosione, vellicatione, irritatione excitarit, et spasmos et anxietates et palpitationem, vide in FABR. HILDANI *Cent.* I. obs. 43. M. N. C. D. 3. A. 1. *obs.* 122. BONETI *Anat. Pract.* l. 2. S. 1. obs. 86. SYLVII *Prax.* l. 1. c. 26.

XIV.

ANTONII MICHELITZ SCRUTINIUM HYPOTHESEOS SPIRITUUM ANIMALIUM.

PRAGAE 1782.

§. I.

Quum multa ſint in animali machina omni ſenſuum, rationisque aciei inacceſſa, tum ſane abditiſſima inter adorandi Creatoris myſteria, reputandum merito eſt mirabile illud ſpiritualis entis cum ſimulacro corporeo vinculum.

§. II.

Cujus quidem modum, cauſſasque, vt altius eruerent, nulli pepercere labori acutiſſima Philoſophorum ingenia, adeo tamen parum poſt ſedulos tot ſaeculorum conatus in arduo problemate hactenus proficientia, vt e prolatis in hodiernum vsque diem ingenioſis hypotheſibus vix vllam reperias, quae dilucidandis phaenomenis cunctis idonea ſit, quaeue cupido vnice veri animo faciat ſatis.

§. III.

Etenim quo luculentiora vel ipſo ſenſus intimi teſtimonio mutuae corporis, animaeque conſenſionis proſtant documenta, quo manifeſtius extra omnem dubitationis aleam eandem ponit plurimorum morborum attenta contemplatio [1]), eo denſioribus obuoluta tenebris ejusdem ratio eſt, vt merito huc adplicari poſſit illud magni Halleri effatum. „Infinitum ad infiniteſimum poſſis deponere, decipi hominem, qui con-„ſilia

1) Eleganter ſane mutuum hunc conſenſum expreſſit Abrahamus Kaau Boerhaave *in libello, cui titulus: Impetum faciens dictum Hippocrati Cap.* 1. *p.* 6. Ea lege mentem corpori aſſociauit ſummus rerum Arbiter, vt ſine corporis felicitate plane torpeat, ſordida luctu et ſibi diſpar euadat ita, vt fruſtra in mente ipſam mentem quaeras. Nonne actum eſt de rationis imperio, vbi corpori dominatur morbus? Nonne quoties dira hoc cruciatur rabie, perit vna cum felicitate mentis excellentia? Si ſublimi adſueta ſpeculationi ſapientiſſimi Pithagorae anima locaretur in furioſo Oreſtis corpore, non diuinae ſcientiae oracula, ſed ſpiraret furias, et panicos timores. Habitet ad omnem, vt poſſeſſori videbatur, doloris ſenſum perferendum comparata mens ſtoica, in domo renum ſaeuis vexata tormentis, audietis inuitiſſimo extorqueri candida verba, labi mentis regimen, ſed corporis dominari.

„filia Dei conjectura vult adsequi:" vnde et St. AUGUSTINUS [2]): „Modum, quo cor„poribus adhaerent spiritus, omnino mirum esse, nec comprehendi ab homine posse, „pronunciauit:" et TULLIUS [3]): „Sibi quidem naturam animi intuenti multo diffici„liorem, multoque obscuriorem occurrere cogitationem, qualis animus in corpore sit „tanquam alienae domi, quam qualis cum exierit, et in liberum coelum quasi domum „suam venerit."

§. IV.

Non multum veri, imo nec probabilis quidquam in scrutinio hujus infinitae Sapientiae operis protulerunt CARTESIUS et MALEBRANCHIUS, qui denegata caussis creatis omni vere, et proprie agendi vi, et DEO quasi ex machina aduocato, docuerunt, facta in organis sensoriis mutatione, DEUM immediate in anima conuenientem producere mutationem, et coorta in anima voluntate, motum conuenientem corpori a DEO imprimi [1]). Quare admisso hoc *caussarum occasionalium*, aut *adsistentiae* systemate, videretur DEUS ad impias cogitationes, motus in corpore indecoros producere [2]).

§. V.

Ingeniosius Cl. Viri LEIBNITIUS et WOLFIUS ex harmonia praestabilita dixerunt fieri, vt tam corpus, quam anima habeat suam propriam oeconomiam, nec minus anima suas ideas vi propria producat, quam corpus suos motus: ita quidem, vt eorum consensus ex eo habeatur, quod DEUS, cum intellectu suo infinito omnes possibiles animas, et omnia possibilia corpora distinctissime discerneret, illa duo semper indiuidua elegerit, quae in omnibus suis actionibus perfecte conspiratura praeuidit, simulque vt reipsa deinceps earum consentientes mutationes semper eodem tempore coexisterent, coordinatione earum mutua semel initio facta disposuit [1]).

§. VI.

Etsi fatendum est, plures extitisse LEIBNITIANI et WOLFIANI systematis Patronos, eosque Viros omni exceptione majores, inter quos nominare licet duo illa medicinae sidera, vnum HERMANNUM BOERHAAVIUM [1]), alterum vero ALBERTUM HALLERUM [2]), multi tamen alii, quod etiam libertati animae inde quid detractum iri putarent, eidem in integrum valedixerunt.

§. VII.

Quod si in exponenda hujus *Entelechiae* origine recentiorum scriptorum psychologica placita tantisper peruoluas, celebratissimum apud plerosque deprehendes antiquissimum illud *Caussarum efficientium*, seu *influxus physici* Systema [1]), animam videlicet

2) L. 21. de Ciuit. Dei c. 20.
3) L. 1. Quaest. Tuscul. c. 22.
1) BAUMEISTER Inst. Metaphys. p. 471.
2) HALLER Elem. Physiol. Corp. H. T. IV. p. 557.
1) STATTLER Philos. Part. III. p. 328.
1) *Praelect. Acad. Tom. IV. N.* 541.
2) *Elem. Physiol. C. H. Tom. IV. p.* 558.
1) Conf. BOEHM. *Metaphys.* p. 443. HORVATH *Psycholog.* p. 370. BURKHAEUSER

licet et corpus ita inter se copulari, et effectiue in se inuicem agere, vt factis in organa sensuum impressionibus, iisque ad cerebrum vsque delatis determinetur mens ad perceptiones rerum extra se positarum, vtque vicissim nata in mente alicujus membri commouendi voluntate, illico voluntarii motus in eo membro efficiantur.

§. VIII.

Illa vero instrumenta, quorum ministerio objectorum in sensoria organa agentium mutationes, siue, vt cum BOERHAAVIO [1]) loquar, earum mutationum effectus ad sedem animae propagantur, et ab animae sede ad voluntaria organa ejus imperia deferuntur, illa, inquam, instrumenta neruos esse, in confesso est apud omnes. Quid vero nerui in exequendo hoc munere operentur, et quomodo? alia quaestio est, cujus enodandae caussa in duplicem abiere sententiam Physiologi.

§. IX.

Alii funiculos nerueos solidos, et chordarum elasticarum in modum tensos conceperunt, vt in vno sui extremo percussi vibrarent, et oscillationes suas ad alterum extremum continuatas amandarent, hacque simplicitate absolui omnem neruorum functionem sensoriam, absolui motoriam crediderunt.

§. X.

Alii econtra neruos, vt tubulos cauos considerarunt, eosque subtilissimo cuidam encephali fabrica secreto fluido permeabiles, cui *Spirituum Animalium* nomen omnis adeo antiquitas imposuit, atque huic ipsi fluido, motum, sensumque deferendi munus adscribendum esse, docuerunt.

§. XI.

Habuit vero harum hypothesium altera patronos grauissimae auctoritatis Viros. Quod si decorum est posteris opiniones a BOERHAAVIO, HALLERO, SWIETENIO excultas tueri, non ideo indecorum videri poterit cum ALBINO [1]), HAENIO [2]), CALDANO [3]), Patauinae Scholae decore, et grauissimo Ill. TISSOTI judicio, Physiologorum aeui nostri facile principe, de re nedum ad omnem certitudinem deducta, nec vnquam forte deducenda modeste dubitare.

 §. XII.

SER *Inst. Metaphys.* p. 337. STATTLER *Philosoph. Part. III.* p. 370. STORCHENAU *Psycholog. p.* 286. MAKO *Compend. Metaphys. Instit. p.* 291. MAXIM. MANGOLD *Phil. recent. Psycholog. p.* 150.

1) *Praelect. Academ. Tom. IV. p.* 427.

1) Annot. Academ. Lib. I. Cap. XII. p. 48. Quoniam neque satis firmatam sententiam illam esse inuenio (nimirum *Spirituum Animalium*) neque satisfacere rei excusatum me velim, si pati nequeo, vt inter patronos ejus numerer.

2) Rat. medendi Part. IV. Cap. V. p. 207. Neruorum cauitatem, fluidi per eam transeuntis praesentiam, scholae crepant, sed alterutrum existere, nullus mortalium optimis licet armatus microscopiis vnquam demonstrare potuit.

3) Instit. Physiolog. p. 171. hypothesis Spirituum Animalium ejusmodi est, quae infirmis maxime fundamentis innixa videtur.

§. XII.

Quare cum libera sint hominum judicia, neminem vtique futurum confido, qui me siue arrogantiae, siue exiguae erga beatos Ill. Virorum manes reuerentiae arguat, dum tenuem hanc scriptiunculam publici juris facio, quam nulla mihi extorsit libidinosa contradicendi prurigo, sed suasit vnice „animus veri cupidus non requiescens, „quamdiu omnino aliquid superest dubii, quod ipse sibi demere nequeat [1]," qua, neutiquam e scholis scriptisque Medicorum profligandam esse contendo celebrem *Spirituum Animalium* hypothesim, sed saltem eandem non illa probabilitate fulgere, qua a plerisque Eruditis et adoptatur, et adoptanda commendatur, demonstrare adnitor.

§. XIII.

In quo argumenti genere versaturo mihi ille potissimum scribendorum ordo eligendus, videbatur: vt *primo* argumenta, quae ad stabiliendam neruosi fluidi existentiam in medium adducuntur, diluere adlaborem. *Secundo* vt elegantissimam hypothesim cum sensus, motusque animalis phaenomenis accuratius comparatam, iisdem non penitus conformem esse, palam facere, gestiam.

SECTIO I.

REFELLUNTUR ARGUMENTA, QUAE PRO DEMONSTRANDA LIQUIDI NERVEI EXISTENTIA ADFERRI SOLENT.

CAPUT I.

COPIA SANGUINIS AD ENCEPHALON LATI NON EVINCIT LIQUIDI NERVEI SECRETIONEM.

§. I.

Praecipuum fere argumentum pro demonstranda Spirituum nerueorum in encephalo secretione deduxerunt Cl. Viri ex insigni quantitate sanguinis ad encephalon fluentis, hanc ad vnam tertiam totius massae sanguineae aestimauit cum Malpighio Boerhaavius [1]), hinc probabile non esse tantam sanguinis copiam frustra ad encephalon ferri, et nulla sui parte orbatam redire per venas, longe vero probabilius esse, fieri ex eodem secretionem veram permanentem, quae sit subtilissimi sensus omnes fugientis liquidi, perque fibrillas nerueas cauas tanquam emissaria deferendi [2]), et vbicunque in corpore humano liquor adfertur per arterias, et per venas refertur, ibi secretionem fieri alicujus liquidi, neque vllam reddi rationem posse, cur cerebrum ab vniuersali consuetudine excipiatur [3]).

§. II.

1) Haller Elem. Physiol. Tom. V. p. 22.

1) Instit. medic. p. 135.

2) Marherr Praelect. Academ. Tom. II. p. 379.

3) Boerhaave Praelect. Academ. T. II. p. 545.

§. II.

Omnia rite perpendenti non videtur huic argumento ea ineffe vis, qua affenfum extorqueat; nam *primo:* carotidum, et vertebralium arteriarum fanguis, vt probe meminit Cl. MARHERR [1]), multo minorem rationem habet ad fanguinem reliquum totius corporis, quam quidem fuo ex calculo Cl. Viri deduxerint; *fecundo:* fi detrahatur de fanguine carotico ea quantitas, quae in folius faliuae fecretionem impenditur, minuetur adhuc multo magis ejusdem encephalon ingreffuri copia, vberrimam enim effe fecretae faliuae copiam plurima obferuata practica docuerunt, et inter caetera evidenter exemplum Militis ab Ill. van SWIETEN [2]) prolatum. „Militi huic vnius tantum „parotidis ductus diffectus fuerat, et poftea vulnus pro parte coaluerat, ita vt faliua fe„creta non in oris cauum dilaberetur, fed extrorfum per fiftulofam aperturam deplue„ret in genam, breuis prandii tempore plura linteamina madebant effluente faliua in „hoc Milite:" quod fi confideretur fimilem copiam per alterius lateris parotidem excerni, glandulasque maxillares, et fublinguales pariter fecretioni faliuae feruire, fi fimul confideretur, non tantum manducationis tempore exire faliuam ex his ductibus excretoriis, fed diu noctuque licet minori copia, quam inter manducandum, patebit vtique ingentem carotici fanguinis quantitatem ad faliualia organa ruere, eamque adeo carotidis internae ramis fubtrahi, fed et illa decedit, quae impenditur in fecretionem humoris tenuiffimi per arteriarum ofcula in omni puncto fuperficiei internae oris, et faucium exhalantis [3]), et illa, quae ab interna carotide ad oculum, atque ad duram matrem difpenfatur, et demum ea, quae per ramos vertebralium ad mufculos fecedit [4]); et magnum merito argumentationi huic robur addit Ill. CALDANI, quem non fine voluptate affenfum mihi praebentem lego, auctoritas. „Quafi vero, inquit Ill. „Vir [5]), fanguis omnis, qui in carotides, et vertebrales truditur (quamuis effet tertia „pars totius fanguinis, qui a pofteriori ventriculo erumpit) cerebro tantummodo pro„fpiceret, nihil vero per fubclauias artubus fuperioribus, nihil mufculis colli, hujus„que vertebris, nihil laryngi, pharyngi, meningi durae, tympano, aliisque auris par„tibus, neruis quarti, quinti, et fexti paris, glandulae pituitariae, oculis, offi cunei„formi, cribrofo, aliisque.

§. III.

Sit notabilis encephalon ingredientis fanguinis copia, eam certe vel ipfa cerebri magnitudo, et natura in proprios videbatur vfus poftulare: etenim non folo habito refpectu ad corporis humani reliquam magnitudinem comparatam cum animalium brutorum magnitudine cerebri hominis magnitudo major eft, fed etiam abfolute fuperat reliquorum animalium vel maxima cerebrum humanum [1]); id et ipfa fabrica cranii fuadet, quod in brutis animalibus laxiffimas nares habet, cranii vero caueam bre-

 vem

1) l. c. p. 312.

2) Comment. T. III. p. 356 ex academ. des fciences Mem. p. 452.

3) v. SWIETEN l. c.

4) HALLER Elem. Phyfiol. Tom. IV. p. 140.

5) Inftitut. Phyfiolog. 1773 edit. Patauii p. 164.

1) MARTIN Inftitut. Neurolog. fect. I. Phyfiolog. p. 12.

vem et angustam, cum a validissimis musculis temporalibus ossa sincipitis ita deprimantur, vt sola fere crista media emineant, quae in homine lata planitie fornicem perficiunt [8]). Nunc quis non videt ad tanti visceris incrementum, et nutritionem multum sanguinis requiri?

§. IV.

Adparebit vero sanguinis copia in proprios cerebri vsus impendendi eo major considerantі ipsam cerebri indolem: cerebrum enim ex humido constare ceu euidentiorem ejus proprietatem agnouit HIPPOCRATES [1]) et in specie cerebrum, ac cerebellum paucissimas continere partes solidas, demonstrauit Cl. HAMBERGERUS [2]). Hanc cerebri proprietatem euincunt experimenta ab Ill. BOERHAAVIO [3]) producta. Si cerebrum sub alembico reponatur, et mollissimo calore vrgeatur, cito resoluetur in pellucidissimum, et limpidissimum vaporem, et pauca vasa relinquet: si medulla liberata a pia matre suspendatur in vitro aliquo, vbi nullo vento perfletur, nihil superessit de tota massa post aliquot dies, quam sola membrana arachnoidea.

§. V.

Quod si paucos intra dies vniuersum cerebrum in liquorem dissipatur, videtur totum fere liquidis constare, quae liquida non vtique aliunde, quam ex adpulso ad encephalon sanguine secerni oportet.

§. VI.

Et cum minime dubium videatur, vt in pericardium, pleuram, aliasque corporis humani caueas, ita in cerebri ventriculos tenuem humorem perpetuo exhalare de arteriis [1]) necesse est, vt hic humor quoque ei sanguini decedat.

§. VII.

Docet praeterea accuratior inspectio anatomica, ambas venas jugulares sanguinem e cerebro reuehentes multo majorem capacitatem possidere, quam arteriae sanguinem adferentes carotides nimium, et vertebrales simul sumptae [1]); vnde adparet, magnam omnino sanguinis quantitatem per capaces adeo venas velociter referri.

§. VIII.

Quare cum cerebrum omnia alia viscera magnitudine excedat §. III., cum humida ejus in vniuersum natura sit §. IV., non mirabimur illud plus forte sanguinis pro portione aliorum viscerum accipere in proprios vsus §. V. §. VI. impendendi, et dum insignem adhuc residui sanguinis copiam per solas jugulares venas, (emissariis SANTORINI non computatis) ab encephalo redire §. VII. intelligimus, mirabimur potius tantam

8) HALLER in Praelect. ad H. BOERHAAVE Instit. Tom. II. p. 382. not. c.

1) in MARTIN l. c.

2) Physiolog. Medic. p. 185.

3) Praelect. Academ. p. 545.

1) HALLER Elem. Physiol. Tom. IV. p. 44.

1) MAJER *Anatomisch-physiologische Abhandlung vom Gehirn, Rückenmark, und Ursprung der Nerven* p. 49.

tantam adhuc ſupereſſe poſſe ejus vim, ex qua materies ſecernatur myriades certe fiſtularum neruearum momento repletura, velociſſimis volantium auium, hominis, caeterorumque animalium diutinis, celerrimisque curſibus ſuffectura, et proprios ſimul, quibus continetur, canales, et omnes fere corporis partes nutritura: „nam ad primam „copiam liquidi neruei, quae muſculum ſubiit, nouae accedunt continuo copiae, vt in„tra breuiſſimum ſpatium temporis, v. g. vnicum minutum primum horae vnius im„menſa fiat [1].“ Ambigit quoque Ill. CALDANI [2]), „num ſanguis ſolum cerebrum „alluens praeter nutritionem viſceris certe magni, praeter conſeruationem caloris in „viſcere, quod non male frigidum dixere veteres; praeter ſeparationem vaporis, qui „in ventriculis, et inter membranas cerebrum inuoluentes occurrit, in cerebri vaſis adeo „redundet, vt aliquid aliud, et quidem magna copia ab ipſo ſeparari neceſſe ſit.“

CAPUT II.

NEC SANGUINIS AD ENCEPHALON LATI DIVERSA INDOLES.

§. IX.

Antiquiſſimam hypotheſim jam ab ARISTOTELE propoſitam, et ab Ill. BOERHAAVIO [1]) aſſumptam, video a Cl. Viro ROLANDO MARTIN [2]) denuo adoptatam, ſanguinem nimirum ad encephalon latum alterius eſſe genii, ac quidem aliarum partium ſanguis ſit, eſſe mobiliorem, ſubtiliorem, hinc ad ſecretionem in cerebro obeundam deſtinatum.

§. X.

At vero nullo experimento de praerogatiua ſanguinis cerebralis conſtare, adfirmat Ill. HALLERUS [1]) et omnia parum firma eſſe, quae de peculiari indole ſanguinis cerebralis a nonnullis relata fuere [2]), nec nimis haec ornanda eſſe, cum ex eadem carotide mucus etiam et adeps, et ſebum, et ſuccus oſſium nutritiſius, adeoque viſcidi, et inertes humores generentur [3]). Et ſolide ad hanc Ill. Virorum opinionem regeſſit Cel. MARHERRUS [4]) „in ea plenitudine vaſorum noſtrorum, in ea velocitate ſubſequen„tium ſeſe cordis contractionum, in his adeo multiplicibus arteriarum flexionibus, in „tanta earundem in ſanguinem reactione non adeo congrue aſſumi leges hydraulicas in „vaſis inertibus et vacuis obſeruatas, neque ſanguinem his legibus ad amuſſim obedire „poſſe, cum et plenitudo vaſorum obſtet, et flexiones multiplices, et cum arteriae „omni momento reagant, ſanguinemque a lateribus repellant, ſic oriri motum omnium „ſanguinis particularum conturbatum, omnes inter ſe moleculas agitari, intermiſceri, „nec vlli aut primitiuam directionem, aut impetum priorem manere, ſed inteſtinis „adeo

1) BOERHAAVE Praelect. Acad. T. III. p. 423.
2) l. c. p. 165.
1) Inſtitut. Medic. p. 132.
2) l. c. p. 19.
1) Elem. Phyſiol. Tom. IV. p. 141.
2) Idem in Auctar. Faſcicul. IV. Parte I. p. 29.
3) Idem Elem. Phyſ. Tom. II. p. 415.
4) Praelect. Academ. Tom. II. p. 282.

„adeo turbis inter se confundi, vt peculiarem directionem lege densitatis sequi non „possint.“

§. XI.

Porro etiam experimentis a Cl. TAUBE institutis stabilire nititur Ill. MARTIN illam cerebralis sanguinis diuersitatem: cum scilicet in cadauere aperirentur arteriae diuersae carotidis, et cruralis, et par quantitas sanguinis eximeretur, qui in ejusdem fabricae cucurbitis immittebatur, sanguis carotidis, instituta destillatione eodem ignis gradu reperiebatur aquas continere vnciarum octo cum drachmis duabus, sanguis vero cruralis non magis, quam vncias octo cum drachma dimidia. Cruoris vero pars in carotide vnciis tribus cum aliquot granis constitit, cruralis autem cruor vncias tres et totidem drachmas exhibuit, inde conclusit serum sanguinis carotidis arteriae internae ad serum arteriae cruralis pari ratione se habere, vt 66 ad 64 cum dimidio, et solidum in libra vna cruoris sanguinis arteriae carotidis ad solidum cruoris arteriae cruralis esse, vt 1442 ad 1480.

§. XII.

Non est, pace Ill. Viri, dissimulandum, ipsum Ill. HALLERUM, sub cujus praesidio Cl. horum experimentorum auctor disseruit [1]) aperte fateri [2]), ea experimenta non satis repetita esse: quam cautos vero in elicienda ex vno tantum, alteroue experimento conclusione generali, nos esse oporteat, serio monet [3]); ibi enim post allata Cl. Virorum de sanguinis venae portarum peculiari indole experimenta subjungit: „Repetitis experimentis in sanguine venae portarum sani animalis, aut vituli haec oportet definire, non vno, neque paucis, si enim in viginti experimentis plus in eo sanguine fuerit aut aquae, aut adipis, vix falletur, qui perpetuo plus inesse pronunciauerit, semel si experimentum fecerit, poterit alia caussa subesse.“

§. XIII.

Ad haec: an ex iis, quae in sanguine e cadauere sumpto, adparent, certa semper est ad ea, quae in animali viuo fiunt conclusio? certe vitalis motus impedit, quo minus grauitatis leges sequantur corporis nostri fluida, e contra in animali, aut in agone languido, aut jam mortuo, hinc diminuto vitali impetu, aut jam penitus sublato contraria vtique lex locum habere poterit, et reapse in Cl. TAUBE experimentis habuisse videtur.

§. XIV.

Constat enim ex principiis physiologicis, arteriarum carotidum sanguinem in secretionem saliuae quoque impendi, quanta sit ejus secretae copia, alibi vidimus [1]); eandem maxima quantitate aquae constare, experimenta chemica manifesto euincunt, quae ex viginti ejus vnciis destillationi commissis nouendecim aquae partes educunt, quamdiu ergo animal viuit, insignem aquosi principii copiam cum sanguine ad saliualia organa ruere

1) DANIEL. IOAN. TAUBE Differt. *de sanguinis ad cerebrum tendentis indole.* Goettingae 1745.

2) Elem. Phys. Tom. II. p. 12.

3) Idem. Elem. Phys. Tom. VI. p. 497.

1) Sect. I. Cap. 1. §. 2.

ruere necesse est, atque adeo residuum sanguinem spissiorem respectiue reddi, quam alium, qui per arteriam quandam fluit, quae non perinde fluidioris partis iacturae exposita est, vti carotides, in vltima vero illa animalis lucta, in qua omnium aliarum secretionum ad modum, etiam illa saliuae languet, et tandem in integrum cessat, remanet omnis illa aquosi principii portio in sanguine carotidum, et remanens poterit diuersitatem aliquam in experimentis producere.

CAPUT III.

NEC ADPARATUS ENCEPHALI SECRETORIUS.

§. XV.

Depromptum ab adparatu encephali secretorio argumentum vel maxime vrgent Viri Clarissimi: adesse hic omnia ad secretionem permanentem requisita, vasa arteriosa rubra adferentia, vasa venosa referentia, vasa sanguineis vasculis multo minora, quae corticem constituant „haec humorem sanguine multo tenuiorem secernere, secretum „vehere, necesse ergo esse, vt adsint quoque vasa emissaria, per quae humor ille seorsim feratur suos in vsus impendendus, nunc vero, cum vasa emissaria inuisibilia sint, „cum ex encephalo praeter venas et neruos nihil exeat, cum ex cortice nulla alia substantia educatur praeter medullam, oportere, vt ipsa medulla iis emissariis constet, vt „peruia sit, si vero medulla iis emissariis constat, si peruia est, si humorem a corticalibus vasculis ipsa recipit, ac seorsim vectum ad partes corporis reliquas distribuit oportere, et humorem illum omnium totius corporis liquidorum subtilissimum et fibrillas „cauas medullares omnium vasculorum corporis minutissima, esse [1]."

§. XVI.

Solidum profecto argumentum pro demonstranda secretione in encephalo, non perinde firmum pro demonstranda liquidi neruei secretione: et quidem secretionem vere permanentem fieri in ventriculis cerebri docet vapor in iisdem reperiundus, sed et aliam fieri secretionem vere permanentem certum est, quae videlicet sit succi nutritii in nutritionem harum partium cessuri, num vero praeter has secretiones vere permanentes, quae cum essent priuatis vsibus dicatae, nullis egebant emissariis vasis, alia adhuc quaedam fiat, quae cum esset in publicam totius machinae necessitatem, neruos, vt canales emissarios postulabat, id quidem meo iudicio argumentum ab adparatu secretorio ductum euincere haud videtur: etenim amplum adeo cerebri viscus [1]) multam sanguinis copiam in sui nutritionem conuertit; adde, non solum cranii cauea medullarem substantiam coerceri, verum eam excurrere longissime, et adeo late per animale corpus dominari, ac quidem systema neruosum (nerui enim nihil sunt aliud, quam tenuissima medullaris substantiae propago) quo igitur certius est, eo, vberiore egere nutritionis materiae cerebri et cerebelli substantiam, quo ea amplius diffunditur, eo minus

1) Marherr Praelect. Acad. Tom. II. p. 320.

1) Sect. I. Cap. 1. §. 3.

minus probabile est, ex sanguine ad encephalon lato aliud quid secerni amplissimis, et nobilissimis muneribus in animali corpore praefuturum.

§. XVII.

Quid quod adparatus ille secretorius, quem Cl. Viri adeo extollunt cum secernendi per eum liquidi natura, et proprietatibus parum omnino congruere videatur? in eo sane communis est Physiologorum consensus, multiplici artificio vsam esse naturam, vt velocitatem sanguinis ad et per encephalon lati valde retardaret: hanc retardationem docet angulus, quem carotides cum trunco arteriae aortae, et vertebrales cum truncis subclauiarum intercipiunt, pondus proprium sanguinis directioni motus saltem in erecto corporis situ contrarium, duplex flexura carotidis antequam per cranium transeat, transitus obliquus per canalem osseum ossis temporum, duplex flexura juxta sellam equinam, antequam duram matrem perforet, infinitae fere flexurae ramorum in pia matre obseruandorum, transitus ex spatio minore in majus, quia summa capacitatis omnium ramorum in pia matre probabiliter major est capacitate ramorum, ex quibus oriuntur [1]) ipsa quoque angustia vasorum piae matris, quia fluida ob cohaesionem cum parietibus in vasis angustis tardius mouentur, quam in amplis, erat vero haec celeritatis, et impetus sanguinis ad cerebrum abeuntis imminutio omnino necessaria, quod tenerrima cerebri substantia majori impetui ferendo neutiquam par extitisset.

§. XVIII.

Docet vero Ill. Hallerus [1]), inter mechanicos effectus retardationis humorum esse secretionem parcam, item secretionem viscidorum potissimum humorum, cum motu progressiuo fracto, aut sublato facilius sese amplectantur, inque suis vasis viscidius jam, adque motum ineptum liquidum constituant, quod sola attractione regantur, quando contraria vis progressiua sublata fuit. Quomodo ergo subtilissimum, fluidissimum, mobilissimum liquidum, cujusmodi certe liquidum nerueum e Cl. Virorum effatis esse oportet, quomodo immensa, breui temporis interuallo, ejus copia in eo secretorii organi adparatu generabitur? qui parcitati, lentorique fauet quam maxime.

§. XIX.

Noua meditanti se speculatio offert: multa omnino est adparatus testium secretorii cum eo, per quod in encephalo nerueum fluidum praeparari dicitur, similitudo, caussae celeritatis retardatrices vtrobique eaedem [1]), nunc nequeo a me impetrare, vt credam, in his sui adeo similibus secretoriis organis posse binos toto coelo inter se diuersos humores generari, quorum vnus visibilis sit, viscidulae indolis, subtilissimus alter nec nudo, nec armato oculo obseruandus: et qui, quaeso, possint fibrillae nerueae in tanta sui minutie, tenuitate, atque mollitie, in tanta ad se inuicem stipatarum

1) Hamberger l. c. p. 208.
1) Elem. Phys. Tom. II. p. 420.
1) Conf. Marherr Tom. III. p. 462 et seq.

ftipatarum anguftia? lumen aliquod vtut minimum, vtut fubtiliffimum retinere, quae in vaginis a pia matre productis tam compreffae fint, vt abfecto funiculo nerueo mox data via exprimatur pulpa, monticulumque efficiat obferuante Clar. PROCHASKA [2]).

§. XX.

Opponi quidem poteft, quantumuis glandularis fabrica lento potius humorum motui faueat, quam promouendae eorum celeritati, nihilominus tenues, et aquofos humores per glandulas quasdam fecerni exemplo faliuae in falíualibus glandulis, fucci pancreatici in pancreate fecretorum.

§. XXI.

Haec vtique ita fe habere, dubitari nequit, fed et illud certum eft, alia praefto effe adminicula, quae ex ipfa glandulae ftructura lentum caeteroquin futurum humorum motum, praecipitant, et quae ab encephalo in integrum abfunt, et imprimis liquida fluida fecerni incumbentibus mufculis monet Ill. HALLERUS [1]), demonftrat vero Anatome ita effe locatas faliuales glandulas, vt a variis potentiis mufcularibus poffint agitari, parotis a maffetere, et ab ipfa maxilla alternis vicibus diducta, et adducta: maxillares a biuentribus, mylohyoideis, et ceratogloffis, fublinguales a mylohyoideis, geniogloffis, et maxime ab ipfa lingua, pancreas quoque perpetuo alternam abdominalis praeli actionem experitur: contra in encephalo nihil vnquam mufculofi demonftrari potuit, vnde adparet congeffiffe huc naturam potentiffimas quidem cauffas celeritatem motus fanguinis deftruentes, nullas adjeciffe auxiliatrices.

CAPUT IV.

NEC INCREMENTUM CEREBRI.

§. XXII.

Argumentum ab aequabili cerebri eum caeteris corporis partibus incremento petitum demonftrationis loco habuit Ill. BOERHAAVIUS [1]), dum fibrillarum neruearum cauitatem, et fluidi neruei exiftentiam demonftrandam affumeret, „nullam aliam cauffam proponi poffe vniformis in omni parte corporis humani diftentionis, quae incrementum vocatur, nifi vnam cauffam vniformiter diftendentem omnia, eam cauffam vniformem in aliis partibus corporis humani effe procul dubio cordis impetum uberius liquidum per arterias propellentem, futuram ergo, et in cerebro cauffam augmenti eandem, liquidum nempe a corde in vafa cerebri vberius adueniens, neque enim fi alia cauffa incrementi in cerebro fingularis effet, poffe eadem ratione, et cerebrum augeri, et reliquas partes increfcere; hinc et Ill. HALLERUS [2]) exiftimat non poffe increfcere medullam, fi coeca eft, fi cum carotidibus nihil habet commercii."

Ee 2 §. XXIII.

2) Tract. Anat. de Struct. Neru. fect. II. Cap. V. p. 80.

1) Praelect. BOERHAAVE T. II p. 439. ad notam c.

1) Praelect. Academ. Tom. II. p. 545.

2) In BOERHAAVE l. c. ad notam i.

§. XXIII.

Nimii profecto sunt in hoc argumento Magni Viri, quod vel ideo non multum ornare oportet, cum inde sequeretur, nullam in animali corpore particulam incrementi capacem esse, nisi, quae vasculosa sit [1]), docent vero quotidianae obseruationes, eas etiam partes debita incrementa capere, in quibus nil vnquam vasculosi detectum est: vtique increscit vnguis, qui e Cl. Virorum sententia minime est vasculosus, cur non et medullam, etsi vasculosa non esset, increscere posse credas? quid vetat, quo minus per *protrusionem* fieri statuamus ejus incrementum, vt in vngue fit „ad radicem vnguis, „quae intra cutem delitescit, vascula adhaerent, videturque succus nutrititius solummodo „ad radicem vnguis apponi, atque illa adaucta totum vnguem exteriorem continuo „vrgere, et producere, vt si vngui pone lunulam ope solutionis metallicae maculam „exiguam permanentem inuras, videas, vngue crescente, eam maculam non crescen-„tem sensim magis, magisque antrorsum promoueri, donec tandem extimum vnguis „marginem teneat, et resecetur [2])," an non pari ratione, si vasculosum corticem, coecam vero medullam ponas poterit ejus incrementum explicari? pone vltimos fines arteriolarum minimarum corticalium adhaerere radicibus orientium staminum medullarium solidorum, adhaerebit, his ita positis nutritius succus, in fines arteriolarum delatus pullulantibus inde medullarium staminum radicibus, adhaerens propelletur vlterius a nouo succo ad eum locum perpetuo delato, et priorem particulam a tergo vrgente, haecque perpetua nouarum particularum successione adipiscetur medullaris substantia requisitum incrementi modum: ex quibus patet, etsi arterias vltimas corticis continuas esse solidis fibrillis medullae, adfirmemus, nullo tamen modo vi hujus hypotheseos necessitati nos, vt Ill. HALLERO [3]) videtur, ad adfirmandum sanguinem, aut liquorem sanguini continuum ad fines coecos perductum viam iterare, inque venas reflecti; reflectitur vtique in venas quidquid est sanguinis a succi nutrititii secretione residui, ipse vero nutrititius succus in medullae incrementum impenditur; feratur ergo sanguis ad confinia medullae, certe aliquid ei tribuet, etsi coeca est.

CAPUT V.

NEC ANALOGIA.

§. XXIV.

Ad argumentum venio, quod ceu ex valentissimis vnum pro tubulosa medullae fabrica produxit Ill. BOERHAAVIUS, quodque Cel. MARHERRUS [1]) fuse, ornateque proposuit. „Ante cognitum vasa replendi artificium male negatam fuisse minorum „vasculorum existentiam, male creditum fuisse partes corporis multas exsangues esse et „vasculis carere ex hoc solo fundamento, quod vascula innumera oculorum aciem sub-„terfugerint,

1) Hoc enim, nisi in magno sim errore, inquit Ill. CALDANUS l. c. pag. 165. idem est, ac si dicas, minimam omnium fibram cauam esse, quoniam et ipsa crescit.

2) MARHERR Praelect. Acad. Tom. III. p. 43.

3) In BOERHAAV. Praelect. Acad. Tom. II. p. 541. ad Not. c.

1) Praelect. Acad. Tom. II. p. 329.

„terfugerint, de quibus nos hodie per injectionem certi fumus, male ergo, et nos ne„gaturos medullam peruiam effe ex hoc folo fundamento, quia optimis etiam micro„fcopiis armati oculi nullam in fibrillis medullaribus cauitatem difcernunt, terminum „hic fenfibus noftris a Creatore pofitum effe, at nondum terminum pofitum effe ratio„ni, quae infinitum quoddam amplectitur — dum ergo videmus corticis vafcula in„jectione fenfibilia fieri, et microfcopio luftrata diftincte cerni, dum fcimus ea, quae „fenfibus noftris adhuc patent, nondum in fuo genere minima effe, rationem dictare, „vt concludamus, haec vafcula adeo diftincte fenfibus percipienda nondum effe minima, „effe alia his multo minora, effe talia, quae omnem fenfum fugiunt; dum porro „videmus, cortici vafculofo vbique continuari medullam, eandem ex corticali fubftantia „educi, interfpergi, infinuari, idque certo, conftante, ac diftinctiffimo ordine, etfi „in hac nihil vafculofi cernimus, rationem tamen fuadere et analogiam ab aliis parti„bus deductam non vtique coeca ftamina medullaria ex corticalibus vafculis educi, fed „vafculis hisce inter fenfibilia fere minutiffimis continuari alia his multo minora, et „ob minutiem infenfibilia."

§. XXV.

Errarunt omnino Patres noftri, qui multas corporis partes exfangues crediderunt, quas felices RUYSCHII injectiones meris vafculis fieri docuerunt, an vero nos RUYSCHII induftria ab errore tutos praeftiterit? fi vniuerfum corpus tubulofum fecerimus: male olim creditum eft, omnem corporis particulam neruum accipere, effe fenfilem, quem quidem manifeftum errorem per numerofa Ill. HALLERI experimenta confutatum hodie nouimus, quid fi dies doceret? et nos vafculofam fabricam per animale corpus nimium diffudiffe: vtamur analogia in rebus, quae fenfus fugiunt, concludamus ex fenfibilibus ad infenfibilia, caute tamen, et non absque erroris metu in iis, de quibus intellectui noftro vltro fe offerunt, non facile excutiendae dubitandi rationes, quemadmodum enim indignum eft Philofopho, rerum, quae fub fenfus non cadunt, exiftentiam negare, ita perinde indignum eft, coece femper credere absque feueriore fcrutinio: fi tanta eft analogiae vis, quae perfuadeat vel inuito medullares fibras, quarum cauitas nec nudo, nec armato oculo patet, cauas effe, cur non perfuadeat, et cellulofam telam, et epidermidem, et vngues vafculofae effe indolis? quas tamen partes vafculis deftitui, analogia non obftante, manifefta eft Cl. Virorum confeffio; equidem non diffiteor, analogiam, in rebus, in quibus certitudinem adfequi non licet, aptiffimum effe ad perfuadendum argumentum, contendo tamen, amiffurum id de fuo pondere plurimum, vt primum praefto quid eft, quod fluctuantem animum eidem in integrum confidere vetat, et jam dudum huic analogicae argumentationi diffidit Ill. ALBINUS[1]) „eam, vtcunque confentanea inuentis, et prudens fit, tantum certe, quantum „illa, quae cernuntur oculis, non valere, ad fummum verifimile quid efficere, et ne „verifimile quidem, illud, quod praeter vafa eft, in multis partibus naturae vaforum „valde natura diffimile effe, vt os, cartilaginem, tendinem, ligamentum, neruum, „carnem mufculorum, aliaque mufculofa, medullam cerebri, aliaque, nec perfuadere

 „habitu

1) Annotat. Academ. Lib. I. Cap. XII. p. 52. et Lib. III. Cap. I. p. c. 3 et feq.

„habitu suo posse, non esse diuersum quid a vasis, hinc obstare hanc naturae diuersitatem, quominus credamus vasa esse, quamdiu non constat id inueniri, obstitisse sibi „certe hoc magis, quo attentius non mente, sed oculis intuitus est."

§. XXVI.

Quod si non potuit olim a se impetrare summus Anatomicus, vt inter probabilia locum concederet opinioni, quam argumentatio induxerit, quia res ipsa eam conuellere videbatur, an nos hodie eidem liberius subscribemus? minime sane, praesertim si ad ea, quae nupera Cl. Virorum industria in fabrica cerebri, neruorumque substantia detexit, liberum a praeconcepta opinione, animum aduertamus.

§. XXVII.

Postquam Ioannes Maria Della Torre [1]), Vir in usu lentium vitrearum peritissimus, ad experimenta, cum substantia medullari cerebri, cerebelli, medullae oblongatae, et spinalis, capienda accessisset, deprehendit lentium ope substantias illas nihil aliud esse, quam congeriem innumerorum globulorum pellucidorum in transparente aliquo viscido fluido natantium: globulos illos maximos esse in cerebro, minores in cerebello, et adhuc minores in medulla oblongata, ac spinali, minimos in medullari neruorum substantia: ad haec globulos in cerebro, et cerebello, medullaque oblongata, et spinali promiscue positos esse, in substantia vero medullari neruorum esse in lineas rectas magis dispositos, et fila, aut fibras affectare et in vniuersum eo magis, quo remotiores sunt a cerebro.

§. XXVIII.

Suspicatur porro Cl. Vir, globulos illos et crystallinum eorundem humorem nasci ex lymphaticis, et sanguineis piae matris vasis, in vasis quippe, quae ibi minima sint, aliud esse non posse, quam sacculos valde compressos, qui ad extrema vasorum perducti in ipso suo exitu induant figuram rotundam, nec aliud continere posse, quam lympham [1]), cumque praeterea obseruasset, globulos illos ex innata quadam proprietate lineas rectas affectare, conclusit [2]) in origine filamentorum nerueorum illud ipsum contingere, quod euidenter adparet in substantia glutinosa prodeunte ex ore bombycis, si enim exiguae illi gutullae digitus admoueatur, tum distrahatur, obseruamus continuo produci longum tenuissimum filamentum, quod accedente aeris actione, et caloris majorem consistentiam nactum in filamentum consistens, subtilissimum sericeum transeat, cujus elementa, ne quidem acutissimae lentis ope, conspicua sint: illustrare possint haec Cl. Viri placita sanguinis ad encephalon tendentis vsum, et modum, quo medullaris substantia increscit, et propagatur.

§. XXIX.

Eadem experimenta quoque instituit Cl. Vir, et conjunctissimus Collega noster Georgius Prochaska [1]), et deprehendit ope exquisitissimarum lentium opticarum „tam

1) Nouve osservazioni Microscopiche Napoli 1776.
1) l. c. Capo V. Parte I. Conseguenza vj. et seq.
1) Conseguenza IX.
1) l. c. Cap. IV. de nerv. medulla p. 66.

„tam corticalem, quam medullarem ſubſtantiam immenſa quidem multitudine globu-„lorum conſtare, at vero globulos illos, in pellucido illo, ac viſcoſo liquore, cujus „Cl. Della Torre meminit, natare, ſe non vidiſſe teſtatur, quin potius globulos „illos inter ſe peculiari quodam, ac elaſtico nexu cohaerere, nec adeo ab inuicem ſe-„paratos eſſe, vti globulos rubros ſanguinis tranſparenti ſero innatantes videmus: cum „enim moleculam ſubſtantiae ſeu corticalis ſeu medullaris cerebri, vel cerebelli ſupra „tenuiſſimum vitrum poneret et complanaret, vt apte pelluceret, tunc ope ſelectae len-„tis opticae detegebat eſſe ex innumeris globulis conſtantem, quorum globulorum nul-„lus motus, nullus natatus obſeruari poſſit, vidit, quando illi moleculae gutta aquae „ſuperſtillabatur, vt humectaretur magis ac dilueretur, reperiri quidem hinc inde exi-„guos pulpae flocculos ſeparatos, ſed omnes ex pluribus globulis adhuc cohaerentibus „conſtantes, et rariſſimum eſſe, vt vnus alterue globulus ſolitarius, aut cum vno, alte-„roue conjunctus a pulpa reliqua ſeparatus in aqua natet, eſſe itaque aquam inſufficien-„tem ad diluendum, et debilitandum globulorum illorum vinculum, ſed neque po-„tuiſſe id praeſtare diuturnam licet macerationem: poſtquam enim accepiſſet ejusmodi „flocculum, quem ad parietem vitri tenuiſſimi aqua repleti affixerat, vt commode eum „ab extrinſecus examinare poſſet, etſi dictum flocculum in illa aqua maceraſſet per tres „menſes, et vltra, nihilominus tamen non fuiſſe reſolutum in ſuos globulos, ſed „manſiſſe cohaerentem aeque, ac prius, vnde conclufit, globulos illos non moueri a „cerebro per neruos ad totum corpus, vt Cl. Della Torre voluit, ſed manere per-„petuo ſuo in loco ad vicinos adhaerentes non quidem intercedente aliquo glutinoſo „liquore, ſed tela cellulari ſubtiliſſima, quae ſit propago ſepimentorum membrana-„ceorum a pia matre productorum, et vaſorum ſubſtantiam tam corticalem, quam „medullarem copioſe perreptantium, hac itaque ſubtiliſſima cellulоſa tela globulos illos „medullares non ſolum inter ſe debite cohaerere, verum etiam nutriri probabile eſſe, „et forte etiam ad horum globulorum ignotum munus neceſſaria adminicula per illam „cellularem aduehi, figura globulos illos non exacte ſphaerica, ſed irregulariter ro-„tunda gaudere, nec plane omnes ejusmodi magnitudinis eſſe, ſed differre nonnihil „etiam eodem in loco: obſeruationem Cl. Della Torre, quod nimirum globuli illi „maximi ſint in cerebro, minores in cerebello, et adhuc minores in medulla oblon-„gata, ac ſpinali, et minimi demum in neruis ſint, ſe ſatis confirmatam non vidiſſe, „quare potius credit, eandem fere vbique eſſe, manente tamen ea differentia, quod „vnus prae altero major nonnihil poſſit reperiri, et etiam globulos medullares bouis „cum humanis comparando, vix differentiam ſe reperire potuiſſe.“

§. XXX.

Cedat ergo his frequenter, caute, diligenterque captis experimentis, et obſerua-tionibus, ratio, deſinat ſuadere analogia, medullam cerebri, neruorumque pulpam tubulis conſtare ſtupendae exilitatis, iisque ſpiritu quodam ebriis: non premamus in-grato ſilentio induſtrios Cl. Virorum labores, ſed adfulgenti nouae luci grati oculos aperiamus, quae illud ipſum, quod nobis ratio dictare poterat, quod ſuadere analogia videbatur, tubuloſum eſſe, ex infinitis conflatum globulis oſtendit clariſſime.

CAPUT

CAPUT VI.

NEC VINCULA NERVORUM.

§. XXXI.

Experimentis quoque neruorum cauitates, et neruosi fluidi existentiam demonstrare adgressi sunt Viri clarissimi, quae vinculo neruis injecto nituntur: si neruus, inquiunt, ad musculum pergens ligetur, continuo in eo musculo et motus perit, et sensus, debet ergo aliquid per neruum musculo aduenire, quod illi sensilitatem, et mobilitatem conciliat, quodque nunc ligatura interceptum a musculo arcetur, iterum relaxato vinculo musculum et sensilitatem, et motum recuperare: vellicato infra ligaturam neruo musculum conuelli, vellicatione supra ligaturam facta nullum in musculo motum sequi, aliquod ergo liquidum per neruos moueri, aut certe rationem non esse, cur ligatura musculum motu, et sensu priuet, cur relaxato vinculo sua redeat musculo integritas.

§. XXXII.

Etsi non possumus resistere euidenti oculorum testimonio, quod hujus experimenti, quoties rite administratum fuerit, veritatem confirmat, nequit tamen plus persuadere, quam neruos esse sensus, motusque instrumenta, hinc integros, inque naturali statu per totum sui decursum constitutos oportere esse neruos, vt ministeria motus integerrima, ab animae sede ad destinata loca deferant, vtque vicissim factas in sensoria organa ab objectis externis impressiones purissimas menti repraesentent, minime vero absolute docere videtur, experimentum illud, fluere per neruorum caua subtilissimum liquidum, quod sensoriae impressionis, aut potestatis motoriae vehiculum sit [1]): etenim rem accuratius pensitanti, adparebit, in ea hypothesi, quae solidam ponit neruorum structuram perinde omnia eadem phaenomena, a ligato neruo necessario sequi, ponamus enim, per oscillationes neruorum sensum propagari, et motum, quidni injecto neruo vinculo peribit vterque? peribit sane, quod pulpa neruea mollis, nequidquam resistens ipsi vincienti corpori cedere cogatur, ab eoque diuidi veluti patiatur, quare cum solus neruus sensui, motuique deferendo par sit, necesse est, vt soluta continuitate medullae cadat motoria, aut sensoria impressio in corpus vtrique medullae extremo interjectum, quod nec sensui, nec motui propagando aptum natum est, nam etsi vsque ad vinculi locum oscillationes suas prosecuta sit neruea pulpa, non potuit tamen ex mollissimis ejus vibratiunculis durissimum vinculum in similes oscillationes emoueri, periuit ergo in ipso vinculo omnis illa oscillatio, quae aduenerat per neruum siue ab anima, siue a sensibili objecto, impulsum.

§. XXXIII.

1) Et verissime regessit Ill. Caldani l. c. p. 170. Perit quippe sensus, et motus, etsi paulo serius venis, aut arteriis vinculo interceptis, quamuis in influxu sanguinis arteriosi, aut venosi effluxu non sit caussa efficiens motus, non igitur pari ratione sensus, motusque voluntarii abolitio, quae neruos sequitur compressos, aut resecatos, per neruos ipsos caussam motus efficientem, nempe spiritus fluere demonstrat. Cur enim si sensus, motusque cessat arteriis etiam venisue ligatis, sanguis per arterias, venasque musculorum trajectus caussa efficiens motus muscularis aequo jure constituendus non esset?

§. XXXIII.

Adparet ergo, cur vinculum molliſſimae nerueae pulpae injectum vlteriores ejus oſcillationes, ſupprimat, dum econtra firmae, reſiſtentis, cedere neſciae chordae vibratilem vim infra vinculi locum propagandam nequidquam moratur.

§. XXXIV.

Etſi vero duriſſimam inter muſices chordam, et tenerrimam nerueam fibrillam immanem agnoſco differentiam, non poſſum tamen induci, vt credam nefas eſſe vel minimum tremorem oſcillatorium vt vt molliſſimae pulpae concedere.

§. XXXV.

Conſentientem habeo IOANNEM CHRISTOPHORUM MAJER: quaelibet gelatina (inquit Ill. Vir [1]), vt vt tenuis ea ſit, poſſidet tamen elaſticitatis vim, hanc eandem vim viſcidis aliis ſubſtantiis haud penitus denegandam eſſe, hinc nec medullae cerebrali, elaſticitatis gradus a chalybeata lamina ad aquam usque eſſe valde diuerſos, tametſi vero elaſtica illa vis ſit in corporibus eminenter elaſticis longe manifeſtior, non eſſe tamen eandem a molliſſimis etiam ſubſtantiis penitus alienam putandam.

CAPUT VII.

RESPONDETUR PRAECIPUIS CONTRARIAE SENTENTIAE ARGUMENTIS.

§. XXXVI.

Cum bina tantum hactenus ad declarandam neruorum functionem prolata ſint ſyſtemata, hinc concluſerunt Viri clariſſimi ex demonſtrata impoſſibilitate vnius, alterius certitudinem euictum iri: quod ſi ergo demonſtrari poſſit, neruos vibrantium ad inſtar muſicarum chordarum non operari, poſſe omnino in fauorem ſyſtematis *ſpirituum animalium* longe ſecurius pronunciari: et neruoſe profecto, pro more ſuo, contra factam fibrillarum nerueαrum cum chordis muſicis ſimilitudinem dixit Ill. TISSOTUS [1]) et olim BOERHAAVIUS [2]) et HALLERUS [3]), grauiſſimis ſummorum Virorum argumentis confutatos merito ſe ſentiunt omnes, qui cum GEORGIO ERNESTO STHALIO tenſionem aliquam molli pulpae adeo aduerſam ad oſcillatorios tremores et concipiendos, et propagandos neceſſariam credunt, nos vero non perinde vrgemur, qui quidem tenſionem rigidae fibrae propriam neruis denegamus, nihilominus tamen tremores aliquos etiam cum molli pulpa, conſiſtere poſſe gelatinae exemplo hactenus arbitramur.

§. XXXVII.

1) l. c. p. 53.

1) *Abhandlung über die Nerven, und deren Krankheiten,* Volum. I. Cap. vj. Art. II. p. 213 et ſeq.

2) Inſtit. Med. p. 285.

3) Elem. Phyſ. Tom. IV. p. 361.

§. XXXVII.

Quid? quod vegetabilium analogia opinioni nostrae fauere omnino videatur: etenim tremellae, conferuae, stamina polinifera manifesto tremunt, et tremoris ope nonnullas functiones exercent, quanquam non pro chordis trementibus ab vtroque fine tensis habeantur, cur non et nerui ex singulari quodam tremore operentur? huc vis expulsiua, explosiua in capsulis pluribus seminalibus, in muscis, lichenibus, nonnullis impatientibus, quae cum chordis tensis, elasticisue comparari non solent, sed earum tamen vices explent [1]). Multa quoque animalia et sensui, et motui aptissima mera gelatina sunt, vt polypi, vrticae, medusae, nerui praeterea dum molles sunt, melius agunt, et obtusiores sunt sensus, quando ii per senium obduruerunt [2]), hinc ob majorem sensibilitatem neruei systematis tanta tenellorum infantum in motus conuulsiuos procliuitas, dum enim in hac aetate ob praeualentem fluidarum partium copiam nerveum stamen mollius est, magisque gelatinosum, hinc et suscipiendis a minima etiam caussa vndulationibus aptius fit, quae tamen aptitudo ingrauescente sensim aetate, minuta fluidorum respectu solidorum copia, adeoque exsiccatis neruis perpetuo minuitur, eodem prorsus modo, quo tremula gelatina ad sicci glutinis speciem euaporatione redacta sola fluidae partis jactura fragilis redditur, et contremiscendo non adeo apta.

§. XXXVIII.

Adposite quoque ad rem nostram dixit Cl. Mueller [1]), cujus locum huc transcribere placuit: „alterna strictura, et relaxatio neruorum assumi potest, quanquam non „videatur vel vnum neruorum finem suo puncto affixum esse, vt ideo tensus sit. Lu„minis radius retinam alterat, quanquam mollis videatur, soni portionem mollem „nerui acustici, sed et luminis vis neruis impressa etiam tremorem excitat, sic sonorum „vis in acustico neruo, itaque, et in singulari corpore molli viso tremor oriri potest, „qui vix cogitatur absque partibus solidis in tremorem versis, et soni tactarum chorda„rum cur saepe? si praecipue displicent, et cum hac, vel illa neruorum constitutione „non harmonici sunt, comparantur cum rei cujusdam in sensu morali sumptae, sin„gulari in mente et corpore effectu: neque minus illud, quod quispiam et ad singulas „impressiones et actiones nunc intractabilis, et durus, nunc magis tractabilis et mollis „reddatur, pro ea ratione, quatenus sensiles fibrae nunc e caussis non naturalibus magis „durae, strictae vel flexiles, vel laxae sunt, vel quatenus ea, quae placent, displicent, „constitutionem sensilium fibrarum conseruant, augent, minuunt, et varie mutant: „vel quatenus et consuetudine, vel studio aequalitas actionis, non obstante constitutio„nis fibrae, et mentis mutatione, vel et tenacitas conciliatur. Papillae neruosae vltimi „fines neruorum per adtentionem animi, et ab objecti motu eriguntur, docente id cute „sic dicta anserina, et horripilatione, et modo sensus tactus, qui apposite, et ex analo„gia papillarum neruosarum linguae, labiorum, papillae muliebris, glandis, earum„que actione explicatur."

§. XXXIX.

1) Haasfurther in Delii Aduer. Med. Pract. Collect. V. p. IX.

2) Monroo in Halleri Elem. Phys. Tom. IV. p. 365.

1) in Delii l. c. Collect. p. XX viij.

§. XXXIX.

Objecit Ill. Tissotus [1]) ex obferuatis *Wateri*, functiones omnium vifcerum fluidi cujusdam corporis ope, quod in illis fecernitur, peragi, indeque concludi poffe, functiones cerebri, cujus funt nerui mera propago, eodem modo contingere.

§. XL.

Verum apte reponit Cl. Majer [1]), non poffe omnes animalis corporis functiones fluidorum ope declarari et effe valde probabile, folidis etiam partibus fuas ineffe facultates, fuum agendi modum: quodfi poftremum non obtineret, debere omnes corporis partes ex meris conftare vafculis, cum in qualibet minima etiam corporis parte peculiaris quaedam actio praefto effe poffit: dari vero partes a vafculis adhuc penitus diuerfas feliciffime injectarum partium lotionem, demonftrare. Et folidae vtique funt fibrae telae cellulofae maxime in oeconomia animali vtilitatis [2]), folidae fibrae mufculares, quarum ope fummi peraguntur motus.

§. XLI.

Quaerit porro Ill. Vir [1]), fi nerui canales non funt alicui fluido permeabiles, quemnam habeant nutritionis modum? quaenam in eorundem fubftantiam vafa difpergantur in nutritionem, et incrementum eorundem impendenda? fi neruos a fe ipfis nutriri, et increfcere neges.

§. XLII.

Liceat (pace tanti Viri) dicere: etfi peruios neruofo fluido neruos ponamus, adhuc tamen quaeftionem fupereffe, vnde nutritionem fuam, fuum incrementum iidem fumant, et erit profecto id, admiffa etiam hypothefi eousque quaerendum, quoad probatae fuerint nutrititiae neruofi fluidi dotes, quas ex phyfiologica nutritionis idea cum ftupenda fpirituum animalium mobilitate, fluiditate, tenuitate confiftere haud poffe, hactenus recte concludimus: hinc jam dudum oppofuit fe antiquiffimae opinioni Ill. Hallerus [1]), nutritionem equidem lentiore, magisque vifcido liquore egere, affeuerans, quem fenfus, et motus pofcunt mobiliffimum, adque latera fui canalis quam minime adhaefurum.

§. XLIII.

Quare fi etiam exiftere demus nerueum aliquem fuccum, cum tamen minime probabile fit, eum plaftica illa gelatina, quae ad vafa adhaerendo, nutrit conftare, cumque certum fit nutritione indigere neruos, quorum molliffima elementa longe citius difpareant, quam firmioris alterius partis, neceffe eft aliam nutritionis viam fupereffe.

 § XLIV.

1) l. c. Vol. I. Cap. vj. Art. II. p. 214.

1) l. c. p. 48.

2) Conf. Halleri Elem. Phyf. Tom. I.

1) Tissot l. c. Vol. I. Cap. vj. Artic. III. p. 238.

1) Elem. Phyf. Tom. IV. p. 405.

§. XLIV.

Demonstrat autem accuratior Anatome, vascula rubra vtriusque generis in omnibus neruis conspicua esse, arteriolas in cellulosa tela repere, subindeque surculos emittere pariter ramosos, quorum minutae propagines cellulosa illa spatiola teneriora, filis neruorum circumposita, perambulant: nunc quid vetat, quominus hisce arteriolis nutriendi munus deferamus? negat quidem Ill. Tissotus [1]), vascula illa nutritioni neruorum prospicere, sed in cellulosi vnice inuolucri reparationem ea impendi credit, vtrumque vero ab iis praestari oportet, cum nerueus succus nutriendo impar sit, nec etiam alius superfit nutritionis modus, et ideo numerosa vascula ad haec loca deduxisse videtur natura, quae eleganter expressit Prochaska noster [2]), vt nimirum sufficeret penus, vnde et inuolucra neruorum, et ipsi nerui suum promerent nutrimentum, et est ex Cl. Virorum testimonio gelatinosae omnino indolis vapor in cellulosas cauernulas funiculis nerueis interjectas halans, hinc recte suspicatur Ill. Hallerus, eum vaporem et irrorare et nutrire fibras nerueas, vt alii vapores suam cellulosam telam nutrire videntur.

§. XLV.

Monet et Cl. Isenflamm [1]), distinguendum omnino esse nerueum succum a subtili illo humido in vaginas neruorum exhalante, cujus pars aliqua nutritioni neruorum, pars vero conseruandae debitae eorundem mollitiei inseruit: negat etiam nutritionem succo nerueo absolui Cl. Whytt [2]).

§. XLVI.

Aliud demum argumentum contra solidam fibrillarum nerucarum structuram hunc in modum proposuit Ill. Vir [1]). Si nerui solida corpora essent, inutile fuisse, vt stamina neruea jam in prima sui origine ex innumeris fibrillis constarent, potuisse in ea hypothesi, eorundem in fibrillas variis in partibus requisitam diuisionem locum obtinere, nunc vero subtilissimas etiam neruorum diuisiones jam in ipso neruorum ortu obseruari, omnes neruorum ramos esse tantum quandam separationem, aut diuisionem neruorum, qui vniti, inque vnum collecti usque ad ramificationis inchoatae locum progressi sint.

§. XLVII.

Mihi quidem, si quid in hac re perspicio, videtur hoc argumentum contra solidam neruorum structuram in fauorem liquidi neruei haud multum probare: nam siue a fluido quodam nerueos funiculos permeante, siue a solida eorundem fabrica motus sensusque phaenomena deducere velis, in vtraque certe harum hypothesium, oportet, singula filamenta neruea et in origine, et in progressu, et in fine distinctissima esse, eo, quod motoria potestas a sensorio communi ad determinata loca illibata deferenda esset per determinata filamenta, atque viciffim ex sensoriis organis sensatio cujuslibet filamenti

1) l. c. p. 239.
2) l. c. Tab. viij. Fig. XII.
1) *Versuch einiger praktischen Anmerkungen über die Nerven* p. 30.
2) *Beobachtungen über die Natur, Ursachen und Heilung der Krankheiten der Nerven* p. 7.
1) Tissot l. c. p. 241.

menti ab omni alterius filamenti sensatione integerrima ad sensorium commune derivanda: cellulosi inuolucri fibrillas et inuestientis, et separantis idem quoque finis est, siue neruos fluidi cujusdam interuentu, siue vt solida corpora operari ponas, est scilicet illud euidentissime factum, vt mutuam fibrillarum in se inuicem actionem praecaueat, vitetque confusas secus futuras sensationes, et videtur sane cellulosi hujus inuolucri praesentia pro solida fibrillarum structura magis, quam pro caua militare, quod vnius fibrillae oscillatio alteri contiguae facilius potuisset communicari, quam fluidum v. g. per fibrillam *a* latum, fluidum aliud in proxima fibrilla *b* contentum ad analogum motum determinare.

SECTIO II.

CAPUT I.

AN SPIRITUUM ANIMALIUM HYPOTHESIS CUM PHAENOMENIS MOTUS MUSCULARIS CONGRUIT?

§. I.

Musculus (inquiunt) neruosi laticis patroni jam paralyticus illico in contractionem cietur, si nerui resecti extremum scalpello, vel alio modo irritetur, licet ipse neruus irritabilis haud sit, licet in neruo nullam mutationem sensibilem contingere aduertas, neruo tamen vellicato statim musculus conuellitur, in quo nullam amplius motus facultatem superesse suspicatus fuisses.

§. II.

Demus iisdem quod volunt, et lubentes demus, neruum ab ipso resectionis loco ad finem usque suum, quo in musculum demergitur, esse neruoso fluido turgidum, hercle! ne in hac quidem hypothesi rationem reddiderint phaenomenorum, quae non proteruum quemdam, sed ne facilem quidem, nec ingenuum animum conuincat: ita ex e. g. praescissa medulla spinali, dum animal quasi fulmine tactum concidit, et omnes infra occiput musculi corporis in momento resoluuntur, si stylo ferreo, vel cultro, pars discissae medullae inferior, quae colli vertebris comprehenditur, irritetur, mox omnes totius corporis musculi, exceptis iis capitis, contrahuntur, et horrendis conuulsionibus agitantur, et si idem fiat in occipitali medulla, omnes musculi capitis perinde afficiuntur: oportet ergo ex Cl. Virorum theoria ab adplicato cultri stimulo liquidum neruеum impetuosius in omnes neruos determinari, qui vniuersos sub capite positos musculos adeunt.

§. III.

Meditemur quaeso, quantum sit in hac theoria, precarii: docent vtique alias Viri Cl. ad irritationis locum majorem fieri neruosorum spirituum adfluxum, fluidum nerueum lege reuulsionis, et deriuationis regi [1], quare cum in prolato experimento irritatus locus sit perscissae spinalis medullae portio inferior, huc potius credas

1) Haller Elem. Phys. Tom. viij. inter Addend. p. 193.

credas refluere debere contentos in fistulis nerueis spiritus, quam ab ipso irritationis loco celerrime fugere ad dissitas alias corporis partes. Mirum sane, quod fluidum neruenm deriuationis, et reuulsionis leges in hoc casu non sequatur.

§. IV.

Cum ergo certum sit, irritata disciſſae medullae parte inferiori conuelli totius corporis musculos, exceptis musculis capitis, cumque a neruei liquidi influxu incongrue hujus phaenomeni ratio deducatur, sequitur aliam omnino esse debere, et videtur certe per solidam neruorum substantiam natus ab irritatione scalpelli mechanica, motus, propagari, quocunque demum modo, id contingat [1]).

§. V.

Non possum hoc loco dissimulare experimenta ab Ill. HALLERO [1]) instituta, quae spirituum animalium hypothesi parum omnino fauere videntur.

Aperto thorace neruus phrenicus sub loco presso irritatus est, tamen diaphragma tremuit: deinde neruum sursum strinxit, nullus inde motus in septo secutus est, strinxit deorsum, perinde siluit nobilis musculus, strictus, et irritatus vtique tremorem excitavit [2]). Obseruauit ergo falsum esse septum transuersum in motum agi, si neruus deorsum stringatur.

Denuo neruum compressit, sub loco compressionis irritauit, fecit, vt diaphragma conuelleretur: supra sedem compressionis neruum lacessiuit, nullus inde in diaphragmate motus secutus est, et eundem euentum fuisse experimenti a Cl. OEDERO instituti, notat. Strinxit sursum, et dum stringebat, sub stringente digito irritauit, conuulsum est. Strinxit deorsum, et sub digito stringente neruum fodicauit etiam in motum diaphragma actum est, non melius tamen, sed potius debilius. Tenso neruo, dum irritatur, motus fortior sequitur, quam laxo. Strictura sola nunquam motum produxit, siue sursum digitum duceret, siue deorsum [3]).

Neruum irritauit egit diaphragma, vt musculi solent, compressit, demum supra compressionem irritauit, nullus in septo transuerso motus secutus. Irritauit infra sedem compressionis, diaphragma contractum est. Quietum digitum tenuit, et superius neruum irritauit, siluit diaphragma, digitum sursum duxit, deorsum neruum strinxit, nullus vnquam motus natus est [4]).

Sub compressione neruus irritatus aeque validam ciet actionem musculi, quam liber [5]).

Resecuit

1) Cl. VNZERUS demonstrare nititur ex quodam experimento SCHLICHTINGI, neruos tensionem aliquam, et contractilitatis vim possidere, quam tamen Cl. Vir non pro sequela quadam eorundem elasticitatis, sed cujusdam sensilitatis habet, quae mechanicis motus legibus nullo modo regatur: hac etiam vtitur ad explicationem temperamentorum: tametsi externi stimuli in neruo nihil mutent, non tamen propterea sequi, non posse ex cerebro, aut aliunde specificum quemdam stimulum in fibrillas nerueas exerceri.

Allgemeine deutsche Bibliothek, des dreyzehnten Bandes erstes Stück p. 6.

1) Op. Min. Tom. I. p. 365.

2) Exp. CLXXIV.

3) Exp. CLXXV.

4) Exp. CLXXVI.

5) Exp. CLXXVII.

Refecuit neruum diaphragmaticum, et irritauit, ita aeque bene in conuulfionem diaphragma duxit, ac quidem duxiffet integer [6].

Bina ex his experimentis corollaria deduxit Ill. Vir.

Primo: His confirmari neruo mufculi alicujus preffo, ligato, refecto, vt nullum cum cerebro commercium fuperfit, dum neruus recens fit, ac humidus, irritationes ejus nerui a cerebro nunc feparati eundem motum in mufculo producere, quem ciet idem neruus, quando cum cerebro cohaeret.

Secundo: Ex experimentis CLXXIV. V. VI. conftare praeter verum ad confirmandos animales fpiritus diaphragmatici nerui experimenta ornata effe: nempe non verum effe, ftricturam, quae deorfum fit, motum in diaphragmate excitare.

§. VI.

Haec porro cuncta ferio, dum mecum reputo a grauiffimae auctoritatis Viro, Phyfiologo fummo, relata, de cujus intemerata in narrando, fcribendoque fide, fumma in experiundo, atque obferuando dexteritate, induftriaque ambigere piaculum fit, incipio plus, quam vnquam alias vereri, ne in horum phaenomenorum declarando modo, ad *fpirituum animalium* hypothefim licentiofius, quam verius prouocem.

§. VII.

Et fane fi neruum cauum ponas, fi ponas eundem tota fui longitudine a fede compreffionis in mufculum usque nerueo liquido repletum, et ab ejus in mufculum influxu motum repetas, dic, cur nerueum illud liquidum in experimentis HALLERIANIS, ftringentis digiti preffionem paffum, qua veluti neruus emulgebatur, non fugerit in locum minus refiftentem mufculum videlicet, eumque in contractionem egerit ocyffime? cur nec in hoc quidem cafu communibus fluidorum legibus neruofus latex obtemperauit?

§. VIII.

Sed etiam ad repetitas irritationes, ligatus et mechanico vellicatus ftimulo neruus, mufculos, quos fub ligaturae fede adit, conuellit: nunc vel impenfa eft in conuulfiuo illo mufculi motu a prima nerui irritatione excitato omnis ea liquidi neruei dofis, quae neruo infra fedem vinculi, et conuulfum mufculum continebatur, vel non eft impenfa? fi primum, vnde, dum ad alteram irritationem conuellitur mufculus, unde, inquam noua aduenit? fi alterum, cur mufculus conuelli definit, non amplius conuellendus, nifi ad repetitam noui ftimuli adplicationem?

§. IX.

Si dicas, non omnem liquidi neruei quantitatem ad primam irritationem in mufculum fluere, fed remanere adhuc aliquam nouo ftimulo obtemperaturam, aliquid poftulas citra demonftrationem, hypothefim nouam priori extemplo addis vnam adeo parum firmam, atque alteram.

§. X.

6) Exp. CLXXVIII.

§. X.

Credant enim, per me licet, illi, quos amati systematis necessitas dudum ad credendum induxit, in ligatis, in resectis neruis, musculisque etiam plusculo a morte animalis tempore hospitari, et delitescere animales spiritus, credant eosdem etiamnum dissecti, et inter duo lintea detersi cordis tripudia producere, mihi sane veniam dabunt aequi, qui credere nequeo posse volatilissimum, mobilissimum, fugacissimum spiritum ita figi, vt in ligato animalis viuo neruo, in eodem resecto, quin et in neruo e cadauere exempto aqua eloto, detersoque per horas, quin et dies commoretur: vsque adeo ergo propriorum dogmatum amore capti caecutiemus? vt, dum, in tot aliis exemplis clare videmus vbique in vniuerso corpore volatilissima, subtilissima humorum principia cito euanescere, dissiparique, illud vnicum, quod fugacitate, mobilitate, pernicitate summa caetera omnia longissimo post se interuallo relinquit, tamdiu neruo coerceri putemus, quoad ejus praesentia, efficaciaque ad reddendam phaenomenorum quorundam rationem, indigemus.

§. XI.

Ne vero primus omnium ego in tanto ita sentientium numero nimium videar incredulus, proferre juuerit Ill. Virum Felicem Fontana, qui se jam dudum incredulitatis hujus reum fecit [1]): proferre juuerit Robertum Whytt [2]), qui solidis argumentis contra influxum liquidi neruei in fibrillas musculares ceu caussam motus muscularis pugnauit, ex quibus vnum, quod caussae meae maxime accommodum sit, depromam. Regularis illa, inquit Cl. Vir, contractio cordis ranarum, quae quinque, sexue horis a detruncato capite, a destructa medulla spinali, et dimidia ab exempto corde hora, adhuc perennat, euidenter demonstrat influxum liquidi neruei in musculos ad eorundem contractionem non requiri, cum etsi credi possit, residuos in neruis cordis animales spiritus, paucas adhuc aliquas hujus musculi systoles caussare, eos tamen nullatenus millenis aliquot contractionibus ciendis sufficere posse.

CAPUT II.

NUM IN EXPLICANDIS PHAENOMENIS SENSUS RECTIUS AD FIBRILLAM NERVEAM UT SOLIDAM, QUAM CAVAM, ET FLUIDO ELEMENTO GRAVIDAM CONFUGIENDUM SIT.

§. XII.

Dum ea, quae in sentiendo fiunt, curatius meditamur, occurrunt sane plurima hujusmodi, quae intelligentiae nostrae modum excedunt, et quorum verae rationes perpetuo forte nos latebunt, sic v. g. musca, aliudque insectum cutem nostram perreptat, sentimus vtique illud in diuersis successiue cutis punctis existere et tamen certi sumus, mutationem illam a perreptante insecto papillis cutaneis inductam ad sensorium commune propagari debere, vt ab anima percipiatur, quia si quod obstaculum est in itinere

1) Differt. Epist. in Tom. II. Memoires sur les parties sensf. et irrit.

2) l. c. p. 5.

itinere nerui ejus cum cerebro commercium tollens, nulla percipitur ſenſatio, etſi obiectum externum in papillas cutaneas viuidiſſime agat.

§. XIII.

Quaeritur jam, vtrum ſenſatio illa ad cerebrum peruenire poſſit per tremores pulpae nerueae eo ſenſu acceptos, quo alibi declarauimus [1]), vtrum vero per fluidi neruis contenti velociſſimum motum: poſteriori ſententiae opponi poſſunt ea omnia, quae de hypotheſi fluidi neruei hactenus diſputauimus: vnde jam Ill. Vir IOAN. AUGUST. UNZER [2]), qui quidem *ſpirituum animalium* ſyſtema adſumpſit, eorumque munia in animali machina definiuit, negauit reperiri in iisdem eas proprietates, quae ſiue ad recipiendas, ſiue ad propagandas ſenſorias impreſſiones requiruntur [3]).

§. XIV.

Et procul dubio, qui per nerueum fluidum ſenſorias impreſſiones deferri ſtatuunt, ii quidem proprietates liquidi hujus indoli parum congruas adſtruere coguntur: ita Ill. BOERHAAVIUS [1]) opinatur, omnes neruorum fiſtulas pleniſſimas eſſe, vt impulſione in vno extremo vaſis facta, extremitatis alterius globuli eodem momento temporis moveantur, quemadmodum nouimus, ſi globuli eburnei in longiſſima ſerie ponuntur, dum impellitur primus absque ſucceſſione obſeruabili aufugere ultimum.

§. XV.

Sed quis, quaeſo, paritatem ſuſtineat ab eburneis elaſticis globulis ad incognitam, liquidi nedum demonſtrati naturam, ductam? minime ſane omnium is, qui Ill. BOERHAAVIUM [1]) liquidum nerueum puriſſimae aquae miſcibilitate, mobilitate, abſentia elaſticitatis maxime conuenire ſcribentem legit, et Cel. MARHERRUM [2]) probantem, non elaſticum eſſe nerueum fluidum, cum nulla in omnibus neruis elaſticitatis phaenomena ſe prodant, nulli tremores obſeruentur, quos mollities medullaris ſubſtantiae non admittit.

§. XVI.

Quod ſi igitur elaſticam naturam a nerueo ſpiritu ſerio arbitrantur alienam, cur tamen effectus quosdam ab eo praeſtolantur? quos a nullo alio, quam ab elaſtico corpore proficiſci poſſe, certo nouimus: et in eo etiam vehementer excedunt VIRI CL., quod ſentiendi poteſtatem putatitio liquido vnice ita deferre videantur, quaſi nullae forent in ſentiendo medulloſae pulpae partes.

§. XVII.

Si liquidum nerueum machina eſt, per quam ſenſuum nuncii ad animam deferuntur, ſi nerui ſaltem ſentiunt, et dolent, tanquam canaliculi fluidum ſuum vehentes etiam

1) Sect. I. Cap. vj. §. 34. 35. et Cap. vij. §. 36. et ſeq.

2) *Erſte Gründe einer Phyſiologie der eigentlichen thieriſchen Natur, thieriſcher Körper zweytes Kapitel, erſter Abſchnitt* p. 17.

3) l. c. p. 51.

1) Praelect. Academ. II. p. 605.

1) Inſtit. Med. p. 277.

2) Praelect. Acad. Tom. II. p. 385.

etiam ex Ill. TRALESII placitis [1]), ſi non ſolidorum ad modum funiculorum nerui tenſi ſunt, neque oſcillant, cur tamen in danda doloris, ſeu ſenſationis auctae idea ad ſolidam neruorum ſtructuram, quin et tenſionem manifeſto confugiunt VIRI CL.? eſt incapax omnis tenſionis neruus, et tamen idea doloris fit, quando fibra neruea cerebro orta ita extenditur, vt diſſolutionem minitetur, eſtque eo acrior dolor, quo fibra rupturae propior, eo autem mitior, quo naturali eſt tenſioni propior [2]), non oſcillant nerui, et tamen neruos in lamina ſpirali cochleae oſſeae diſpoſitos oſcillatorios motus, et harmonicos tremores concipere, ſicque auditum fieri pronunciauit [3]): et admodum probabile eſſe a ſonis acutioribus agitatam celerius membranam tympani chordam tympani in ſimiles tremores conjicere [4]), neruos eo magis ſentire, quo ſunt magis tenſi [5]), ſed et magnam differentiam ſenſibilitatis ex temperamentorum, aetatum, ſexus, conſuetudinis diuerſitate pendere, idque ipſum fibris ſolidis quoque ſaucre [6]).

§. XVIII.

Non poſſum ſilentio praeterire elegantiſſimam Ill. HALLERI ſpeculationem, quam contra naturam fluidam principii ſentientis vim habere agnouit [1]). „In ſenſatione, in„quit, premitur nerui medulla, ſiue ea ſenſatio acris corporis ſit, ſiue ferri, facile „video ſolidam mei corporis partem reſiſtere ferro, diuiſamque pati, vt non mirum „videatur ſentire me id, quod pars mei patitur. Contra ſi partes quidem ſolidas no„ſtras inſenſiles feceris, ſenſumque adeo poſueris in quocunque fluido, quod iis, quaſi „non tuis, membranis continetur, tunc quidem preſſa medulla vrgebit fluidam partem, „aeque non tuam, aeque non ſenſilem, vt certum eſt, nullum in ſanguine, aut chylo, „aut alio humore animati corporis ſenſum eſſe, fluxile enim eſt id omne humorum „genus, mutabile, quod diſpereat, et perpetuo alia, et alia materia ſuppleatur, per„que corpus noſtrum peregrinetur potius, quam habitet, quod ſub ictu fugiat expedi„tum, paruamque ejus vim ſentiat, ſed etiam memoria ſenſuum impreſſiones oſtendit „eſſe in firmis partibus.“

Conatur porro objectionem hanc diluere Ill. Vir, dum inquit: „Et tamen videtur „apte reſponderi poſſe, quantum ad perſuadendum hominem ſolius veri cupidum ſuffi„ciat: in ſenſu quidem non contrahitur quidquam neque in ſenſorio, aut in neruo ſen„tiente, qui in ſenſorio eſt, aut in eo quam longe a ſenſorio ad cerebrum protendi„tur, quidquam mutatur praeter illam primam preſſionem, quae fit in vaſculum, ſiue „malis in pulpam medullarem ſpiritu turgidam: non ibi nunc ſenſus oritur; ſed ex „lege inſita id fluidum ad cerebrum recurrit, preſſionemque, quam paſſum eſt, in ſede „animae repraeſentat, ſiue ibi ſolidam aliquam monadem humanam ſentientem ferit, „ſiue ſtatutum eſt diuina lege, vt preſſio ejus fluidi animam mutet, quando ad ſuum „definitum

1) Vſus opii ſalub. et nox. in morborum medela p. 223.

2) BOERHAAVE de Cognos. et Curand. Morb. p. 165.

3) Idem Praelect. Academ. Tom. IV. p. 405.

4) MARHERR Praelect. Acad. Tom. III. p. 310.

5) GIRARD in HALLERI Elem. Phyſiol. Tom. IV. inter addend. p. 168.

6) CRAMER in SANDIFORT Theſaur. diſſert. Vol. I. p. 145.

1) Elem. Phyſ. Tom. IV. p. 369.

„definitum locum venit: ferit argumentum eos, qui animam in sensus organo sentire „credunt, nos non ferit, qui in cerebro credimus sensuum impressiones menti repraesentari.“

§. XIX.

Sed profecto eos etiam id argumentum ferit, qui in cerebro credunt sensuum impressiones menti repraesentari, quod si enim medullaris pulpa possit in sensorio organo primam illam ab objecto externo factam impressionem recipere, si possit delata ad sensorium commune impressionum vestigia euidentissimo memoriae exemplo retinere, cur non possit quoque easdem impressiones propagare absque subtilissimi cujusdam liquidi ministerio? et quo demum jure nerueam pulpam in ipsa sui origine, fineque recipiendis externarum rerum impressionibus manifesto aptam esse, per vniuersum vero reliquum sui decursum hac aptitudine destitui eandem asseremus?

§. XX.

An non igitur in declarando sensationis modo ad fibrillam solidam potius, quam cauam confugiendum est? an non merito fibram sensilem statuere licet? vti fibram irritabilem nouit medicina, qua illa mutatio in sensorio organo nata neruis communicata continuetur, vt suae rei compos possit fieri homo [1]).

CAPUT III.

NON EST ELECTRICA FLUIDI NERVEI NATURA.

§. XXI.

Parum quidem refert quaerere de indole fluidi, cujus existentiam nullis certis argumentis euictam esse hactenus vidimus: cum tamen excultam olim ab Ill. Fr. de SAUVAGES [1]), non infimae auctoritatis Viro de electrica fluidi neruei natura doctrinam, nuperus non inelegans theoriae sensuum scriptor, CAJETANUS POOR [2]), Schol. Piar. denuo propugnandam adsumeret, adque commercium animae, et corporis explicandum nil vnquam electrico fluido opportunius censeret [3]), non omnino a proposito meo alienum esse duxi, et hanc quaestionem leuiter attingere.

„Fluidum nerueum,“ inquit Exim. Vir, pro electrico habendum esse ipsam analogiam suadere, summa sua subtilitate, aeque, ac celeritate, qua eodem momento „et motum ciere, et quietem simul inducere potis est cum fluido electrico quidpiam „commune habere, vadere fluidum electricum pernicitate incredibili per longam, et „tortuosam corporum interjectorum seriem, quae per ipsam quoque aqueam substantiam continuetur, idem euenire fluido nerueo, cum praeterea imminuto nerueo fluido sensatio ipsa minuatur et impediatur simile quid euenire in electricitate.“

Ad haec „innumeris, et pene quotidianis obseruationibus comprobatum esse [4]) „aquis mersos, et animi deliquio affectos, aut etiam quocunque alio modo adparenter

 mortuos

1) LOBSTEIN in SANDIFORT Thesaur. Dissert. Vol. I. p. 354.

1) Elem. Physiolog. p. 129.

2) Theoria sensuum Pestini 1781.

3) l. c. p. 31.

4) l. c. p. 27.

„mortuos vel solo vehementiore motu, et adfrictu ad vitam fuisse reuocatos, quoniam „vero frictione, tusione partium corporis humani electrica etiam vis excitari solet, „occultis, tacitisque naturae actionibus in corpore humano electricas quasdam operatio- „nes peragi, et membra solo adfrictu pristinum recuperare vitalitatis suae statum mani- „festum esse: sed et sola electricitate variorum membrorum vsum fuisse restitutum, „restitutam visionem."

§. XXII.

Etsi multa prima fronte inter fluidum, quod neruos permeare creditur, atque electricum videatur intercedere analogia, non est tamen ea sufficiens, ex qua ad identitatem naturae vtriusque elementi certitudine physica concludamus; et quidem ipsae leges, quibus electrica materia regitur, praebent manifestum et omnimodum inter bina haec elementa discrimen [1]), phaenomena electricitatis pendent a turbato aequilibrio fluidi electrici, quod, cum corpora relate ad fluidum electricum in diuersis statibus constituta, sibi inuicem admouentur, ad restituendum hoc aequilibrium ab vno corpore in aliud, aut vicissim cum impetu irruit [2]). — Sed solide demonstrauit Illustr. HALLERUS [3]), fluidum, cujus ea sit natura, vt ex sede, in qua illud abundat, in alteram, in qua parcius continetur, summo impetu ruat, non posse vllo pacto ad explicanda animalis motus phaenomena adplicari: pone nunc, inquit Ill. Vir, pone neruum ischiadicum electrica materie „plenissimum, pone te velle solum hallucem mouere, et „vere mouere necesse est in neruo hallucis minus, quam in trunco electri fuisse, hinc „ex trunco in eum ramum nerueum fluxisse electrum, ita vero nullo modo fieri potuit, „vt is torrens solum in hallucem tenderet, neque perinde in omnes alios musculos pedis, „quorum rami neruei perinde ante voluntatem quieti pariter minorem habuerunt electri „copiam: parem enim si nunc acciperent, pariter, vt hallux in motum agerentur, „parcius si antea habuissent, non potuerunt quiescere: dein omnem materiem, anima- „lem ex eo genere esse corporum, quod per communicationem electricam naturam „accipit, et omnes animales partes pariter esse ad eam recipiendam aptas: nunc pone, „aut neruum ischiadicum aut musculum plenum esse electrica materie, et ad motum „concitatum, eam certe materiem, vndique nullis coercendam limitibus in circumposi- „tum adipem in vicinos musculos se diffusuram, donec aequilibrium natum sit."

§. XXIII.

Nunc quomodo, quaeso, potuit elementum, quod mechanicis aequilibrii legibus adeo euidenter obtemperat, voluntatis imperio subjacere? sed et illud certum est, electricum fluidum corpus humanum peruadere, neque vllum motum in musculo vllo excitare, donec e corpore exeat, alterumque hominem non electricum offendat [1]) [2]).

§. XXIV.

Per toties repetita experimenta, ligato neruo perit sensus, et motus partis, ad quam neruus tendit, cur autem periret? si sensorium, atque motorium principium fluidum

1) TISSOT l. c. Cap. VI. Art. VI. p. 302.
2) BIVALD Phys. Part. Edit. II. p. 322.
3) Elem. Phys. Tom. IV. p. 380.

1) TISSOT l. c.
2) HALLER l. c.

fluidum electricum eft, nam certe ligatura catenae in experimentis phyficis materiae electricae propagationem nihil remoratur [1].

§. XXV.

Diffecto neruo abrumpitur quoque omnis fenfus, aut motus continuitas: chorda vero neruea ea gaudens proprietate, vt electricitatem communicare queat, electricam fuam vim non amittit, fi modo fectae extremitates ad fe inuicem jungantur, et contiguae reddantur [1], quin imo non minuitur electricitatis efficacia, etfi diffecti conductoris extremitates a fe inuicem remoueantur [2].

§. XXVI.

Et nunc merito adhuc quaeri poteft, quomodo aut molli encephali pulpa, aut debiliffimis neruorum parietibus coerceri electricum fluidum poffit, quod fulminea rapiditate per folidiffima obftacula fugit, quod rigidiffimas e ferro catenas fine difficultate permeat [1].

§. XXVII.

In eo quidem effugium quaefiuit [1], electricam videlicet materiem omni vehiculo deftitutam, nullis vtique conftringi limitibus poffe: at quoniam per exiliffimas aqueas particulas protenfa, et iis intime vnita eft, cur neruis coerceri, et fraenari non poffit, fe haud videre.

§. XXVIII.

Etfi non omni probabilitate eam fpeculationem carere, credere poffis, nec fic quidem omnis prorfus dubitatio excuffa eft, etenim fi particulis aqueis ita ftatuas intricatum electricum fluidum, vt nulla fui manifefta indicia prodat, fed in fixitatis, fiue inertiae ftatum redactum fit eo nimirum tempore, quo neque fenfuum, neque motuum voluntariorum exercitium adeo viget, vt primum tamen illud ipfum fluidum vel ab anima voluntarii organi actionem jubente, vel ab objecto in fenforium organum, impreffionem ciente, e Cl. Virorum praeceptis in motum ageretur, tunc excitatus ipfo hoc motu electricus ignis, vinculis fuis folutus, ab aqueis particulis liberatus, difpergeretur quaquauerfum, fubtiliffimos, quibus antea coercebatur, canales praeterfugeret, mentis imperia eluderet, non certe eo, quo anima poftularet modo, fed quo ipfae ejus proprietates exigunt, quo aequilibrii leges pofcunt, operaturus [1].

§. XXIX.

1) Marherr Praelect. Acad. Tom. II. p. 564.

1) Le Cat in Martin l. c.

2) Tissot l. c.

1) Marherr l. c.

1) Auctor, cui titulus de Neru. in Mufcul. actione differt. Reg. Acad. fcient. Berolin. exhibita in Poor. l. c.

1) Elegantiffime omnino in hanc rem Cl. Herbert *Theor. Phaenomen. electric.* pag. 160. Cum multa fint, quae fluido electrico cum fluidis elafticis exiftunt communia tum illud maxime, quod hoc fegne quandoque, et iners nullo exteriore figno manifeftum corporibus inhaereat, alias vero nouam velvti vitam, viresque adeptum, fingularibus, quin in expectatis faepe effectis fe prodat, et vero quadrat in fluidum elafticum duplex

hujusmodi

§. XXIX.

Historiae hominum, aquis mersorum animi deliquio adfectorum, aut quocunque alio modo adparenter mortuorum, atque solo vehementiore motu, aut adfrictu ad vitam reuocatorum, pro comprobanda electrica motorii et sensorii principii natura adferri non debent, eo quod ex irritabilitatis systemate faciliorem, quam e doctrina electricitatis explicatum habeant: deme irritabilem cordi naturam, et continuo moueri desinet petulantissimus caeterum musculus: tolle influxum sanguinis venosi in ejus caua, vtut irritabile cor stimulo tamen suo destitutum perinde quiescet; et posterior hic casus est hominum aquis mersorum, syncopticorum, et in vniuersum vitam minimam viventium.

§. XXX.

Infla nunc in syncoptici nares acrem euphorbii puluerem, instilla ammoniaci salis spiritum; acerrimum Nicotianae fumum in anum mitte, dolorem excita vehementem, frictiones, percussiones, validosque strepitus adhibe, omnium sane horum effectu concussi nerui, musculos, quos adeunt in actionem agent, qui in agendo tumentes, contentum venis sanguinem, in coagula pronum, aut coagulari ceptum mouebunt, fluidiorem reddent, eundemque ob valuulas regressum impedientes ad cor pellent, quod cum irritabile sit ab adueniente stimulo sollicitatum, se contrahet, humores denuo in circulum ducet, aderit, quae abesse videbatur, vita: id jam dudum Boerhaavius animaduertit, docuit Swietenius, inculcauit Hallerus, est ne alia theoria opus?

§. XXXI.

Neque etiam inficias eundum est Cl. passim Virorum obseruatis constitisse, non infrequenter prudenti succussuum electrinorum administratione curatas fuisse paralyticas neruorum resolutiones [1]), epilepsiam, choream St. Viti, tetanum maxillae [2]), sed et amauroseos electricitate, aut prorsus, aut aliquatenus saltem sublatae plura obseruata collegit Cl. Trnka de Krzowitz [3]).

§. XXXII.

At vero minime ex his omnibus ad electricam sentientis, et motorii principii indolem certa fluit conclusio: pone e. g. caussam *a* effectus *b* vero productricem: pone eandem caussam *a*, quae effectum *b* alias toties produxit, nunc extemplo impediri, siue producendo effectui *b* imparem factam esse, an si per adplicationem caussae *c* ad caussam *a* eandem generando pristino effectui denuo effeceris aptam, tuto semper concludes

hujusmodi status, vt cum aliorum corporum attractione irretitum velut, ac vinctum est nil de hujus efficientia, quin ne de existentia quidem noscamus, quum vero dein suis veluti vinculis et carceribus liberatum vires elasticas recuperat, tum demum aperte in sensus incurrat, nostramque sua saepe vi expectationem superet, excitet admirationem: certe aeris, qui in puluere pyrio nondum inflammato segnis, et iners irretitur eas vires, quibus tanto fragore liberatus omnia disjicit nemo est, qui ante Halesium vel fuisset suspicatus.

1) Bohadsch de vtilit. Electrisation. in Arte Med. Cap. IV. p. 20.

2) de Haen Rat. medend. T. III. p. 202.

3) Historia Amauroseos Part. II. Sect. Cap. VI. p. 559. et seq.

eludes caussam *c* esse ipsam caussam *a* aut cum caussa *a* prorsus eandem? Nemo sane probauerit hanc philosophandi rationem.

§. XXXIII.

Sed ita omnino argumentari videntur, qui ex eo quod paralyticis artubus quandoque intermissum motum restituerit electricitas, eandem motuum voluntariorum caussam esse stabilire contendunt.

§. XXXIV.

Quis ferat hunc illationis modum? cor irritatur ab externo aeris tactu, inde fit, vt animali, cui nullus in corde motus superest, pectus apertum cordi motum reddat [1]), ergo aer est caussa naturalis motus cordis, sed hujusmodi omnino illatio est sequens: electricitas quandoque ad intermissos motus musculos prouocauit, ergo electricum fluidum est caussa naturalis motus musculorum.

§. XXXV.

Paralysis equidem caussas vel in substantia nerui, vel in neruorum inuolucris haerere posse communis est Pathologorum doctrina, priores sublatu difficiliores, posteriores faciliores esse: imo illas solum paralyses, quarum caussae non haerent in ipso neruo, sed in membranis eum ambientibus curabiles esse, probabilis ad modum Ill. v. SWIETEN suspicio est [1]).

§. XXXVI.

Age jam, et admoue machinae electricae brachium, pedemue, cui voluntarii motus potentiam sustulit vapor in cellulosa tela, quae funiculos nerueos ordinat in aquam coeuns, vel etiam in substantiam aqua lentiorem [1]) [2]), vel admoue eidem machinae artum ab obstructis inuolucri neruei vasis paralyticum factum, nunc pone te a caute repetitis electricis ictibus motum eidem restituere, cui restituendo tot efficacissima alia remedia incassum antea in vsum vocasti: quid inde porro sequitur? non aliud profecto, quam solum electrici fluidi torrentem minima quaeuis corporis nostri permeantem velocissime potis fuisse stagnantes in iis partibus humores, et resoluere, et mouere, ad quas omnibus aliis remediis vtut celebratis non facilis dabatur salua eorundem virtute accessus: num igitur ideo electricum elementum pro motorio principio habebis? quod caussas tollendo, functiones neruorum impedientes, agat? num ideo pro principio sensorio venditabis? quod quandoque amaurosim ab infarcta vasculosa retinae membrana inductam feliciter depulerit.

1) HALLER Elem. Phys. Tom. I. p. 469.

1) Comment. Tom. III. p. 359.

1) COTTUNIUS de Ischiade Neruosa p. 34.

2) ISENFLAMM l. c. p. 79.

XV.

ALBRECHT THAER DE ACTIONE SYSTEMATIS NERVOSI IN FEBRIBUS.

GOTTINGAE 1774.

§. I.

Theoriae.

Scientia medica, humanarum omnium praestantissima, jucundissima, vtilissima a mortalibus, cum praeter morbos mortemque nihil magis timerent, a rerum fere initiis summo studio exculta est. Veteres experientia duce in inuenienda perficiendaque ista vsi vnice, quantum lucis rei medicae attulerint, omnem fere excedit fidem. Cum vero innata quasi humano ingenio vlterius semper penetrandi cupiditas, illud impelleret ad inquirendas rerum obseruatarum caussas, arctis tamen limitibus omnis humanae mentis sentiendi judicandique vis esset circumscripta, quos vbi quisquam temere transgreditur sensuumque ductu caret, in densissima mox oberrat nocte et facile ridiculis decipitur phantasmatibus: factum est, vt rerum medicarum scientia euaderet ars, veris obseruatis falsisque intertexta hypothesibus.

Ab eo enim tempore, quo primum in artis formam redacta fuit medicina, summorum virorum ingenia detinuit verae theoriae inquisitio. Atque sic hypothesium ruinis semper superstructae sunt nouae, quae singulae, cum aeui sui characterem opinionesque, tum praecipue valentes ac tritas redolerent, cum morum vicissitudine simul commutabantur. Veterum variae sententiae, quas ex relictis saltim fragmentis colligere licet, obsoleuere, postquam anatomia magis exculta, et physiologicae quaedam veritates, sanguinis praesertim circulatio, detectae et inexpugnabilibus argumentis confirmatae sunt. Nec diu efferuescebat Chemicorum theoria. — Cum enim sensim sensimque solertiori studio anatomiae innotesceret magis C. H. structura et singularum ejus partium fabrica; cum viderent, animale corpus multifarie vbique e canalibus compositum esse, in quibus perpetuo motu circumuoluerentur humores, machinam hydraulicam esse, et mechanicis regi legibus crediderunt. Vim elasticam, mortuis corporibus inditam, praesertim vrgebant, atque hanc perficiendis vitalibus actionibus sufficere, hac cordis caua, ab influente sanguine distenta, contrahi, sanguinemque rursus propelli,

pelli, putarunt. Alternantem fimul fluidi neruei influxum in opem vocantes, primam cauffam ab vltimo motu productam demonftrarunt; et cum jam ex calculo mechanico conftaret, omnem de motu perpetuo quaeftionem eo redire, vt inueniatur pondus fe ipfo ponderofior, vel vis elaftica fe ipfa fortior, ideoque mechanici jam defperarent de inueniendo perpetuo mobili, facillimo negotio illud in C. H. introduxit fuperbum *Iatro-Mathematicorum* genus. Quaecunque huic obftabant theoriae, ita conuerterunt ac inflexerunt, vt eam quafi confirmare viderentur. Exiguorum tubulorum neruoforum refiftentiam non animaduertebant, fed gracilitatem eorum neceffariam, vt tanto major vis per liquidum in iis contentum exferi poffit, credebant; et quamquam refiftentia in minoribus vafculis facta, circulationem retardare videretur aliis, fecundum hujus fcholae opinionem eam potius accelerabat, et obftructio vaforum rapidiffimae circulationis cauffa erat. Tali modo ad magnum non attendentes difcrimen, quod eft inter machinam arte fabrefactam et animalis corporis oeconomiam, omnia hujus phaenomena explicare annifi funt.

Arridebat haec theoria primo intuitu humanae arrogantiae, quae omnia ad oculum demonftrare poffe, fibi videbatur. Confirmata fuit magnorum virorum auctoritate et argumentationibus, et praeter STAHLIANAM fcholam omnes fere nomina ifti dederunt.

Attamen fieri non potuit, quin multi mox perfpicerent, hanc theoriam plane non certam, nec fatis expeditam effe, magnaque difficultatum et contradictionum copia effe obrutam, ac intelligerent, mancam fore ac inutilem, fi quis iftam ad principem fcientiae noftrae fcopum, ad fanitatem nempe conferuandam amiffamque reftituendam applicare vellet. An multum profecerint ifti, qui combinandae huic theoriae cum praxi operam nauarunt, cuilibet dijudicandum relinquo; nulla hanc ex illa immediate cepiffe incrementa, fatis fuperque conftat.

§. II.

E m p i r i a.

Atqui cum alia fere non extaret theoria, factum eft, vt non inter vulgum folum, fed inter nobiliores etiam practicos, empirica medicina theoreticae rurfus praeriperet palmam, hodieque viri in arte fummi fateantur, rationem in re medica nihil valere, feque, dum vnicae experientiae ductui fe commiferint, felici non caruiffe euentu.

Et fi noftris temporibus modum, quo medicina a plerisque exercetur et nouis inventis amplificatur, refpicis, mere empiricum iftum inuenies, plurimique medici, fi theoriae indulgent, magis ornamenti, quam emolumenti cauffa id facere videntur; alii iftas nugarum inftar omnes rejiciunt.

Quamquam autem inter eos, qui omnes theorias refpuunt, viri funt de medicina fumme meriti, quique cum nulla praeconcepta opinione ducti, accuratiffime obferuent, fideliffimeque obferuationes communicent, medicinae plus incrementi attulerunt, quam omnes forfan nouarum theoriarum conditores; fateri tamen debemus, eorum fententiam circa theoriarum vfum nimis effe feueram, cum eas non folum inutiles, fed etiam

noxias habeant. At si ad fontem talis erga omnes theorias odii attendimus, pace tantorum virorum dictum sit, patet, eos, cum in scholis principiis mere mechanicis, ex parte etiam Syluianis imbuerentur, horumque postea absurditatem intelligerent, nec tamen operae pretium putarent, aureae praxi dicatum tempus examinandis recentiorum inuentis impendere, illud concepisse.

Experientiam, cui isti vnice insistunt, primum esse medicinae fundamentum, facile quidem concedo: tamen et ex altera parte non negari debet, medicinam empiricam in tanta rerum diuersitate [1]), morborum, sua natura plane diuersorum, in multis symptomatibus conuenientia [2]), mentis humanae ad errores procliuitate, in obseruando facile committendos, dissensu inter auctores frequentissimo [3]) et auctoritatis praejudicio [4]), incertam semper et vacillantem manere, neque hac vnquam medicinam ad vllum certitudinis gradum deduci posse.

§. III.

1) Cum symptomata mirabiliter variant ob diuersas subjectorum constitutiones, aetates, vitae genera et medendi rationem, vix duo occurrunt morbi sibi perfecte similes, licet ab iisdem oriantur caussis, ideoque empiricus symptomatum contemplatione contentus aduersus illa remedia sua adhibebit, sed incassum, cum veram caussam ignorat.

2) Cum duo morbi nunquam in omnibus conueniant phaenomenis, dogmatica empiria morborum genera et species ex aliqua symptomatum similitudine disposuit. Constat vero, morbos plane diuersos saepe in plerisque conuenire; ideoque si nullo habito caussae respectu morbi ob solam symptomatum conuenientiam sub eadem specie comprehenduntur, eodemque nomine insigniuntur, morbosae affectiones tota natura diuersae confundi debent. Quanti autem inde in praxi errores! Empiricus enim, si in aegroto phaenomena quaedam obseruat, quae speciei morbi determinandae sufficere existimat, methodum suam ad determinatum morbum specificam adhibet. An vero possibile, vt eadem remedia morbos tollant, ex opposita caussa saepe proficiscentes? Quamquam enim signa diuersum morbi genium ostendentia semper extent, saepius tamen adeo obscura sunt et tam parui momenti videntur, vt absque summa attentione non animaduertantur, nec in eorum sensus incurrant, qui morbi potius nomen, quam ejus caussam et indolem eruere student. Patet ex his in condendis morborum generibus et speciebus male ad symptomata vnice respici, ad rationalem vero nosologiam, caussarum primarum inquisitionem necessariam esse, cum alia systemata artificialia, non naturalia exstruantur.

3) Quiuis a methodo sua semel recepta, quae saepius feliciter ei cessit, difficillime recedit, licet alia, quam omnes meliorem esse putant, extet. Hoc cum omni factum fuit aeuo, summa non solum adest methodorum varietas, sed et quaeuis suos habet laudatores atque osores; et quamquam plerumque non acuto valde opus sit judicio ad eligendam rationaliorem, tamen si quis nocentissima adhibuisset remedia, vel quod frequentius obseruatur, indicata conuenientissima neglexisset, et ita aegrum manifeste interemisset, auctoritas aliqua isti non facile deerit, ex qua lethiferam suam vel fatuam defendere queat curam. Optimus e contrario medicus ab imperitorum insulsorumque hominum calumniis nunquam immunis est, quem venenis vti narrant, id, quod auctoris cujusdam opinione probare solent.

4) Nulla sane in arte alia, quam in medicina auctoritatis praejudicium magis valet, ita, vt plerique isto capti, alienis modo oculis videant, dum pauci agmen ducunt, reliqui sequuntur, et cum praeceptoribus errare, quam veritatem inuestigare malint. Quis vero est mortalium, qui, cum plura recte intellexit, in quibusdam non erret? Errores ejus, veritatibus irretiti, vna cum iis posteritati traduntur, atque strenuos nacti defensores, quos viri fama occaecauit, ita confirman-

§. III.

Verae Theoriae Utilitas et Poſſibilitas.

Credebat acutiſſimus SYDENHAM, theoriis inimiciſſimus, quod ſi hac methodo traderetur medicina, vt indicationes ex hiſtoria morbi elicerentur, non vileſceret illa, ſed difficilior reddita, non niſi ſapientes et peritos admitteret. Nam vti major ſubtilitas in naturae operationibus, quam in alia arte, ſic ars medica, quam natura praecipe-ret, ingenium vulgi longius ſuperaret, quam ea, quae pars Philoſophiae docetur [1]. Lubens ſententiae magni viri accederem, ſi larga aeque manu ac ipſi omnibus ſuis filiis idem ingenii acumen conceſſiſſet AESCULAPIUS, aliique a templis ſuis arceri poſſent, qui non per tantum tempus tantaque ſagacitate naturam inueſtigauiſſent. Quod vero cum nunquam euenire poſſe putem, id certe credo, omnes hac in re mecum conſpirare, quod tunc, ſi eo ars medica perueniat, vt ſolidiori theoria, in experientia fundata, huic ſemper reſpondenti, nullibi contraria, polleat, ſumma inde vtilitas in praxin redundet.

Pium quidem hoc eſſe deſiderium concedunt omnes, ejus vero complementum nunquam ſperandum eſſe, affirmant plurimi. Cum enim, inquiunt, functiones omnes vitales in intimis corporis latebris, organis perficiuntur, quorum ſubtiliſſimam ſtructuram nec microſcopicae obſeruationes, nec alia adhibita artificia detegunt, cum porro omnis in iis motus a viribus producitur imperceptibilibus et ignotis, quomodo cognoſci poteſt iſtarum functionum perturbatio, perturbationis cauſſa, viresque peccantes? Si porro reputamus longam annorum ſeriem, ingensque temporis ſpatium, ex quo viri ſummo ingenii acumine praepollentes arti medicae illuſtrandae operam impenderunt, nec tamen ad vllum certitudinis gradum redactam eſſe theoriam medicam, cui vt firmo fundamento inniti poſſet ſalutifera praxis, quaeſtio ſupereſt, an vnquam talis perfectio artis noſtrae ſperanda ſit? — Vera quidem ſunt haec omnia, impoſſibilitatem tamen verae theoriae non oſtendunt; et ſi operis magnitudo et vtilitas conſideratur, perſuaſum mihi habeo, minime damnandos eſſe eorum conatus, licet irriti ſint, qui omnem in eo ponunt operam, vt ratiociniis, ex obſeruationibus deductis, ad intima penetrent naturae myſteria, ibique vires, quibus illa actiones perficit, explorent, tandemque regulas forment, quibus firmius medicinae aedificium exſtrui poſſit, et quarum applicatione morbi per ſe non inuincibiles pellantur, omnes morbi curabiles ab incurabilibus diſcernantur, veritas et falſitas obſeruationum patefiat, iisque, qui fatuam curandi methodum empirica ſua experientia defendunt, ſilentium imponatur.

Cum vero hoc magnum opus non vno viro, neque vno perfici poſſit ſeculo, iſti non omni deſtituuntur laude, qui vel minimum ad rem hanc conferunt; et quamquam nouarum theoriarum conditoribus id praecipue objiciatur, quod non ſuam modo perdant operam, ſed et aliis tempus detrahant, quod refutandis illis impendere debent; tamen, licet et manifeſte errauerint, non omni carere merito mihi videntur. Poſteri-

Hh 2 tati

confirmantur, vt crimen ſit, de illis quam vero, *quale id eſt, quod di-* dubitare. Semper enim id modo quae- *xit?* ſiuerunt homines, *quis dixit?* Nun-

1) *Epiſtolar. reſponſor. Ima* p. m. 314.

tati enim viam monſtrant, qua ad veritatem non itur, ſaepeque jam quorundam errores occaſionem praebuere aliis, ad veram rei cognitionem perueniendi. (Ad quod in perlegenda hac diſſertatione probe attendat, velim B. L.) Neque is vanam alere ſpem mihi videtur, qui optat, vt tale perfectionis culmen aliquando attingat noſtra ſcientia, minimeque de hoc noſtris temporibus deſperandum eſſe, perſuaſiſſimum habeo. Indefeſſo enim acutiſſimorum ingeniorum ſtudio magnus hodie rei medicae cumulus acceſſit, vt ſpem inde majorem hujus rei concipere poſſimus. Nos etiam, proauis longe feliciores, ſeculum fert, quod ſingulari ſuo ſcientiae naturalis ſtudio, vt characteriſtico ſigno, aeternam ſibi laudem peperit. Quam multa, quae olim latuere, ſcimus! Parentes in experimentis inſtituendis factisque colligendis ſingularem diligentiam poſuerunt et nobis tantum reliquerunt theſaurum, vt vix amplius de augendo iſto ſolliciti eſſe, ſed potius id curare debeamus, vt illo recte fruamur eumque in noſtrum conuertamus commodum.

Locupletiſſimam enim cum jam poſſideamus phaenomenorum hiſtoriam, ſi ad iſta rite attendimus et collata probe examinamus, ad motuum cognitionem facile perueniemus; ex his autem ad vires mouentes, ex effectibus ad cauſſam, ex cauſſis particularibus ad generales concludere licet, donec tandem ad generaliſſimas, ad ipſam naturam ventum ſit. Ac ſi quidquam in factorum hiſtoria forſan deſideraretur, facilius cognitus defectus accuratiori adhibita attentione et inſtitutis experimentis ſuppleri poterit. Si enim ſcimus, quale punctum lateat, parum abeſt, quin id detegamus. Tum enim omni attentione in hoc directa, noſtrum non poterit effugere ſcrutinium, neque amplius in vaſtiſſimo naturae ambitu incerti jactabimur, ſed experimenta ad rationalem normam inſtituta, id quod ſcire cupimus, palam facient. Haec vera eſt et vnica ad veritatem via, a VERULAMIO inuenta, quam ingreſſus NEWTONUS phyſicalium motuum detexit cauſſam; qua cum vteretur HALLERUS, ſummus euaſit in corporis animalis hiſtoria vir. Quorum ſi premerentur veſtigia, fieri non poſſet, quin natura in dies recluderet incognita hucusque myſteria, aperiretque nobis, quibus viribus agat, quomodo vitales producat actiones, quibus commota cauſſis praeternaturales et peruerſas exferat; tum et innoteſceret, quibus remediis cauſſae morborum remoueri, actiones laeſae reſtitui et vires vitales a naturali aberrantes tramite in rectum duci queant. Neque tamen ſymptomatum obſeruatione et remediorum, quae interdum ſub ſimili ſtatu opem tulerunt, applicatione contenti eſſe debemus, ſed inquiramus vlterius neceſſe eſt, quae ſint actiones, vnde morboſa iſta profluunt phaenomena? qua ratione turbatae ſint illae? quae vires mouentes peccent? Quo modo tandem agant adhibita medicamenta? Sic nos non fallere poterit ſub ſimilium ſymptomatum apparitione latens longe diuerſa cauſſa, nec inducere nos ad propinandum incongruum medicamentum, quod pro diuerſitate cauſſarum et optimi remedii et nocentiſſimi veneni vim edet. Atque ſic ad inſignem certitudinem deduci poſſe medicinam, credibile eſt.

§. IV.

§. IV.

Irritabilitas, fenfibilitas et arctiffimum earum connubium.

Ac facta jam haec effe ex parte, aequus quisque et candidus, nulla ductus opinione praeconcepta, fatebitur, praefertim ab eo inde tempore, quo folidioris phyfiologiae fundamentum pofuit Magnus HALLERUS, qui vim fundamentalem, veteribus quidem non incognitam, a mechanica autem fchola prorfus neglectam, fub Irritabilitatis nomine in medicinam rurfus introduxit, infinitis confirmauit experimentis et primariam motuum cauffam effe demonftrauit.

Nec jam in dubium vlterius vocari poteft, ineffe viuo corpori et ejus praefertim fibris mufcularibus talem vim, qua efficitur, vt poft applicatum ftimulum fe contrahant, a vi elaftica mortuorum corporum plane diuerfam, nec inter communes corporum materialium vires referendam, fed viuo tantum corpori propriam et inquilinam. — Unde autem haec vis? qua agit ratione? an mufculari fibrae infita, cum ifta fimul nata? an iisdem particulis, quibus fibra nutritur et haec regeneratur? an electrica eft ipfa vis? an huic analoga? Haec omnia latent, nec ego hic immaturam proferre cupio opinionem. Gluten ejus effe cauffam ipfe HALLERUS pro mera vendi-tauit hypothefi. Nec determinare volo, annon potius effectus cauffae occultae, quam ipfa dicenda fit cauffa?

A neruis eam pendere, ejusdemque cum fenfibilitate naturae effe, multi ftatuerunt et prae aliis hanc fententiam tuitus eft ROB. WHYTT, Vir ob neruorum phyfiologiam et pathologiam aeterna laude dignus, non leuibus certe argumentis. Meum vero non eft, quae pro vna vel altera parte militent, hic proferre, nec tantas, quae fummorum virorum ingenia detinuere, lites componere; nec credo, fore quenquam, qui meis permotus ratiociniis vel tranfuerfum vnguem a fententia fua recedat.

Quae vero certiffima, innumeris confirmata experimentis, a nemine negata, inter fenfibilitatem et irritabilitatem confenfio hic mihi confideranda venit. Conftat enim, maximam effe neruorum vim ad determinandum irritabilitatis gradum, nec vllam extare in corpore animali irritabilem partem, quae neruis deftituta fit. Et invenerunt plurimi irritabilitatem effe, vti quantitas neruorum [1]). Licet vero in hoc non omnes confentiant, et irritabilitatem neruorum copiae parem non effe, nec ergo in omni corporis parte fenfibilitatem ejus vi vitali refpondere, contendant: tamen concedunt, in fingulis indiuiduorum corporibus relationem fenfibilitatis ad irritabilitatem obtinere, ita vt, quo fenfibiliori praedita fint neruofo fyftemate, et eo majorem poffideant irritabilitatem, functionesque, ab hac vi vitali pendentes, infigniori fortitudine perficiant. Obferuatur ideo in junioribus, foeminis et teneris, exquifita gaudentibus fenfus facultate, irritabilitas quoque major, circulatio vehementior etc.

Omnia porro, quae in corpore fenfibilitatem augent, incitant etiam ejus vim vitalem ita, vt omne corpus vel faltim aliqua pars mobilior reddatur, fi ejusdem nerui fenfibiliores fiunt. Quaecunque contra neruorum vigorem infringunt, irritabilitatem quoque minuunt; in corpore laffo pulfus tardior fit, et infrequentior eft cordis con-

 tractio

1) ILL. ZIMMERMANN differt. de irritab. §. 2. et §. 50. p. 64.

tractio in somno, in quo etiam peristalticus intestinorum motus imminuitur; opium, neruos stupefaciens sensibilitatem, et irritabilitatem in omni corpore delere, ex Rob. Whytt experimentis constitit. Si nerui partem irritabilem ingredientes destruuntur omnes, sensim ejusdem vitalis vis imminuitur, tandemque aufertur: sic cor, neruo vno alteroue destructo quidem non statim quiescit, a vigore tamen plurimum remittit, et citius illud quieuisse vidit Ill. Zimmermann cerebro et medulla spinali destructa [2]. Secretionem glandularum compressis earum neruis multum imminui obseruauit Nuck [3]. Et verbo tantum est inter duas has animalis corporis proprietates connubium, vt sibi semper irritamento sint, nec vna vnquam absque alterius detrimento turbari possit. Mediantibus enim neruis non solum ad mentis jussum se contrahit musculus, sed perturbato etiam neruoso systemate citra mentis voluntatem vehementissimi musculares motus producuntur. Si irritatur denudatus neruus, musculi, in quos dispergitur, ad contractionem stimulantur, ac si ipsis irritamentum immediate applicaretur. Stylo in encephalon intruso omnes conuelluntur musculi.

Diuersas tamen assumo duas has vires, licet arctissimo nexae sint vinculo; diuersis enim phaenomenis se manifestant, et variis organis exseruntur. Musculari fibrae Irritabilitas vnice tributa, motuum immediata existit caussa, et nerui per se nihil quidquam, nisi mediante viua fibra, mouere possunt. Haec vero absolutissimum agnoscit neruorum imperium, sic vt non solum a neruo in actum statim ponatur, sed et aucta hujus sentiendi facultate, muscularis fibra majorem acquirat irritabilitatem, et ideo si stimulatur, motus edat vehementiores.

Postquam hanc vitalem vim musculari insitam fibrae recte inquisiuerat Hallerus, eam nouae exstruendae physiologiae fundamentum posuit, atque hoc vnico, si et alia tacerent ejus merita, immortale nomen sibi acquisiuit. Jamque cognouimus, ab illa actiones animales et functiones motu perficiendas omnes pendere; omnem ab illa corporis oeconomiam animari; eam simul cum neruosa vi essentiale inter machinam viuumque corpus constituere discrimen; ea sublata nullam superesse vitam.

§. V.

Irritabilitatis Consideratio Pathologica.

Dum ergo integer manet hic vitae fons, omnia in corpore rite peraguntur; motus fiunt a naturali vi naturales; sanguis regulari norma circulum suum absoluit; visceribus et glandulis, qui istis competunt, humores aduehuntur, eorumque vasa motu vibratorio justo, eas particulas secernunt, ad quarum secretionem constructa, et peculiari irritabilitatis gradu praedita fuerunt. Secreti humores destinatum obeunt finem, excrementitii e corpore ejiciuntur; viscera chylopoietica praeparatos succos chymo admiscent, et sanus sic bibulis venis chylus traditur, qui in circulum receptus et in bonum sanguinem conuersus, cor vasaque ad justos stimulat motus. Vegetum sic et incolume corpus, sanaque in corpore sano habitat mens.

Si vero

2) Ibid. p. 57. exper. 13 et pag. 64.

3) Adenogr. curios. p. 16.

Si vero *Irritabilis Vis* omnium fere actionum caussa a naturali norma recedit, totum corpus turbari, facile intelligitur. Necesse enim est, vt functiones peruersae fiant, si illa vis, qua animantur, peccat. Patet itaque Irritabilitatis considerationem in pathologia non minoris esse momenti, quam in physiologia; plurimos ex illius laesione pendere morbos, quinimo omnium fere caussam esse. Quanquam enim morbos solidorum organicos et fluidorum vitia probe agnoscam: tamen, nisi haec vis simul afficeretur, non intelligo, quomodo tantas producere possent turbas; imo, si recte attenditur, illa vitia ex vitalis vis quadam anomalia ortum duxisse, plerumque videntur.

Intellexerant quidem jam dudum medici, morborum originem ex materialibus caussis vix vnquam sufficienter explicari posse; vim ideo aliquam incognitam suspicabantur, quam *Calidi innati*, *Impetum facientis*, *Archaei* etc. nomine denotarunt. Recentiores ad insigniendam eandem vago et protheiformi *Naturae* termino vtuntur. Nescio vero, vnde factum sit, vt, cum physiologi Irritabilitatem ad explicanda C. H. phaenomena dudum adhibuerunt, pathologi eam adeo neglexerint, et potius ad alias occultas vires confugerint. Has vero vt incognitas qualitates tam diu considerare, et ad explicanda morborum phaenomena rarius adhibere, nec a mechanica explicatione prius desistere solent, quam tunc, cum ingenia atrociter torserunt, tandem intelligunt, plane impossibile esse, vt morbus ex mechanicis principiis explicari queat.

Egregii tamen viri ad construendam solidiorem morborum theoriam Irritabilitatis respectum omnino habuerunt. Inter alios Ill. Gaubius in pathologiae institutionibus medicorum attentionem in eam conuertere studuit, nouissimeque hoc argumentum in Cl. Weisse Dissertatione [1]) perpulchre et mascula doctrina pertractatum fuit.

§. VI.

Instituti Ratio.

Inter alios morbos in egregia hac dissertatione ex Irritabilitatis excessu vel torpore deductos, febrem etiam exinde summa cum voluptate illustratam vidi. Cum vero Cl. Author Irritabilitatem solam sibi pertractandam sumsit, minus de caussa, qua illa augeatur sollicitus, alteram viui corporis facultatem, sensibilitatem et neruorum actionem, vt a scopo suo alienas, alii inquirendas reliquisse mihi visus est. Et quanquam probe intelligam, Irritabilitatem et Sensibilitatem, vt facultates plane diuersas, nos contemplari posse: tamen, cum Irritabilitas absque Sensibilitate in rerum natura nullibi occurrat, haec absque illa nunquam augeatur, et verbo semper consentiant et compatiantur: credidi, plura phaenomena longe facilius intelligi posse, si ad eorum explicationem ambae vires simul adhiberentur. Cum porro perspicerem, duplici modo excitari posse majorem vasorum Irritabilitatem: *primo*; si vasis, eandem vis irritabilis gradum retinentibus, stimuli applicarentur solito acriores; *secundo*, si ipsa vis viua peculiari

1) *De Irritabilitate morborum genitrice* 1772 Praeside Illustri Baldinger tum temporis *vniuersitatis Ienensis*, nunc almae nostrae, *Augustae ornamento*, quem meum colere fautorem, glorior.

peculiari quadam ratione augeretur; cumque ſaepe inuadente febre nulla deprehendatur humorum acrimonia, et alio tempore, ea praeſente, nulla inſurgat febris, exceden- tem potius irritabilem vim, quam auctum ſanguinis ſtimulum, accuſandam putaui. Si vero Irritabilitatem, vt vim muſculari fibrae inſitam, atque ex ejus ſtructura vnice pendentem, conſideramus, eam augeri non poſſe ſequitur, niſi ipſius fibrae conſtitutio mutetur; quod tam cito, ac febris inuadit, et a cauſſis, quae illam accendunt v. g. do- lore, animi affectione fieri poſſe, minime credibile eſt.

Cum autem ex innumeris obſeruatis cognitum habeamus, neruorum ope non ſolum minimo temporis momento fibram muſcularem ad contractiones poſſe incitari, ſed etiam ſenſibilitate ſiue, quod idem eſt, neruorum vi aucta, eam fieri irritabiliorem, et ad eundem ſtimulum ſenſibiliorem: periculum facere conſtitui, quid ad illuſtran- dam febrium theoriam conferre poſſem, ſi inquirerem, quatenus febris ortus ex ſin- gulari actione Syſtematis Neruoſi explicari poſſit.

Nec terrent me ſeuera magnorum virorum [1]) aduerſus illos judicia, qui recondi- tam febrium naturam ex occulto neruorum ſtatu, rem obſcuram ex abſtruſiori dedu- cere voluerunt. Si otioſus illis ſpeculator potius, quam medicus in curationem inten- tus videor, indulgeant tyroni.

Neque tamen fatuum plane et ſterilem me ſuſcipere laborem credidi, ſi ex hac parte febrium naturam conſiderarem: optime enim ad cognitionem objecti cujusdam, cui propius accedere datum non eſt, peruenimus, ſi ex viſionis punctis, quam poſſu- mus plurimis, illud contemplamur. Et quamquam facile inducimur, vt opinio, quam proponimus, veri ſpeciem prae ſe ferre nobis videatur: eo tamen me rapi nunquam patiar, vt hanc hypotheſin, quae otioſae cuidam horae exiſtentiam debet, aliis pro vera venditem.

§. VII.

Totius Corporis Conſenſus ex Neruis.

Obtinere in corpore animato ſympathiam atque conſenſum arctiſſimum inter varias ejus omnesque partes, ab antiquiſſimis medicis obſeruatum, a recentioribus mil- lenis experimentis et obſeruationibus confirmatum, nunc extra omnem dubii aleam poſitum eſt. Et cum dudum conſtitit, omnem ſenſum neruis eſſe tribuendum, nec absque illo eſſe vllum, intellexerunt tandem duce primo Willisio, neruos vnicam eſſe iſtius conſenſus cauſſam. Hujus rei perſpecta grauitate et cognito inſigni illo, quod ei eſſet in facienda et docenda medicina momento, quidam colligendis iſtius conſenſus phaenomenis, alii cauſſis eruendis, operam dabant. Magni eam fecerunt, quam in anatomicis ſectionibus obſeruabant, inter ſingulares quosdam neruos connexio- nem. Hic confluxus vt cauſſa mirae partium ſympathiae habebatur, donec propter majorem phaenomenorum collectionem et vlteriorem decurſus et conſtructionis ner- vorum inquiſitionem iſtam allegatam cauſſam non admittendam eſſe, plurimi perſpi- cerent. Et tandem ex factis in animalibus experimentis vberius demonſtratum fuit, nihil quidquam iſti anaſtomoſi tribuendum eſſe, nec ex illa explicari poſſe phaenomena. Verſati

1) Senac *de recondit. febr. nat.* p. 10.

Versati sunt praesertim ABRAH. KAAV BOERHAAVE et ROB. WHYTT in eradicanda praecepta hac opinione; quos adeant, si qui hodieque sint, neruosarum anastomosium fautores. Experimentis et inde eductis inexpugnabilibus argumentis probarunt isti, nihil anastomosi, omnia autem conuentui neruosarum fibrillarum in Sensorio Communi tribuenda esse.

§. VIII.

Multifariis autem et innumerabilibus effectibus haec sympathia sese prodit; tantam enim jam ab obseruatoribus enarratam inuenimus eorum copiam, vt, si eam quis colligere vellet, insignis molis volumen impleret. Ad ostendendum frequentiorem partium consensum, plurima exempla congessit ROB. WHYTT [1]).

Obseruamus vero hanc sympathiam diuersissimas subire modificationes. Non solum enim in variis hominum corporibus ejus effectus variant, sed etiam in eodem indiuiduo diuersa saepe gignuntur phaenomena, sic vt ab ejusdem partis affectione nunc in hoc, nunc in illo loco fiat consensus, idemque etiam stimulus oppositos suscitet motus. Nemo tamen temere sibi persuadeat, consensiones omnes ex fortuito profluere casu, nec certas vllas et constantes adesse leges, quibus determinentur. Quilibet enim intelliget, quodsi idem locus, simili stimulo sub eadem corporis constitutione afficeretur, eundem insequi debere effectum, fixam ergo extare legem; quanquam difficillimum sit, quinimo impossibile, eam eruere. Caussam vero maximae hujus phaenomenorum varietatis diuersissimae neruosi systematis constitutioni, quo forsan nulla corporis pars vicissitudini magis obnoxia est, tribuendam praesertim esse, facile intelligitur, sique hujus status semper cognosceretur, ratio etiam nos non fugeret, cur sub vno statu haec consensio, sub alio illa necessario contingere debeat.

Quanquam autem plurimarum singularis scopus lateat, tamen ex quibusdam, qui certis sub conditionibus fiunt, motibus recte colligere possumus, leges, secundum quas consensiones omnes producuntur, a sapientissimo Creatore ita constitutas esse, vt ad corporis conseruationem faciant. Hoc enim perpetuae rerum nociuarum actioni expositum mox destrueretur, nisi per mirandam, quemuis stimulum insequentem reactionem, potentiam nancisceretur, qua omnia ipsi infesta remouere, expellere vel temperare possit. Cum vero partis immediate affectae actio saepe nulla, vel auertendae stimuli noxae impar sit, haec constituta fuit partium conspiratio, qua altera alteram in communes perduceret contractiones, et si vna modo lacesseretur, omnes consentirent ad remouendam hostilem materiam. Et sane absque hac lege, qua omnes corporis partes sibi mutuas suppetias ferunt, omni momento tenuissima succumberet animalis oeconomia.

Attamen cum in omni rerum natura aliter fieri non potuit, quin ex legibus, ad totius conseruationem sapientissime conditis, in singula indiuidua quaedam incommoda quandoque redundarent, sic, et salutiferam hanc legem atrocissimorum morborum imo et mortis euadere caussam, tristis docet experientia.

Sympathiam

1) Sämmtliche practische Schriften p. 257 et seqq.

Sympathiam autem dicimus, *primo:* si sensatio fit, ac si praeter affectam partem alius locus simul afficeretur. Haec sensatio nunc isti similis est, quae in ipsa affecta parte fit; nunc plane diuersa, ita vt molestus sensus fiat in consentiente parte, licet pars stimulata grate afficiatur; et contra: quin imo in affecta parte nullus saepe est stimuli sensus; in consentiente vehementissimus. *Secundo:* Sympathia motibus sese ostendit, qui in parte consentiente, muscularem vim possidente, plerumque suscitantur, ac si ipsi stimulus immediate applicaretur. Et ejusmodi motus quandoque sine omni mentis conscientia fiunt, ita vt doloris, nec in affecta parte ipsa, nec in consentiente, perceptionem habeat. Alio tempore, cum dolor vehemens adest, motus nulli producuntur. Denique ad sympathiam referendum erit, si a stimulo in remota aliqua parte, noui quidem motus non suscitantur, qui vero jam adsunt, inuertuntur et abnormes fiunt.

§. IX.

Sympathia est Reactio Sensorii, a Sensatione physica praegressa excitata.

Pleraque illa phaenomena, post Hippocratem *Naturae* (sub qua solidorum et fluidorum motus functionesque omnes comprehendebant) *molimina* a medicis dicta, ex neruorum hoc consensu profluere, quiuis largietur, qui plurimas reactiones ab illis partibus, quibus stimulus non immediate applicatur, produci obseruauit.

Variae scholae ad eandem hanc rem nomine insigniendam diuersis vsi sunt terminis, caussae, cui istam tribuebant, adaequatis. Stahliani, cum salutiferos fines praesertim respicerent, nec intelligerent rationem, qua tales actiones, quales ad remouendum stimulum, vel ejus vim minuendam, aptissimae essent, ex physicis legibus deduci possint, rationalis animae potestati omnia tribuebant. Haec quidem sententia non omni destituta est probabilitate, et profecto cum theoria mere mechanica aequo pugnat marte; vnde etiam recentissimis nostris temporibus acuti quidam viri eam, licet limitatam magis, non leuibus argumentis fulserunt. Neque parum ponderis isti theoriae accessisse videtur, postquam demonstratum fuit, neruos non nisi mediante Sensorio communi consentire.

Attamen cum omnes jam consentiant, libertatem esse perpetuum atque constans mentis attributum, eamque citra voluntatem nunquam agere, nec absque ratione, etsi coacta fuerit, quidquam velle; patet, ea isti tribuenda non esse, quae inuita illa fiunt, et quae, quamquam omnes adhibeat vires, ab illa excitari non possunt.

§. X.

Cum Sensorium Commune prae omnibus aliis corporis partibus menti arctissime nexum, idque organon eum in finem constitutum est, vt hujus ope corpori mens imperare, et illud rursus in hanc agere possit: factum est, vt multae, quae ad sensorium pertinent, actiones menti adscriberentur. Ex hoc errore, et quia vnius actionem absque alterius cooperatione intelligere non potuerunt, Stahlianorum orta mihi videtur theoria. Quo arctius itaque duarum harum essentialium corporis partium vinculum, eo accuratius eae earumque functiones distingui debent, ne inuicem confundantur et variis ansa praebeatur erroribus.

Fit

Fit autem in *Sensorio Sensus;* in *Mente Perceptio:* *Huic* est *Voluntas;* *illud* Voluntatem *exercet*, motus actionesque *exserit* [1]).

Ex his intelligitur, non obstare arctissimum illud vinculum, quo minus sensorium duplicem suam facultatem, sentiendi nempe, atque mouendi, edere possit absque omni animae consensione; absurdique nihil continere, si sensum absque animae conscientia, motumque citra ejus voluntatem, a sensorio quandoque fieri contendimus; et quotidiana experientia hujus asserti veritatem euincit. Si enim dolor aliquis corporis partem vexat, vel sensili cuidam parti aliqua res v. g. *Vestis* apprimitur, quo minus orta in neruis mutatio sensorio semper impressa quasi maneat, impediri nequit; animus vero, ad alia attentus, ingratam doloris ideam non fouet semper, nec percipit objectum sensili parti applicatum; simul ac vero attentionem rursus aduertit, ejus conscia fit. Ita atrocior dolor, qui omnem in se rapit animi attentionem, leuiorem obtundit. Sentire sane pergit Sensorium et leuiorem dolorem, sed eum non percipit animus.

Mouendi suam potestatem contra omnem animi voluntatem, imo reluctante eo, Sensorium aeque exserere posse, plurima confirmant. Respiratio, arbitrarius plane motus, pergit in somno. Si musca hominem somno captum vexat, manu eam fugare annititur, quanquam mens sui corporis hic plane nescia sit. Homines, qui laeso

 cerebro

1) Hancce inter Sensum et Perceptionem distinctionem minus magnorum Virorum placitis respondere, equidem scio. Illi enim nullam absque animae conscientia sensationem fieri posse, contendunt. Neque Per-ill. Halleri sequenti de *sensibilitate* definitioni accommodata est: „Sensibilem partem corporis humani appello, cujus contactus animae repraesentatur; et in animalibus brutis, de quorum anima non perinde liquet, eas partes sensiles dico, quibus irritatis animal manifesta doloris et incommodi signa ostendit: insensibilem contra quae vsta, scissa, puncta, ad distractionem vsque caesa, nullum doloris signum, convulsionem nullam, nullam in corporis situ mutationem excitat. *Comment. Goett.* T. II. p. 116." Et quanquam magnus hic Vir et alibi minime admittere videatur hanc distinctionem, velitque ab omni sensatione aliquam in anima nasci ideam, quae saltim nunc obscurior, nunc clarior sit: magis tamen propriae persuasioni, quam aliorum auctoritati dandum esse sentiens, non potui, quin hac in re a tanto recederem Viro. Si quis assumserit, vnicam modo perceptionem animam eodem temporis momento habere posse, necessario nostra admittenda erit distinctio, cum negari non potest, plures simul fieri sensationes. Ego enim sub sensatione corporea stricte sic dicta nihil intelligo, nisi qualemcunque mutationem, vi neruosae inductam, actionem aliquam corpoream, nec respicio, an anima ejusdem ideam habeat vel non. Egregie jam monuit Hoffmannus: „Sensationem ratione corporis non esse, nisi motum seu impressionem in neruosas partes, quae genuinum sensationis organon constituunt." Oper. Omn. T. I. Sect. III. cap. 3.

Nec non Glissonius ille, primus, qui simplicis fibrae naturam inuestigauit, ejusque irritabilem vim probe cognouit, distinctionem posuit nostrae fere similem, dum Sensationem nostram *Perceptionem naturalem*, illam vero, quae cum animae conscientia fit, *Perceptionem animalem* dixit *De Ventric. et intestin. cap. VII. N. 1. p. 169 et seqq.* Neque tamen ego ad irritationem, quatenus in musculari fibra immediate fit, vllam sensationem ex mente illius requiro; id modo volo, in omni neruorum actione sensationem fieri: et si partium motus aliquis per neruos, praesertim in loco remoto, mediante sensorio communi producitur, tum sensationem praegressam adfuisse, contendo, licet anima nullam ejus habuerit ideam.

cerebro apoplectici jacent, infcii manus motu affectam partem faepe indicant. Eft quaedam delirii fpecies, qua mens, cum fenforia organa peruerfas perceptiones in ea non excitant, jufta ad externa objecta relatione cogitat [2]); Senforium vero, in aliquo puncto turbatum, ad actionem quamdam incitatur. Quod fi percepit anima, illiusque actionis noxam intellexit, huic viribus adhibitis omnibus reluctatur; faepe vero fuo fub imperio fenforium retinere non valet. Sic in Hydrophobia percipit anima, fenforium ad mordendum exftimulari; ne hoc fiat, annititur; limitatam vero fuam in fenforium jam cognofcens poteftatem, monet adftantes, ne propinquius accedant, vt corpus fuum alligatur vinculis: faepe tamen fuccumbit mentis imperium, mordendi infatiabili cupiditate abripitur corpus. Grauidarum quarumdam Senforium eodem modo perturbari dicitur, ita vt rationalis anima effectum ftimuli, quo illud ad vefanam actionem impellitur, impedire nequeat.

Senforium porro fi per viuidam cogitationem commouetur, ab anima impediri non poteft, quominus ex facta in illo mutatione actiones quaedam excitentur. Sic adfpectus vel ipfa recordatio grati cibi faliuae adfluxum inuita anima ciet; emetici confpectus, quinimo ipecacuanhae mentio naufeam producit in delicatioribus; a timore, ne latus titilletur, vti ab ipfa titillatione, commouetur omne corpus. Hic idea ftimuli quondam percepti reuocata, eamdem rurfus fenforio inducit mutationem, debiliori quanquam gradu; et fi corpus tanta pollet irritabilitate, vt a leuiori etiam moueatur impreffione, effectus fequuntur fimiles; in junioribus ergo et tenerioribus ejusmodi phaenomena frequentius obferuantur.

Ob limitatam denique animi in fenforium poteftatem faepe fit, vt illius pathemata externis fefe prodant fignis, quamquam diffimulari ejus interfit. Dolor, ira, gaudium, amor etc. quo minus fimilibus femper fignis in facie exprimantur, non prohibere poteft anima; nec compefci fe finunt faciei mufculi, nifi facta in fenforio impreffio temporis decurfu, fiue noua exorta, deleatur. Imminente periculo percutitur homo, effugere vult anima, fed voluntatem non exfequuntur trementia vel marmoris inftar rigentia membra.

Ex his fatis jam patet, Senforii actiones non omnes ex animae profluere voluntate, neque illud abfolutum mentis imperium femper agnofcere.

§. XI.

Neutiquam tamen fponte agit fenforium. Cui enim nulla eft voluntas, nulla eft automatica actio. Sed duplici potentia in actionem ponitur, a libera animae voluntate et actione phyfica. Itaque omnia, quae a fenforio citra liberam animae voluntatem producun-

2) Ejusmodi neruofae affectiones cum veris deliriis non commutandae funt. Nolim enim in deliriis ftricte fic dictis (quanquam eorum cauffa in corpore vnice, minime in ipfa mente locanda) vefanas actiones Senforio immediate tribuere. Hoc quidem in veris deliriis fummis afficitur turbis; attamen menti fuum in illud imperium non aufertur. Nafcuntur fcilicet a turbatis fenforiis organis peruerfae in mente perceptiones, de quibus ea rationaliter judicat; cum vero nulla eft organorum iftorum ad externa relatio, judicium, fi ad haec refpexeris, fertur abfonum, actionesque ex tali judicio profluentes adftantibus, qui easdem non habent ideas, furiofae videntur.

producuntur, ex speciali physica lege proueniunt. Haec vero lex in eo consistit, vt, facta in sensorio singulari mutatione, illud determinatam actionem exserere debeat; et huic legi Sympathia omnis, omniaque illa, quae in corpore mediante sensorio citra animae conscientiam siue voluntatem [1]) fiunt, tribuenda sunt.

Latet quidem vera hujus legis caussa et ratio, scimus tamen, ad omnem sensationem id requiri, vt in neruo nascatur mutatio, atque haec attingat Sensorium. Constat porro in omni motu, cujus efficiens caussa in sensorio extat, sensorium in aliquo puncto ita mutari debere, vt neruo ad partem mouendam abeunti, talis inducatur mutatio, qualis ad excitandam partis istius motoriam vim requiritur [2]). Inde colligimus, sympatheticum fieri motum, si mutatio per sensationem inducta alii fibrillae nerueae thalamo communicatur, indeque ejus vis ad motum ciendum incitatur. Consensualis autem Perceptio fit, si a commota hac vi, in anima idea oritur, ac si pars, ad quam pertinet consentiens neruus, aliquid sentiret; haec tamen perceptio indistincta tantum est, nunc grata, vt plurimum molesta. In vtroque casu consentienti neruo materialis aliqua mutatio inducitur, ejusdem principium sentiens impetuosius fit et augetur sensibilitas; increscit itaque et musculosarum fibrarum, quas accedit, irritabilitas, vnde tum vel immediate ad contractionem cientur, vel consuetorum stimulorum impatientes factae, motus vehementiores edunt.

§. XII.

Sympathiae Naturales, vel Praeternaturales.

Antequam propius ad scopum meum accedam, quorundam, quae ad sympathiam neruorumque actionem attinent, phaenomenorum mentionem fecisse juuabit.

Obtinet inter singulares quasdam corporis partes aliquis consensus ita, vt parti cuidam affectae alia pars in omni fere homine consentiat. Deinde vero multa indiuiduorum corpora molesta admodum et praeternaturali partium quarundam consensione

vexantur,

1) Quorum primaria caussa in anima quidem est, sed citra ejus voluntatem tamen fiunt, non minus ex actione physica contingunt. Ergo, si pathemata aliquam mutationem sensorio induxerunt, phaenomena, inuita mente, inde profluentia ex hac contigisse lege dicenda sunt.

2) In quo consistat haec mutatio, qua producatur ratione? ignoramus. Nolim tamen organicam mutationem assumere: tonicus nempe motus in neruis plane non probabilis, eumque assumere vetat nerui fabrica. Inest autem neruis potentia quaedam materialis, sensibus vero non percipienda; subtilissima, ad edendos tamen validissimos effectus apta; aethereo fluida, ita tamen constituta, vt intra singulas fibras includatur, vt ligamentis intercipi possit; non mechanica, sed viua; vnico animali corpori insita, vitam animalem forsan constituens ipsam; vim suam exserens in animum aeque ac corpus, atque inter duo haec incomprehensibile constituens vinculum. Pendet ab ea nerui actio; omnis sensationis est caussa. Si influxum suum in animam ita exercet, vt nascatur in illa idea sensationi analoga, fit Perceptio; si muscularis fibrae vim contractilem auget, fit Motus. Spiritus nerueus, Archaeus, Anima sensitiua ab aliis fuit dicta. Liceat mihi sub *Potentiae neruosae*, *Principii*, siue *Vis sentientis* nomine eandem intelligere. Est *sensibilitas* ipsa. — Sensorii et neruorum mutatio mihi est hujus potentiae in illis excitatio et peculiaris modificatio.

vexantur, sic vt, inter quas naturaliter nullus est consensus, tantum aleant commercium, vt vna absque alterius detrimento nunquam affici possit; vel, quod frequentius obseruatur, adest quaedam pars, cui prae aliis morbose consentitur, et quae, corpore in quacunque regione stimulato, irritatione statim adficitur. Partis illius laxitati vel debilitati vulgo quidem hoc tribui solet, vera autem caussa ex neruorum hanc partem ingredientium *vi sentiente*, ad impetum proniori, et inde a quauis sensorio inducta mutatione facile excitabili, repetenda erit. Hypochondriacorum et hystericarum corpora, quorum scilicet neruosum genus a naturali aberrat statu, vitiosam ejusmodi consensionem frequentius ostendunt.

§. XIII.

Sensorii Impetus, stimulo sublato, continuatur.

Commotam semel *sensilem* in aliquo neruo *vim*, remoto jam stimulo, non requiescere statim, notandum est. Inde fit, vt anima objecta, quae sensus affecerunt, quandoque percipere pergat. Nauseosus rhabarbari odor saporue animo obseruatur, licet illorum sensuum organis nullae ejus particulae amplius adhaerent. Leuiores vero, vt in sensibus fiunt, neruosae potentiae commotiones, cum caussa excitante plerumque cessant; atrocius autem concussa, abnormem exserere actionem, dolore animam vexare, aliaque in corpore phaenomena procreare, pergit. Ita, vulnere inflicto, excitata sensibilitas acerbissimum doloris sensum in mente sustinet, febremque accendit inflammatoriam, licet vulnerans instrumentum mox post laesionem factam extractum fuerit. Nec solum in affecto neruo, stimulo sublato, actiua vis intenditur, sed in consentiente etiam; imo in hoc poterit adhuc ad impetum incitari, postquam in illo jam deleta est sensatio. Sic spasmus maxillae inferioris a vulnere, in parte tendinosa ortus, durat, dolore omni in affecta parte jam deleto, nec dilatationes, nec relaxantia topica, imo nec ipsa membri amputatio eum soluunt; in sensorio itaque communi ipso et omni neruoso systemate ejus caussa quaerenda est; quare etiam ad medicamenta, quibus specifica in neruos vis, ad moschum, opium et Corticem Peruuianum confugiendum est.

Ne vero in re notissima longus sim, experientia constat, Systemati neruoso a stimulo vehementius perculso labem posse inuri, per omnem deinde vitam remanentem. Sic virum a horrendo tonitru fragore expergefactum, in musculorum omnium tremorem incidisse; virginemque, quae firmo antea gaudebat corporis habitu, ex subitaneo metu tremore correptam fuisse, vidit *van* SWIETEN [1]. Et referente eodem, puella per plures annos epileptica fuit facta, dum eam joci caussa sub pedum planta titillassent [2]. Nec desunt plura alia exempla, conuulsiuum habitum neruos quosdam a vehementiori stimulo, quem quondam perpessi erant, contraxisse, quae afferri possent, nisi sufficienter jam pateret, neruosam potentiam nunc longius in efferuescentia quasi perstare, postquam excitans caussa jam dudum sublata est. Et nullum amplius superest dubium, quin dentur neruosae affectiones, in quibus nullus in corpore stimulus subest, quae ideo *morbi absque materia*, *morbi immateriales* vulgo audiunt: primariam

1) T. II. p. 182. 183. 2) T. III. p. 402.

riam tamen earum originem a stimulo quondam perpesso deducendam esse, vtique videtur.

§. XIV.

Neruorum Potestas in Organa Vitalia.

Duo in C. H. fiunt diuersa actionum genera: dependent scilicet quaedam a libera animae voluntate, aliae non agnoscunt ejus imperium. Priores, vt quibus a reliquis corporibus animal praesertim distinguitur, animales dicuntur. Vis quidem vitalis, musculis insita immediata earum extat caussa: haec autem per se quiescit, nec vnquam absque stimulo vel commoto neruoso principio agit. Talem vero constitutionem atque situm acceperunt animales musculi, vt a stimulis tam externis quam internis nunquam afficiantur, nec nisi a neruis ad actiones sollicitari possint. Et nerui eos accedentes, vt voluntatis sunt executores, absoluto mentis imperio subjecti rarius inuita ea agunt; et licet a turbato communi sensorio ad inuoluntarium excitentur motum, citius tamen animae agnoscunt vocem, et ab illa compescuntur.

Sed quas imbecilli menti non commisit sapientissimus Creator, vitales actiones, diuersis legibus regi voluit. Vis eadem est, quamquam fortior; incitante autem caussa ab animalibus praesertim differunt. Humoribus nempe, ad quos propellendos constituta sunt vitalia organa, ipsis, veluti perpetuo et renouato semper stimulo, ad perpetuam incitantur actionem; nec opus hic est antagonismo vllo, nec alternante fluidi neruei influxu. Atque in haec organa animae nulla concessa fuit potestas, et nulla eorum motuum perceptio, ita vt insigniter turbari queant absque illius conscientia.

Minime vero sequitur, quod vti animae, ita et sensorii et neruorum respuant influxum. De circulationis organis nunc praesertim dicendum.

Cordis fabrica non paucos sibi vindicat neruos, singulari ratione per omnem ejus substantiam distributos; nutritioni nec inseruiunt, nec sensui, frustra autem ei concessos fuisse, assumere vetat parsimoniae lex. Litem, an a neruis vis viua omnis? nihil curo. Ni vero ad naturalem sustentandum motum adsunt, vnicus superest scopus, vt nempe a sympathia, quae neruorum ope in omni obtinet corpore, de hocce immune non maneret viscus, vt sub quibusdam in corpore ortis mutationibus a naturali sua norma deflecteret, et sic, vbi partium quarundam laesio omni Oeconomiae destructionem minitaretur, ab illis amice conjuratum ad hostilem remouendam materiem consentiret.

Numerosissima porro in animalibus instituta experimenta luculentissime probant, a neruis cardiacis affectis perturbari cordis motum; a vellicatis illis vel ipso encephalo spastice contrahi; ejus motum jam extinctum, irritata spinali medulla, rursus excitari [1]. (Conf. §. 4.)

Et denique neruorum in cor potestas ex iis patet, quae in animi pathematibus obseruantur: mutatur varie sanguinis circulus, palpitat cor. Quae quidem phaenomena immediate a mente producta existimari nequeunt, quippe quae reluctante illa contingunt (§. II. *not. o.*); sensorii vero actionem in caussa esse, et mediantibus neruis hanc ad cor peruenire, omnes concedunt, nec alio modo intelligitur.

§. XV.

1) Kaaw Boerhaave *imp. fac.* §. 330.

§. XV.

Sunt, fcio, qui omnem irritabilem vim vafis denegare non dubitent, ideoque omnem horum actionem ponant in elafticitate, qua, cum diftenta effent, fe rurfus contrahant. Nouiffimorum vero argumentationes et experimenta mufcularem vaforum vim ita demonftrarunt, vt amplius, ni fallor, de ea dubitari nequeat. Argumenta enim, ex neceffitate viuae ejusmodi actionis, analogia, vaforum conftructione, experimentis obuiisque multis in viuo corpore phaenomenis petita, tanti funt ponderis, vt dubios, nec ipfa PERILL. HALLERI, in contrariam partem euntis, authoritas nos reddat. Sed etiam Magnus hic Vir non plane negat vaforum irritabilitatem, eamque plurimis in locis admittit [1]); cordis autem vires ad obfoluendum fanguinis circulum fufficere, ratus, parum in agendo huic tribuit vi. Experimenta ab illo inftituta, quibus enixe infiftit, non oftenderunt quidem ei vaforum irritabilitatem, fed et ipfe telae cellulofae craffitiei hoc adfcribendum effe, fatetur [2]). Atque hoc re vera fe ita habere, patet ex aliorum experimentis, in quibus ad ftimulos vafa facile confpicuos motus ediderunt [3]).

Sed quid ponderis ego fuperaddere molior rei, cujus veritas ab aliis luce meridiana clarior expofita fuit? Ac ne iis taedio fim, qui eam abunde jam demonftratam effe fciunt, alios ad egregii R. WHYTT *phyfiological effay of the motion of the fluids in the fmall veffels* et *Cel.* VERSCHUIR *Diff. de arteriarum et venarum vi irritabili* ablego. Poteft etiam, quae maxima ex parte ex hac excerpta eft, *Cl.* GRUBERI Differt. *de exceffu vis vitalis vaforum*, conferri.

Sic facile poffum hanc difceptationem euitare, id quod eo lubentius facio, cum ea, quam ego erga magnum aduerfarium foueo, veneratio objectionibus multum detrahat fortitudinis: denuo tamen notandum, quod ipfe mufculares fibras vafis omnino concedat, nec viuam eorum contractionem in dubium propterea vocare videatur, quia ipfi nondum fucceffit experimentum; ipfe teftatur: „arterias irritabiles effe, aliqua fua„dere, tum mufcularem, quae ipfis ineft membranam, tum maxime neceffitatem in„veniendae cauffae, quae faciat, vt dilatata arteria viciffim cordis impulfioni refpon„deat, et anguftior fiat aeque, vt in latitudinem ceffit [4]).“

§. XVI.

Certo itaque certius cum conftat, vafa fibris gaudere viribusque mufcularibus, jam inde concludere liceret, nec neruis deftitui, nec eorum recufare imperium.

Et plurimis in locis neruos ad majores vaforum truncos adeuntes, eorumque perreptantes tunicam aperte oftendit anatomica; ex intercoftali neruo plufculi rami ad omnes carotidis diuifiones abeunt, integri plexus per coeliaca, mefenterica aliaque

abdomi-

1) „Ces animaux (de perfectioribus loquitur) ont d'ailleurs des fibres mufculai„res dans leurs arteres. J'y reconnois par „confequent de l'irritabilité.“ *Mem. fur la nature du fenfible et irritable* T. I. p. 274.

2) „Il faut attribuer apparement cette ex„ception a l'epaiffeur de la cellulofité, qui „compofe le gros de la fubftance des arte„res, et qui couvre les fibres mufculaires“ *ibidem.*

3) Legi praefertim merentur experimenta CEL. VERSCHUIR *Differtat.* annexa. — SCHREGER de irrit. vaf. lymph. L.

4) *Comment. Göetting. T. II. p.* 140.

abdominalia vasa decurrunt, et plurimos vasorum neruos describit HALLERUS [1]). Quanquam secando ad ipsam vsque in vasis terminationem eos persequi non possumus, id quod et in aliis partibus cultro anatomico vix conceditur: non est tamen, quod dubitemus, ex maxima parte in vasorum tunicas dispergi.

Visum quidem fuit, irritatis neruis vasa quieuisse, nec a horrendis spasmis mutatum fuisse pulsum [2]): sed non desunt contraria experimenta affirmantia [3]), quae negatiuis plus valent.

Sed etsi nec analogia suaderet, neruos vasorum tunicas ingredientes adesse, nec anatomia istos detegeret, nec experimenta artificialia pulsum diuersimode a stimulatis neruis mutari, demonstrarent: tamen phaenomenorum plurimorum in C. H. contingentium consideratio de neruorum in vasa imperio dubitare nos non sineret.

Obseruamus frequenter partem arteriosi systematis praeternaturalem offerre pulsum, dum reliqua pars ordinatos motus edere pergit. Neque impossibile videtur PER-ILL. HALLERO, „in ejusdem hominis duobus artubus non easdem esse pulsus affectio„nes, vt in parte inflammata, inque artu podagrico aliter, quam in carpo se habeat, „et in humorum ad caput affluxu arteriae pedum coarctatae alium, quam carotides ex„hibeant pulsum. In viuis enim animalibus, inquit, frequentissime vidi, sanguinem „in aliqua corporis regione aut lente fluxisse, aut omnino quieuisse, dum alibi alacriter „in circulum pergebat ire [4]).“ Inaequales vero has vasorum actiones ex inaequali vis sentientis influxu repetendas esse, in absentia aliarum caussarum probat animi passionum singularis vis in procreandis illis; vehementior ab ira carottidum pulsatio, faciem aestuare, rubere, labia intumescere facit; terror contra et moestitia pulsum tremulum, vix perceptibilem cum pallore faciei, frigore, animique deliquio inducit [5]). Maxime notabile exemplum affert MORGAGNI aegri moestitia correpti, in quo miram pulsuum varietatem ex illa productam obseruauit [6]). Et enarrato simili casu probe monet, ex neruorum inordinata actione ejusmodi pulsuum vitia repetenda esse, vt quae alias explicatu forent difficillima [7]).

Non perit quidem semper arteriae actio infra abscissum neruum, sed continuatur sanguinis motus. An alii forsan nerui tum arteriam accedebant? An nerui supra vulneratum locum arteriam intrantes et intra ejus tunicas decurrentes per omnes arteriae musculosas fibras distributi fuerunt? An cordis et arteriae superioris actio viua vna cum rami sola elasticitate suffecit continuando sanguinis motui [8])? Saepius tamen a neruo

1) *Opera minora T. I. p.* 516. *et seqq.*
2) HALLERI *elem. phys. T. II. p.* 205.
3) *Mem. sur la circulation.* p. 147.
4) *Elem. phys.* T. II. p. 267. vbi citantur BORDEV *recherches sur le pouls* p. 315, 316, 320, 321, 322, 327. PECHLIN *obseruat.* 2. L. 5. HOFFMANN *med. systém.* T. I. p. 115. ALBERTIN. *Comment. Acad. Bonnon.* T. I. p. 387. Confer. etiam *not. ad* BOERHAAV. *praelect.* T. V. p. 154.

5) De effectibus animi affectionum vid. HALLER *Elem. phys.* T. V. p. 580 et seqq.
6) *de sedibus et Caus. morbor. Epist.* 24. Art. 20.
7) *ibid. artic.* 33.
8) Vidi in foemina post hemiplegiam cubitum paralyticum in quo licet probe nutrito, nullus deprehendebatur pulsus. Arteriam satis amplam, sed nullam micationem sensi. Impediuit forsan cutis obesitas, quo minus

neruo majori discisso gangraenam induci, idque propterea fieri, quia inde muscularis arteriae vis destruitur, docet v. SWIETEN [9]; duoque affert exempla gangraenae a laesione spinalis medullae exortae, quorum ipse oculatus fuit testis [10].

Et facile remoueri potest illa, aduersus neruorum necessitatem facta objectio, quae ab apoplecticis, paralyticis quibusdam et soporosis affectibus, in quibus scilicet superstites manent vitales motus, petitur. Quanquam enim hypothesis, ac si cerebellum hisce praeesset, satis refutata est: tamen negari non potest, cardiacos et arteriosos neruos, (loquor de fibris simplicissimis) quippe qui cum anima nullum alent commercium, quoad naturam et primam originem a voluntariis differre, et ideo diuersis legibus subjectos, et aliis affectionibus obnoxios esse.

Neque tamen omnium arteriarum actionem neruis tribuo, nec plane assentior PERILL. SENAC, dicenti [11]: „Mais les arteres sont des instruments actifs, ce sont „des especes de coeurs; or les coeurs pressées ou irrités, donnent un plus grand mou„vement au sang: il en est de même des arteres; ce n'est donc pas par leur élasticité „seule, qu'elles agiront plus fortement sur ce fluide, c'est par un principe dependant „des nerfs, ou pour mieux dire par l'action même des nerfs."

Sed neruis insignem potestatem esse, mutandi tam in vniuersum, quam in singulis partibus sanguinis circuli, affirmo, et hoc extra omne dubium positum est; et PERILL. HALLERI, cujus authoritas primo intuitu obstare videtur, sequentia verba magni facio, quibus profecto melius sententiam meam ipse exprimere non potuissem: „Quare crediderim neruos, qui arterias adeunt, vtique ad vim eorum contractilem per„tinere, fibrisque earum carneis id mobile principium impertire, quod a neruis carnes „mutuantur. Neque credo alienum esse a veri specie, eos neruos vel magis irritabiles „arterias reddere vel minus, prouti in ipsis istis neruis ineffabilis ea mutatio praecessit, „quae prurientem eorum sensum intendit. Sed inprimis cordis ipsius naturam irritabi„lem increscere, atque neruea mutatione celerrimum ejus organi motum, veramque „conuulsionem produci posse, atque ideo ipsum fontem motus sanguinis noua scaturi„gine augeri probabile fit, vt ex palpitatione manifestum est, quae in ira, gaudio, aut „desiderio et expectatione obseruatur [12]."

§. XVII.

Atque si neruis vitalia organa subjacent, tum ab affectis iis in consensum etiam rapi sequitur. Et haec quidem omnium frequentissime consentire videntur.

Nerui nimirum animalibus inseruientes actionibus animae potestati magis, quam corporeis stimulis auscultantes, quousque naturae vigent leges, ipsius voluntati sese non subducunt; ideoque animales actiones, nisi totius neruosi generis, vt in epilepsia fit, oeconomia inuertitur, ex sympathia non perturbantur. Minus obedientes sexus actiones

minus leuior a debiliore contractione dilatatio perciperetur. In altero carpo distinctus erat pulsus.

9) ibid. p. 238.

10) *Tr. du Coeur.* T. II. p. 169.

11) *Comment. in* BOERHAAV. T. I. p. 237.

12) *Elem. Physiolog.* T. II. p. 206. Confer. etiam p. 202 et 252. *Oper. minor.* T. I. p. 233. Neruis magnam vim in secretionis negotio concedit is *Elem. phys.* T. II. p. 438-442; de quo alibi fusius dicam.

actiones veneris stimulo obtemperant casta reluctante mente. In neruos autem vitalia adeuntes organa, nullum menti imperium concessit sapientissimus Creator, ne ea impedire posset, quo minus, excitato ad reactionem sensorio, in hos fieret virium nervosarum impetus, indeque cor et arteriae ad enormes cierentur motus. Nisi enim incitatae vitales actiones, vt quibus peculiaris obeundi hujus muneris potestas, statim subigerent et exterminarent hostilem inter corpus susceptam materiam labemque neruis inustam delerent, C. H. nociuarum rerum actioni, cui perpetuo expositum est, mox succumberet.

Praeter singularem vero sensorii constitutionem et aliae extant caussae, quibus fit, vt vasculosum systema a quocunque stimulo facilius commoueatur. Cordis enim fibrae reliquas exquisita irritabilitate praepollent, ad minores stimulos sensibiliores sunt e corpore euulsae vim suam diutius seruant. Vix iis cedere videntur vasorum fibrae, quanquam cellulosa firmius obuolutae experimentis difficilius subjiciantur; venam cauam mortuo corde vim suam irritabilem retinere plurimi volunt. Deinde vasa stimulos suos continent, et sibimet ipsis eos applicant. Quodsi ergo, neruorum impetu aucto, eorum irritabilitas per se viuidissima, vel parum increscit, vasa aduersus solitos stimulos impatientiora reddita, motus exserunt vehementiores [1]).

Sic omnia conspirant, vt salutifer ille scopus, quo corpus afflictum exortis turbis ab interitu suo liberatur, obtineatur et *Febris* euadat morbosarum affectionum omnium frequentissima.

§. XVIII.

F e b r i s.

Haec enim ille est, qui ex vitalium neruorum suscitato impetu, indeque aucta cordis et arteriarum irritabilitate immediate profluit, effectus.

Et sub vehementissimo quidem et primo neruosae potentiae impetu talis irritabilitatis gradus et tantus ad contractionem nisus cordi conciliatur, vt a solita sanguinis copia distendi se non patiantur ejus camerae, sed a minori recepta vnda ad contractionem mox cieantur, istam vehementer expellant, nouamque recipiant. Majorum arteriarum resistentia vi cordis vehementiori superatur, sed et ipsae aucta fortitudine sanguinis columnam celerius promouent. Coarctata minora vascula humorum omnem fere ingressum repudiant. Sanguinis igitur circulatio majoribus vasis, anastomosibus vbique junctis, fere tota perficitur; et vasa, quibus tam propter tunicarum laxitatem, quam ambientium debiliorem compressionem minor est resistendi facultas, sanguinis copia obruuntur. Pulmonum et portarum vasculosum systema praesertim grauari manifestat anxietas, difficilior respiratio, praecordiorum oppressio, nausea, conatus vomendi. Peripheria corporis pallet, corrugatur, disparent contracta ejus superficialia vasa. Pulsus paruus, durus, tremulus, celer. — Excretiones supprimuntur, vrina mingitur aquosa. Horret omne corpus. —

1) Febres etiam a stimulis intra vasa praeternaturalibus acrioribus posse accendi, nequaquam nego! plurimas tamen dari, et ex mea sententia frequentiores, in quibus falsim ab initio humorum vitium accusari nequit, persuasum mihi habeo. Sed alio loco commodius de hoc sermonem faciam.

Remittente vehementissimo hoc impetu, imminuitur vasculosi spasmi intensior gradus. Majorem sanguinis vndam recipit cor, arteriae magis distentae magnum, fortem et frequentem exhibent pulsum. Sanguis velocius currit, per totum vasorum systema aequalius dispescitur et in minora penetrat vasa: rubro igitur colore suffunditur cutis, arida tamen tactuque aspera se offert; exhalantia enim vasa nondum patent perspirabili materiae, nisi violenta arteriarum actione superatur eorum contractum lumen, et vi febris sudor exprimitur noxius vtplurimum, quippe qui potius a morbo intenso, quam soluto producitur. Aestus vrget. —

Donec tandem deleto fere in neruis febrili charactere omnia remittant phaenomena; pulsus ad naturalem redeat normam; vasa relaxentur; perspirabili materiae pateat exitus; sudore aequali madeat corpus; crassior profluat vrina; aliaeque contingant excretiones, quibus materia vitiosa vel ante febrem jam extans, vel in ipsa ea demum generata ejicitur, et febris soluatur.

Haec vero phaenomena accuratiori subjiciam examini, postquam febrium caussas et aptitudinem ad suscipiendam eam considerauero.

§. XIX.

Caussae Febrium et earum Actio.

Proximam febrium caussam in excessu vis irritabilis vasorum ponenti mihi nemo contradicet, qui Boerhaavii de proxima morborum caussa definitionem ab omnibus receptam assumit; ille vero, „Caussa, inquit, proxima appellatur tota illa simul, quae „totum jam praesentem immediate constituit; haec semper est integra, sufficiens, prae„sens, totius morbi, siue simplex fuerit, siue composita. Hujus praesentia ponit, „continuat morbum. Hujus absentia eum tollit. Est fere idem ens ipso integro morbo. „Hinc inquisitu vtilissima, maxime necessaria [1].“ Cum enim febris essentialis character consistat in quadam motuum vitalium anomalia, hi vero vi vitali vasorum perficiantur, sequitur non perturbari posse, nisi haec ipsa vis afficiatur; et quamquam largimur, fluidorum malam crasin istius affectionis caussam saepe esse, tamen vi vitali febris immediate formatur; et sic fluida quidem occasionem praebere possunt, febrem autem nunquam producunt.

Caussas occasionales vocarunt medici illas a rebus externis illatas injurias, quae febrem saepe excitant. Non tamen febris ab iis immediate pendet; sed est viui corporis reactio, quam, ab iis incitatum, exserit. Agunt itaque stimuli instar irritando. Cum vero difficile intellectu sit, qua ratione in vasculoso systemate tantas cieant turbas, nisi ea, vt neruos afficiant: probabile omnino fit, neruosum systema ab illis ita mutari, vt febrem excitet. Rarius quippe obseruatur, statim febrim exardescere, postquam corpori applicatae fuerunt, sed insurgit illa, si dudum jam cessauit earum actio. Neque febris curatur remediis illis oppositis, sed si semel corpus afflixerunt, exorta febris suum absoluit decursum. Talem enim sensorio labem induxisse videntur, quae non nisi temporis decursu et enormibus motibus, a propria reactione editis, deleri se patitur. Sic extracto licet vulnerante gladio, inflammatoria febris tamen exoritur. Non

1) *Institut. med.* §. 740.

Non requiritur autem ad stimulum acris quaedam seu crassior res, sed quodcunque neruis, quibus applicatur, molestum, imo subtilissima sufficit materies. Latet vero modus, quo in neruos externa agunt, neque vnquam detegi posse spes est; physica lege per motus communicationem non fieri, facile apparet. Pendet itaque nullo modo a fortitudine stimuli reactionis gradus, sed a leuissimo stimulo vehementissimos motus, a forti nullos saepe produci obseruamus. Nec anima ejus fit conscia semper et rarius distinctam ejus ideam habet.

Et multa alia circa stimulos et occasionales febrium caussas latere, agnoscunt omnes. Iisdem injuriis aliqui corpora impune exponunt, quae in plerisque atrocissimam accenderent febrem, et tamen a leuioribus, quae alios non afficerent, in eam incidunt. Medici idcirco occultam aliquam dispositionem assumserunt, quae peculiari indigeret stimulo, quo excitata febrem produceat. Etenim non omnibus corporibus ad eumdem stimulum eadem est sensibilitas, ergo et ejus effectus varius erit, quoad singularem indiuidui constitutionem. Nec solum attendendum hic est ad majorem in genere sentiendi facultatem, sed ad istam erga singulares stimulos peculiarem sensibilitatem; mutua nempe aliqua affinitas inter corporis dispositionem et excitantem caussam adsit, necesse est, qua ambo conspirant in producendo effectu. Notissima sunt *Idiosyncrasiae* mirabilia phaenomena. Gratus et plerosque reficiens Moschi et Zibethi odor, naribus tenerae feminae applicatus, vehementissimum excitabit hystericum insultum; fragrantia rosae effluuia animo deliquescere faciunt quosdam; gratus erat albarum odor, ingratus rubrarum [2]). Felis, licet occulta sit, exhalationes in multis hominibus anxietatem, sudorem, animi deliquium excitant. Ex pomorum odore animi deliquium [3]); a fragis mira symptomata [4]); ex casei odore haemorrhagia narium [5]) obseruata. Et fere omnes illi, quibus sensibiliores sunt nerui, horrent a quibusdam rebus, quae reliquorum consensu ingrati nihil habent. Haec satis demonstrant, eumdem stimulum posse quosdam valide turbare, dum alios non moueat, ideoque requiri, vt corpori insit ad stimulum aliqua relatio, sine qua nullam habebit efficaciam.

Considerande etiam consuetudinis magna potestas; hac enim corpori erga nocentissimas res insensibilitas inducitur. Assuescimus continuato vsu venenis; tabaci fumus, plena vino pocula a quibusdam impune hauriuntur, quae non assuetis summas creant molestias. Tormentorum explosionem non sentit exercitatus miles, nec mari assuetus nauta vomitu et nausea tentatur; horridus cadaueris adspectus, nauseosus odor delectat veterem anatomicum, qui ipsi tyroni animi deliquium induxit. Ejusmodi consuetudine non omnis in genere imminuitur sensibilitas, sed modo singularis illa aduersus aliquas res; ab aliis enim, quae leuius saepe agunt, valide commouetur idem corpus. Hic est caussa, cur tenerae puellae nudas partes frigidissimo tradere aeri; cur quidam acriora impune deglutire, contagio sese exponere possint, nec tamen febre corripiantur. Anne et ratio inde petenda, cur a quibusdam morbis non iterum afficiuntur, qui eos semel experti sunt? Anne hinc intelligitur, cur nerui a varioloso miasmate non iterum suscipiant illum characterem, quo altera vice tales motus in corpore producantur,

Kk 3

2) *Ephem. Nat. Cur.* D. II. An. V. obs. 8.

3) *ibid. An.* I. obs. 72.

4) *ibid. An.* V. *Obseruat.* 214.

5) Kaaw Boerhaav. *imp. fac.* §. 409.

tur, quales requirerentur, vt variolosus morbus in corpore, et variolosum pus in cutis superficie generetur?

Corporis eam aptitudinem, qua fit, vt a peculiari stimulo incitari se patiatur, ab omni aeuo probe intellexerunt medici, eamque *Praedispositionem* dixerunt; et recte monuit GALENUS, „quod nulla caussa sine corporis aptitudine agere possit: alioquin „omnes febricitarent, qui in sole aestiuo versantur, aut vinum bibunt, aut ira„scuntur [6].“

Non solum autem in variis indiuiduis diuersa est ad stimulum aliquem sensibilitas, sed in eodem etiam mirifice differt. A quibus enim alio tempore blande afficiebatur corpus, ea nunc non fert, sed ad vehementissimas turbas incitatur. Hystericae feminae in interuallis perfecta gaudentes sanitate, a rebus illis non commouentur, quae illas alio tempore, quo neruosum systema occulta ratione turbatum erat, in lipothymiam, spasmos, conuulsiones conjiciebant. In tetano adeo sensibiles fiunt infantes, vt leuissimus stimulus, sonus, attactus corporis, quinimo vestium, conuulsiuos excitet spasmos [7].

Variant et stimulorum effectus secundum differentiam et constitutionem partium, quibus applicantur. Sonus oculum non mouet, neque luminis radius aurem. Tartarus emeticus non afficit linguam, nec sensibilissimos oculos, ventriculum vero, qui tot alia acria fert, ad enormes ciet contractiones. Et quibusdam stimulis peculiaris est in neruos singularum partium potestas, licet per omne corpus aequaliter dispergi, nec hisce partibus prae aliis applicari videantur. Dantur itaque medicamenta diuretica, quae solum in systema vropoieticum agunt; emmenagoga, quae in vterum; Mercurius, justa dosi adhibitus, saliuam tantum, non alias excretiones mouet.

Ex his itaque intelligitur, cur a stimulis non omnibus, nec ab eodem stimulo in quouis homine, febris excitetur. Quaedam tamen res frequentius febrem accendere obseruatae sunt, et ideo occasionales febrium caussae a medicis dictae. Et cum inter vulgum sunt cognitae (imo notae nimis, cum saepe a medico importune postulant, vt euidentem externam determinet caussam, qua inducta fuerit aliqua febris) earum enumeratione facile supersedere possum. Irritamentum corpori applicare omnes, vnusquisque, qui attentius eas considerat, intelliget. Quarundam tamen agendi modum paulo accuratius contemplandum mihi sumam.

Distingui solet inter caussas *singulares et epidemicas.* Epidemicae pluribus communes sunt, nec facile vitari possunt; aeris constitutioni et victus rationi originem debent. Cum vero hae ita tantummodo disponere videantur corpora, vt a leuiori occasione febris facile inuadat, et febris quaeuis exorta peculiarem assumat genium, eorum mentionem ibi faciam, vbi de *Praedispositione* sermo erit.

Non commutandum cum illis contagium, cui major, quam aliis inest obscuritas. Illud tamen neruos praesertim afficere, quae suadent, multa in promtu sunt argumenta, antequam vero de variis humorum degenerationibus dixero, vix proferenda. Quam ob caussam hanc materiam alibi tractandam relinquo.

§. XX.

6) *De febribus* S. I. cap. IV.
7) HILLARY *Diseases of Barbadoes* p. 241.

§. XX.

R e f r i g e r a t i o.

Cum *haec subitanea* praesertim, inter frequentissimas sit febrium caussas referenda, eam accuratius considerare lubet.

Ab eo inde tempore, quo SANCTORIUS insensibilis perspirationis negotium studiosissimis inuestigauit experimentis, ratio, qua corporis refrigeratio tantum sanitati detrimentum afferat, vnanimi fere medicorum consensu in eo fuit posita, quod, constrictis a frigore cutaneis emissariis, perspirabilis in corpore retineretur materia; quae, tum quia humorum nimis augeret massam et plethoram procrearet, tum quia ipsa officiis suis in corpore functa, ad eliminandum parata, jamque ad putredinem vergens, humores inquinaret, si in eorum orbitam rursus reciperetur, sanitati necessario perniciosissima foret.

Quo probabiliora haec primo intuitu sunt, eo magis, accuratius paulo pensitata, in dubium posse vocari, videntur.

Quinque octauas partes ingestorum per transpirationem excerni contendit SANCTORIUS. Plurimi jam volunt, nimis magnam et incredibilem esse eam perspirationis copiam, et experimentis omnibus, recentioribus temporibus et sub aestuoso etiam coelo institutis, plane contrariam.

Longe minorem eam inuenit IAC. KEIL et admodum variabilem, monuitque, eam insigniter minui et mutari posse, absque vllo manifesto sanitatis detrimento.

Quatruplo sensibiles excretiones superare insensibilem inuenit FLOYER [1]), neque hanc ante asthmatis insultum imminui obseruauit, vt in omni morbo ad SANCTORII mentem fieri deberet.

Omnium acerrime in SANCTORIUM inuehit THOM. SECKER, qui illum in multis GALENUM exscribere et imitari, ex theoria aphorismos condere, sibique saepius contradicere, audacter contendit [2]).

BRYAN ROBINSON institutis suis experimentis [3]) edoctus fuit perspirationis et vrinae semper eam esse rationem, vt aucta illa, haec imminuatur, et contra. Instituit quidem experimenta tantum ab *Aprili* mense ad *Nouembrem* vsque repetitis tamen illis media hyeme, inuenit, tantum tunc vrinam excedere perspirationis copiam, quantum haec illa major fuit in aestate [4]).

Pulcherrimas experimentorum in *Carolina meridionali* institutorum tabulas dedit LINING [5]), atque excretorum proportionem in variis anni temporibus admodum differre et perspirationis copiam sequi caloris gradum ostendit, obseruauitque ille, se a *Martio*, vsque ad *Septembris* finem XVII libras ponderis sui amisisse, tantum vero et amplius versus *Februarii* finem rursus accepisse, in tanto tamen corporis incremento ac perspirationis decremento prospera fruitum esse valetudine. Et ipse SANCTORIUS fatetur, ab aequinoctio autumnali ad solstitium hyemale quolibet die minus

1) *Tr. of the asthma* p. 196-200.

2) *Dissert. de med. statica* in HALLERI *dissert. anat. collect.* T. III.

3) *Animal Oeconomy* p. 259. *edit.* 3ia.

4) *ibid.* p. 261.

5) *Philos. Transact.* Vol. XL. N. 470.

minus libra perspirari, ideoque minus quinta parte ejus copiae, quae alio tempore exspirata fuit [6].

Ex his constat, hanc excretionem adeo variare, vt fixi quid de ea minime stabiliri queat. Atque si plura in iis praesertim, qui aeris injuriis sese absque vllo incommodo exponunt vitamque sub frigidissimo coelo degunt, tentamina instituerentur, non dubito, fore, vt major longe obseruetur differentia.

Actio enim frigoris in cutim eadem manet, nec mutatur consuetudine; frigus in illis aeque fluidorum et solidorum moleculas adunat et cutim constringit, qui corpora frigido aeri exponere consueuerunt, ac in illis, qui ea calore perpetuo fovent. Illi tamen impune id faciunt, quod in aliis dirissimae febris, imo mortis ipsius foret caussa. Sic *Russi* ex fornace prodeuntes in gelidissimam niuem sese conjiciunt.

Cutis etiam perspiratio necessario supprimi debet, si ea vndique pingui inungitur oleo; obstruuntur inde pori et aquoso vapori exitus recluditur: tamen absque omni noxa id fieri posse constat. Veterum enim more post balnea ejusmodi inunctiones adhibebantur, et athletae omne corpus oleo obducebant; imo Reaumur, cum videret insectorum prolongari vitam, si tali modo eorum perspiratio infringeretur [7], denuo eam protulit, quae antea jam Baconis Verulamii fuit, cogitationem, vtrum idem cum fructu in hominibus tentari possit. Populi *Asiatici* totum corpus pinguibus, fuligine mistis, obliniunt, neque vllum inde sentiunt incommodum, sed potius a tali inunctione maximum in sanitatem redundare emolumentum contendunt. Atque re vera a nimia perspiratione *Europaeorum* vires in calidissimis illis regionibus subito franguntur. In *Persia* cameli pice obducuntur, quia verno tempore pili cadunt, vt a muscarum puncturis defendantur.

Experientia itaque ostendit, transpirationem absque sanitatis detrimento imminui posse et supprimi, atque corporis saepe robori prodesse, vt minori quantitate fiat; manifeste enim debilitamur aucta nimis per aestatem transpiratione, dum contra a frigore leue agileque sentitur corpus.

Neque theoria magis probabilia reddit grauia illa mala, quae ex suppressa transpiratione vulgo deducuntur.

Quod attinet ad repletionem corporis inde factam, haec certe parui est momenti. Si enim per vnam alteramue horam plane supprimi posset, humorum massa vix aliquot vnciis augeretur; longe major vero chyli copia a largiori pastu sanguini accedit. Sed insuper vnam excretionem alterius vicem statim supplere, semper obseruamus; excipit suppressam perspirationem largior diuresis, seu diarrhoea; diarrhoea sistitur, quando humores ad superficiem corporis determinantur, et aucta transpiratione imminuitur lotii quantitas. Et vtinam febres post refrigerationem oriundae repletionis et plethorae essent effectus, facilius tum euacuantibus, venae sectione et inedia in initiis statim sanari possent.

Neque

6) *medic. Static.* Sect. II. aphor. 21.

7) *Memoir. pour l'histoire des Insectes* T. II. p. 52 et seqq.

Neque indole sua perspirabilis materia nocet. Non videtur enim in sano statu ex sanis humoribus, quibus perspirabilis materiae partes semper continentur, secreta illa materia, cito adeo putrificantem talem indolem sibi acquirere, vt in sanguinem, ex quo modo secreta fuit, regressa, omnes inquinet humores. Stagnantes enim et secreti in corpore humores nunquam ita nociui euadunt, cum eos quotidie absque vllo incommodo in circulum recipi, obseruamus. Plurimum posse ex vrina in vesica jam deposita resorberi, si illa retinetur, demonstrat retentae vrinae spissitudo et altior color; imo, vesica jam distenta, si valido motu ad sudorem vsque exercetur corpus, cessat, qui antea aderat, ad mingendum stimulus, et postea vrina parua tantummodo copia mitti potest. Similiter a fecibus retentis multum resorbetur. Sed manifestissima stagnantium humorum resorptio fit in hydropicis, dum a morbo suo liberantur, citra vllum incommodum. Et extrauasata alia in circulum tuto recipiuntur. Si vero vnquam humores stagnando tam nociuam assumere possent qualitatem, vt reliqui omnes inde inficerentur, certe in hisce foret casibus: cum vero nullum inde oriatur malum, multo minus a corrupta materiae perspirabilis indole aliquid metuendum est.

Tristis tamen et frequens experientia noxium et lethiferum subitaneae refrigerationis effectum nihilominus probauit. Quot enim homines longo itinere, calore et siti aestuantes, cum multa gelida assumta refrigerare se cuperent, inopinata morte sitim suam extinxerunt! Alia itaque ratione agat refrigeratio, necesse est, cum suppressa transpiratio tantorum malorum caussa esse non potest. Et quid mirum, summum frigus, aestuanti applicatum corpori, vehementissimi stimuli effectum exserere, neruosum genus vehementer turbare, irritare, partes ideo omnes corrugare, corporis functiones omnes supprimere et spasmo vniuersali mortem inducere? Differt vero effectus vehementia quoad gradum refrigerationis et corporis sensibilitatis. Ita in calidiorum regionum incolis, quibus neruosum systema longe mobilius majorque ad spasticos morbos dispositio, a nocturna refrigeratione tetanus solemnis est; nostra vero corpora eum vsque in gradum, nisi omnem modum excedat refrigerium, tantum stimulari modo videntur, vt irritabiliora vitalia organa spasmus vnice inuadat et febris producatur, cum partium quarumdam inflammatione plerumque conjuncta; simili modo in illis a vulnere tetanus exoritur, nos vero febre tantum affligimur.

Neque tamen ita velim intelligi, ac si omnes transpirationis suppressae noxas plane negarem. Diutius si supprimitur, omnino corpus grauare et variis morbosis affectionibus ansam dare potest. Plurimorum etiam catharrhalium febrium ortus inde deducendus videtur, vt inspirationis auctae, quod *Anglis* vulgo *frigus susceptum* adaequate dicitur, omnino ratio habenda sit, sicut egregie ostendit Iac. Keil. Sed febres inflammatorias acutissimas, a momentanea quadam refrigeratione exortas, retentae transpirabili materiae tribuere non possum.

§. XXI.

Animi Affectus.

Inter frequentiores febrium occasionales caussas animi pathemata merito referuntur. Iam ipsa eorum phaenomena breuior febris dici possent; vehementior fit ab ira

pulsus, calet omne corpus, scintillant oculi, omniaque ardentioris febris symptomata excitantur. Haec tamen plerumque post aliquod tempus facile compescuntur. Sed et quotidie fere febres diuturniores ab animi commotionibus accenduntur, quae tamen vix ab illis solum, sed potius a latente jam praedispositione, ab illis exstimulata, inductae videntur. Variae enim animi affectiones diuersas in corpore efficiunt mutationes; intenduntur in ira omnia, relaxari videntur a moerore, obrigescere a subitaneo terrore, tamen omnibus eadem ad excitandam febrem potestas, si in corpore aliquam dispositionem offendunt. Neque dijudicandus est febris gradus, nec periculum, nec genius ex pathematis vehementia et indole, sed excitata febris corporis tunc temporis constitutionem sequitur. Si epidemica constitutio ad febres singularis genii corpora disposuit, celerius nihil, quam mentis commotiones, in epidemicam febrem conjicit.

Tamen et certum est, animae affectiones, praesertim si protractae fuerunt, neruosum genus totumue corpus ad peculiarem febrem dispositum reddere, tumque exortae febri relationem ad pathema esse. Sic ira diuturna biliosam febrem in omni corpore procreare potest, et a moerore, ex infelici amore concepto, veram *lentam neruosam Anglorum* et quidem exitialem obseruaui.

§. XXII.

Praedispositio ad Febrem.

Omnibus quidem hominibus morborum seminia natura jam insunt, singularem vero ad peculiarem aliquem morbum dispositionem non omnes eodem gradu alunt. Neque minor hic, quam inter homines ipsos, obseruatur differentia; vt enim in omni terrarum orbe duo non reperiuntur homines sibi perfecte similes, sic etiam circa valetudinis statum aliqua semper obtinet differentia. Cum tamen ex notabili aliqua, quoad corporis constitutionem, obseruata affinitate variae constitui potuerunt temperamentorum species, sic vnum quoque prae altero hominum genere quibusdam morbis magis expositum inuenimus. Morborum vero, qui singulari temperamento praesertim competant, et cur hoc prae illo hominum genere cuidam morbo magis expositum sit, indagatio foret vtilissima, sed et difficultatum plenissima.

Aptitudinem ad suscipiendam febrem quaesiuerunt plerique in sanguinis densitate, nunc in solidorum nimia strictura. Mihi vero generatim in ejusmodi conditione febres solemniores dicendae minime videntur, cum profecto sub contrario corporis habitu longe frequentius occurrant; probe enim nutritum corpus, robustioribus conflatum fibris, sanguinem vasa peruoluens crassiorem, injuriis, quae certe tenerioribus febrem inducerent ardentissimam, tutius exponi posse obseruamus. Chirurgi in robustis minus timent inflammationis vehementiam, quam in teneris. Verum quidem, illos, qui semel decubuerunt, grauius aegrotare solere: hoc tamen non corporis majori ad febrem dispositioni, sed stimuli vehementiae tantae, quae minus sensile corpus ad febriles vsque motus lacessere potuit, tribuendum erit. Pestis ergo et omnes contagiosi et epidemici morbi feminas et teneriores magis inuaserunt; ex illis vero, quos aggressi sunt, atrocius laborarunt robusti, pluresque perierunt. Ita minoris momenti sunt in infanti-

bus

bus et teneris conuulsiones, in quibus a leuiori stimulo, a vermibus in intestinis hospitantibus, facile producuntur: in robustis vero grauissimum portendunt periculum, non quia in his per se vehementiores sunt, sed quia iste stimulus fortissimus sit, necesse est, qui ad tantas turbas incitare potuit callosos neruos.

Neque tamen contrarius corporis habitus, cum fibra laxa et sanguine inerte, magis fouet febris feminia. Fortissima enim stimulantia fert leucophlegmaticum corpus et difficillime in febriles motus erumpit.

Et tandem nulla cognita est peculiaris humorum crasis, quae corpori ad febrem majorem dispositionem conciliaret. Varias cacochymias nullam ad febrem habere inclinationem scimus, sed febris corpora laudabilibus gaudentia humoribus omnium frequentissime inuadit.

§. XXIII.

Consideravimus corpus nostrum a Creatore ita constitutum, vt, a re quadam moleste affectum, reactionem non solum in laesa parte ipsa, sed in aliis etiam exserat. Hujus reactionis caussa merito posita fuit in ejusmodi sensorii communis ab ipso stimulo inducta mutatione, a qua tales motus physica lege produci debent. Febrem ad hasce reactiones potissime referendam, esse inter eas frequentissimam, sano statui conuenientissimam et ad corporis conseruationem vtilissimam, dixi. Patet itaque in omni corpore, etiam sanissimo, adesse dispositionem, qua febris semper excitari possit, si potentia satis valida corpus vexet ejusque reactionem incitet: in omni ergo homine post violentiorem sensibilioris partis laesionem febris cum inflammatione accenditur.

Videtur autem hanc communem et naturalem ad febres dispositionem ad morbosum vsque gradum saepius augeri posse sic, vt a leuiori irritatione, quae in alio subjecto vix vllum produxisset incommodum, febris exardeat grauissima. In vitiosam potius praedispositionem, quam in leuiorem istam occasionem culpa hic rejicienda erit; et nemo quidem negabit, huic auctae dispositioni plures tribuendos esse febriles motus, ac procatarcticis illis caussis, febremque fore longe rariorem, si nunquam, nisi externae potentiae sufficienti actione, excitaretur. Quantos enim quidam in rebus non naturalibus committunt errores! et ab omni tamen febre immunes manent, nimiaque si audacia omne contemserunt periculum, et febrem sibi induxerunt, benignissima saepe est illa, et cito soluitur. Alii contra, dum summa adhibita cura nociua quaeque fugiunt, periculosa febre animi forsan minori alteratione corripiuntur. In epidemicis constitutionibus hominum corpora ad suscipiendum morbum adeo sunt procliuia, vt res aliqua, cui alias nulla fere potestas, epidemicam febrem nunc accendat; vnde etiam, si morbus communis per populum grassatur, nimia ad effugiendum illum adhibita cura in ipsum praecipitat et medicamenta ad praeseruationem assumta, dum aliquem addunt stimulum, morbo exspectatam praebent occasionem [1]). Hinc probe monuit GALENUS, „corpore nostro ad morbos praeparato, externum quoddam adueniens febrem accendere, quod ex se morbum, vehementem minime generaret [2]).“

 §. XXIV.

1) SARCONE *von den Krankheiten zu Neapel* T. II. p. 67.

2) *Comment.* IV. *in* HIPPOCR. *de victu acut.*

§. XXIV.

Sed in quo consistat nimia haec ad febrem dispositio, quibusnam augeatur caussis, haec abstrusiora sunt, et conjecturis solis hic locus erit.

Id tamen experientia constat, facileque ratione intelligitur, sensibilitatem majorem febrilibus morbis homines reddere obnoxios.

Induratum enim laboribus corpus amittit exquisitam illam sentiendi facultatem, quae sedentaria vita, duriorum fuga laborum et ingenii virium cultura ad maximum augetur gradum. Si illa obtunditur, perit simul gratissimarum voluptatum delectans sensus, sed et acerbissimorum malorum fons exsiccatur. Gaudent sensibiliores oblectamentis, quorum nec ideam sibi fingunt torpidi, sed et opprimuntur illi continuo malis, quae ab his non cognoscuntur. Et vti sensibiliores sensus tam interni, quam externi, delicias offerunt paradisiacas, sic et furiarum lacerant flagellis. Sensibiliores non solum animi pathemata ingentia, tristitiam, desperationem summam fouent, sed et corporis cruciatibus maximis vexantur. Mobiles enim nerui stimulis infestis resistendi non habent facultatem, sed perpessam affectionem sensorio communi deferunt, animaeque denunciant. Si igitur a stimulo mobilissimum afficitur sensorium, reactiones illae facilius excitantur, quae febris constituunt essentiam, nisi inde adeo perturbatur sensorium, vt animales partes conuellantur.

Deprehendimus hanc ob caussam in junioribus maximam ad conuulsiones et ad febres dispositionem. Corpora quippe illorum mobilissima exquisita gaudent sensus facultate, neruorumque, pro corporis mole, majorem habent quantitatem. Iam dixit HIPPOCRATES, *illos, qui crescunt, plurimum habere calidi innati.* Sic et feminae masculino sexu acutis morbis magis obnoxiae sunt; tanta enim pollent sensibilitate, vt HIPPOCRATES *Mulieres, omnem morbum bis pati* existimet.

Humorum tamen et aliqua ratio habenda est. Vt enim sanguinis irritatio in naturali statu immediata est alternantis cordis contractionis caussa: sic etiam plurimum conferre videtur major vel minor ejus efficacia in acceleranda illa; et quanquam in genere dici non possit, sanguinem acriorem vehementius exserere istum stimulum, cum ab acerrimo et quasi corrosiuo scorbuticorum sanguine vix celeriorem obseruemus pulsum: probabile tamen est, inertem sanguinis conditionem minorem ad febrem dispositionem conciliare. Inde caussa repetenda videtur, cur in hystericarum sensibilibus corporibus febris non frequentius oriatur; humorum quippe aliqua leucophlegmatia hysteriae familiaris est.

Sed haec non sufficiunt; torpidum quoque, et leucophlegmaticum corpus suscipit febrem a leuiori caussa, ideoque et hoc ad eam dispositum esse patet. Atque hypothesium regnum semel ingressus, vlterius proficisci audax conor.

§. XXV.

Non abest a veri specie, peculiarem sensorii constitutionem praesertim esse, quae ad febrem corpora disposita reddat.

Systema neruosum morbosam assumere posse conditionem et variis laborare vitiis, quae in sensibilitate ejus aucta, vel imminuta, seu vitiosa consistunt, vnusquisque concedit.

sedit. Ad sensibilitatem vitiosam referenda est morbosa illa consensatio, qua aliqua pars omnium corpori applicatorum stimulorum particeps fit (§. 12.). In neruis enim hanc ingredientibus partem ita excedit principii sentientis mobilitas, vt a quacunque in sensorio facta sensatione in actum ponatur. Si ad partes attendimus, quae vitiosa tali consensatione prae aliis vexantur, inuenimus, esse illas, in quas animae concessa non fuit potestas, vt ventriculus, intestinorum canalis, hepatis ductus, renes variaeque glandulae. In hasce enim partes neruosi principii impetus a physica pendet actione, ab anima nec suscitari, nec impediri potest. Inter eas vitalia organa principem tenent locum, et vti generalem sympathiae legem agnoscunt et febrem semper mouent, si vehementi stimulo corpus irritatur: sic, quando aliquo modo neruorum ad illa abeuntium sensibilitas praeter naturam aucta est, vel ita hi constituti sunt, vt cerebri sensatio iis facilius communicetur, adest praeternaturalis ad febrem dispositio, atque tum stimulus, cui alias tanta potestas non esset, febrem poterit accendere. Requiritur tamen talis stimulus, ad quem neruis, quibus applicatur, est sensibilitas, ab alio enim non mouentur. Probabile tamen est, neruorum cardiacorum sensibilitatem ita quandoque augeri posse, vt etiam absque accedente externo vel interno stimulo per se in febrilem actionem erumpant.

§. XXVI.

Monere porro debemus, actiuum horum neruorum principium, semel si incitatum est, non statim ab impetu suo remittere, quamquam stimulus iste lacessens jam sublatus sit. Neruis enim talem inuri posse labem, scimus, qua absque omni materiali caussa anomalam actionem edunt (§. 13). Quamquam in multis febribus assumi possit materiale quid, quod stimulet, siue illud ante febrem jam adfuerit, eamque excitauerit, siue demum per febrem generatum: tamen nec raro aliae obseruantur, vbi omnis materialis caussae suspicio fere abest, et quae remediis in neruos agentibus sine vlla excretione finiuntur. Sic intermittentes febres, dum, suscitato dolore vel terrore injecto, mutabatur sensorii tenor, curatas saepe legimus.

Neque febrem a praesente in corpore materiali caussa semper pendere, inde manifestum est, quod aliquando sublata febre omnia suppositae caussae signa adhuc supersint; post biliosas febres penitus solutas, ictericus oculorum et cutis color, sapor in ore amarus, flauus in lingua mucus per plures dies adhuc obseruatur; vidi ipse, viderunt plurimi post febrem petechias superstites, et etiam absque febre ejusmodi stigmata ab extrauasato dissoluto cruore; signa certissima, nec bilem vitiosam, nec sanguinem corruptum (etsi de scorbuto icteroue taceo) per se proximam et immediatam febris existere caussam. Quid, quod fere ausim contendere, humorum illas degenerationes rarius primam praebere febri occasionem, cum plerumque in febre primum generentur, rarissime ante ejus ingressum jam exstent. Huic vero disquisitioni locus nondum hic est.

§. XXVII.

Illa vero, quam ad febrem disponere diximus, praeternaturalis neruorum vitalium sensibilitas, non a natura adest, nec pendet a singulari sensorii organismo, sed

in eodem homine nunc adesse potest, nunc abesse, vti et alias partes non semper, sed quandoque tantum consentire obseruamus. Caussae profecto adsunt tam externae, quam internae, a quibus haec vitiosa dispositio inducitur; cum vero mutationum in sensorio factarum (§. XI. not. p.) ratio plane lateat, latebit etiam caussarum illarum agendi modus.

Patet tamen istis rebus, quarum insignis in neruosum systema potentia cognita est, vitiosum hunc sensorii tenorem tribuendum esse, praesertim cum constet, corpora ab iisdem febribus reddi obnoxia.

Principem inter has locum aerem tenere, neminem, qui ejus potestatem, tam in mutando sensorio, quam in producendis epidemicis morbis, simul attendit, negaturum esse credo. Missis itaque reliquis caussis, quae febrilem praedispositionem inducere possunt, breuiter saltem, quid de *epidemica constitutione* sentiam, exponam.

§. XXVIII.

Aeris in Neruosum Systema influxus.

Aerem eumque continuo renouatum ad sustinendam animalium vitam prorsus esse necessarium, omniaque animalia, postquam in lucem prodierunt, mox extingui, si illo carent, cognitum est omnibus, numerosissimisque euictum experientiis. Quaenam vero sit aeris in corpus per respirationem introsuscepti vera vtilitas, dictu sane non facile. Aeque dubium est, quomodo aer jam inspiratus et rursus emissus ita immutetur, vt ad vitam alendam iterum inseruire non possit, ideoque animalia, nisi renouatur, pereant.

In grauitate ejus imminuta caussa minime ponenda, cum mercurius in corrupto ejusmodi aere fere non, vel longe tamen minus cadat, vt saepissime a mutata athmosphaera absque vllo sanitatis detrimento fieri solet; nec a calore repetenda, cum vix adscendat thermometrum [1]); nec ab admisso humore, cum in vaporum balneis absque incommodo aerem inspiremus aquosis particulis longe magis refertum.

Summa itaque probabilitate gaudet illa, ab antiquis jam recepta et magnorum seculi nostri virorum assensu confirmata de *vitae pabulo* hypothesis. Statuunt nempe inesse aeri incognitum hucusque aliquod principium, quod vti ad flammam, (quae in eodem aere, in quo vitam amittunt animalia, extinguitur) sic etiam ad animalium vitam sustinendam necessario requiratur. Voluerunt hoc principium, inspirando in pulmones introductum, resorberi, et vis vitalis nutrimento impendi, ideoque aerem hoc orbatum illam, qua vita alitur, proprietatem amisisse.

Alienum nimis foret a scopo meo, illa, quae pro hac theoria militant, argumenta repetere. Non possum autem, quin profitear, vero longe similius me ducere, quod animales spiritus (sit venia verbo) ex aere pronascantur, quam ex cibis, et aer potius, quam hi eos modificetur. Si enim alterutri in formandis nationum geniis aliqua est potestas, major certe aeri erit, quam victus rationi. Et vix quidquam conferre videntur

1) Accuratissima sunt, quae circa hanc rem experimenta instituit Iosephus Veratti in Tract. *de auium quarundam et ranarum in aere interclusarum interitu Comment. Institut. Bonon. T. II. P. II. p.* 267.

videntur cibi, Gallicus certe agricola nostris subtilioribus non vescitur esculentis; gallica vero aromatibus condita fercula spirituosaque vina apud nos diuitum aeque ingrediuntur epulas. Quantum vero ad neruorum integritatem aer leuis conferat, satis lucide perspexi, cum Hercyniae montes adscendens ineffabilem mentis hilaritatem, nunquam antea expertam, quasi inspirare sentirem. Vidi hilaritatem, qua exsultabant omnes, inprimis vero miratus sum alacritatem metalli fossorum, qui durissimis pressi laboribus tenui victu ac vili vitam sustentant, ac puerorum salacitatem, qui conterendis ac subigendis metallis inseruientes, praeter panem ac lympham nullas alias gustant dapes.

Ac quantum quidem momenti insit ad populorum mores mutandos aeris, quem spirant, variae conditioni, tam philosophi, ex quibus MONTESQUIOU nominasse suffícit, quam medici grauibus adeo probarunt argumentationibus, vt addi vix quidquam possit; atque esse magna ex parte aeris singularem constitutionem, quae alacres *Gallos*, *Italicos* acutos, *Britannicos* magnanimes, constantes et ad labores indefessos reddat *Germanos*, jam omnes fere concedunt. Quid, quod obseruamus, illorum temperamenta quasi mutari, qui ex vna in alteram se conferunt regionem. Animis ipsis differre varias nationes, mentem cum patria mutare homines, quis contendat? Singulari ergo mobilitati, ab aere neruosae potentiae inductae, merito hoc tribuimus. Jamque antiquissimis temporibus rei veritatem agnouit magnus vtique medicinae parens HIPPOCRATES, et plurimum pendere hominum mores ab aeris varietate pulcherrime proposuit in libro *de aere, aquis et locis*. „Temperies, inquit, anni temporum, augmen„tum corporum et morum suauitatem maxime afferunt." Et contendit: „neque ani„mum, neque corpus ad laborem confirmari, vbi mutationes temporum non fiant for„tiores;" additque: „esse temporum mutationem, regionem et aquas, quae naturam „mutant." Porro: „in Europa hominum genus valde a se differre et ad magnitudinem „et ad formas, ob mutationes temporum, quae magnae ac frequentes accidunt."

Si vero varius aer in diuerso climate systema neruosum (ab hoc enim omnium consensu pendet temperamentorum diuersitas) ita mutare valet; sic et in eodem individuo et in eadem regione diuersam illi inducere constitutionem sequitur. Ecquis liberius non cogitat sereno existente coelo, quam vbi nebulosum et vdum est; quis se sub illo leuiorem non sentit; quis se sub amoena Maji temperie cum plantis reuiuiscere non credit?

§. XXIX.

Epidemiae ex aeris constitutione occulta repetendae.

Epidemicorum morborum caussam ex aeris constitutione deducendam esse, omnes ab HIPPOCRATE ad nostrum vsque tempus probe agnouerunt medici. Intellexit enim jam dudum *diuus* ille *senex*, communes morbos communi caussae, aerique potius, quam victui, quo diuerso varii vtuntur homines, tribuendos esse, qui inter alia sequentia monuit: „Morbi oriuntur partim ex viuendi ratione, partim vero ex spi„ritu, quem introducendo viuimus. — Diagnosin autem vtrorumque ita facere „oportet: Cum multi homines vno morbo corripiuntur eodem tempore, in id, quod „maxime commune est, quoque omnes vtimur, potissimum rejicienda caussa est. Id

„autem

„autem est, quod inspirando trahimus. Quod enim viuendi ratio cujusque nostrum „in caussa non sit, jam liquido constat, cum morbus omnes continenter alligat, et „juuenes et senes, et mulieres et viros, perinde temulentos et abstemios, tum eos, qui „Maza, quam qui pane vescuntur, et eos, qui multis, quam qui paucis exercitationi-„bus vtuntur. Non igitur victus rationi assignanda caussa est, cum cujusuis victus ge-„nere vtentes eodem morbo corripiuntur [1])." Praecipit ergo „admonendos esse homi-„nes, vt ne victus quidem rationem immutent, cum morbi caussa minime existat. „Prouideant tantum, vt corpus quam minime intumescat, sitque attenuatissimum, tum „cibos, tum potus, quibus vti consueuerint, sensim demendo. Si quis enim subito „victus rationem immutet, ne quid in corpore ex immutatione innouetur, periculum „est [2])." Quaeuis enim subita in assuetis immutatio stimuli instar agere, et morbo, cui fauet corporis praedispositio, occasionem praebere potest.

§. XXX.

Manifestas tempestatum varietates, varias procreare aegritudines, aerem calore et gelu, humido siccoue, leuitate denique et grauitate diuersos in corpore exserere effectus, nemo non fatetur.

Sed intellexerunt jam summi in arte viri, veram *Epidemiarum* originem minime ex iisdem explicari posse. Accuratae recentioribus temporibus institutae meteorologicae obseruationes, et epidemicorum historiis annexae, varia quidem, quae Hippocrati jam cognita erant, magis illustrarunt, clarius autem lumen vix affundere potuerunt verarum ortui epidemiarum, ita, vt hucusque cogamur, incogniti quid, *το Θεῖον* illud Hippocr. veterumque medicorum admittere.

Nemo sane magno Sydenhamo accuratius inuestigauit epidemiarum naturam, estque ille, et manebit forsan, dux in hac doctrina dignissimus. Is itaque ipse audiendus. „Quamuis, *inquit*, diuersas diuersorum annorum habitudines, quoad manifestas „aeris qualitates maxima qua potui diligentia notauerim, vt vel exinde caussas tantae „epidemicorum vicissitudinis expiscarer, me tamen ne hilum quidem hactenus pro-„moueri sentio; quippe qui animaduerto annos, quoad manifestam anni temperiem, „sibi plane consentientes, dispari admodum morborum agmine infestari, et vice versa. „Ita se enim res habebat. Variae sunt nempe annorum constitutiones, quae neque ca-„lori, neque frigori, non sicco humidoue, ortum suum debent, sed ab occulta potius, „et inexplicabili quadam alteratione in ipsis terrae visceribus pendent, vnde aer ejus-„modi effluuiis contaminatur, quae humana corpora huic aut illi morbo addicunt, de-„terminantque; stante scilicet praefatae constitutionis praedominio, quae, exacto demum „aliquot annorum curriculo, facessit atque alteri locum cedit. Vnaquaeque harum „constitutionum generalium propria et peculiari sibi, febris specie funestatur, quae „extra illam nusquam comparet, cujusmodi febres idcirco *Stationariae* nobis „audiunt [1])."

Obseruauit

1) *de natur. hom. text.* 2 et 3.
2) *ibid. text.* 4.

1) *Sect. I. cap. II.* p. m. 41.

Obseruauit quidem SYDENHAM morbos dari, qui ex manifestis aeris mutationibus originem trahant, hosce vero omnibus in vniuersum annis competere „quales sunt „pleuritides, anginae, quae a subito calore, intensius et diuturnum frigus statim exci„piente, plerumque inuadunt [2].“ „Potest itaque fieri, vt sensibiles aliquae aeris qualita„tes ad illas quidem febres producendas faciant, quae in qualibet constitutione se exse„runt, non vero ad istas alias, quae certae alicui constitutioni quasi propriae et pecu„liares existunt [3]. Et concedit ille manifestas aeris qualitates ad hujus illiusue morbi „generationem disponere,“ sed statim subjungit „id quod de quocunque errore circa VI „res naturales dictum volo [4].“ Et hanc suam maxime memorabilem doctrinam alio loco sequentibus vlterius explicat. „Notandum est itaque, quod licet aeris qualitates „manifestae non eam vim cuilibet constitutioni imprimant, vt caussae sint epidemico„rum, qui ad illam propriae referuntur, productiuae (cum a recondita et inexplicabili „ejusdem constitutione fluant ista) pro tempore tamen in eos habent potestatem, et „proinde intromittuntur epidemici, aut etiam excluduntur, prout illis fauent qualitates „manifestae, vel aduersantur; vniuersalis autem constitutio eadem manet, siue eam „promouerint istae, siue quadantenus retardarint [5].“ Sic calor pesti quidem fauet, eam tamen et in summo calore extinctam esse saepe legimus, et obseruatum fuit *Aleppone* pestem desinere, cum feruidissima aeris tempestas incidat [6].

§. XXXI.

Satis superque igitur patet, minime nos posse ex aeris manifesta constitutione verarum epidemiarum originem interpretari. Sed potius videtur, occultum quid in aere latens in subtilissimam humanae oeconomiae partem, vim scilicet neruosam, ita agere, vt eam, ad faciendum impetum, et ad producenda illa symptomata, quae cuilibet fere epidemiae peculiaria et propria sunt, pronam reddat. „Incassum enim illos „desudare, vult SYDENHAM, quotquot diuersarum febrium rationes, a caussa morbi„fica, in corpore aggesta, deducunt. Nam liquido patet, quemlibet, pancratice licet „valentem, si certa quaedam hujus nostrae regionis loca adeat, febre ibidem grassante „intra dies aliquot laboraturum: vix autem credibile sit, manifestam aliquam mutatio„nem praefati viri humoribus impressam iri [1].“

Concludimus idcirco, fieri debere in principio vitali talem mutationem, qua non solum ad febrem mouendam, sed etiam ad producenda talia symptomata, qualia febri nunc grassanti communia sunt, disponatur, a qualicunque stimulo illud excitetur. Inde etiam *intercurrentium* morborum, qui a peculiari stimulo excitari videntur, ordinem ita turbat inexplicabilis constitutio, vt ab epidemico morbo aliquid assumant, cogantque medicos eorum curationem, inflectere ad genium praedominantis epidemiae; simul

2) *ibid.*
3) p. 42.
4) *ibid.*
5) *Sect. IV. cap. IV.* p. 191.
6) ROUSSEL *natur. Histor. of Aleppo.* p. 192.
1) *Sect. I. cap. II.* p. 46.

simul tamen in his aliquis respectus habendus erit intercurrentis morbi naturae et individui constitutionis, indeque pendentium singularium symptomatum.

Cum itaque non modo probabile, sed etiam verum videatur, vim illam neruis inquilinam ab aeris diuersitate singulariter mutari posse (§. XXVIII.); non alienum est a veri specie, τὸ Θεῖον illud consistere in peculiari aliqua mutatione illius incogniti principii, quo omne animal ad vitam sustentandam indiget. Vt enim a prauo cibo humoribus corrupta crasis et machinae vitiosa constitutio inducitur, sic etiam mala vitae illius pabuli conditio praeternaturalem neruorum orgasmum procreare posse, eamque illi inducere videtur ad suscitandos determinatos motus procliuitatem, qua morbus accedente leuissimo stimulo, statim accenditur.

Qua in re vero consistat hoc aeris principium? An forsan sit electrum? quod ad mentem ingeniosissimi Boiss. de Sauvages nerueos spiritus ipsos constituit, dijudicare non ausim. Hypothesium enim mare jam satis expertus, nolo vlterius fluctuantibus ejus vndis procellisque me hinc inde jactandum committere; praesertim cum exiguum, quod mihi superest tempus, breuitati studere postulet.

§. XXXII.

Symptomata febris essentialia.

Haec breuiter nunc mihi consideranda sumo, ne, luminis si quid affundere possint propositae theoriae, isto careamus.

Quae febrem saepe praecedere solent, totius corporis lassitudo, artuum grauitas, mentis morositas, sensuum torpor, vertigo, frigoris ad spinam dorsi vagus sensus etc. prodromorum veniunt nomine; quae quidem incommoda, accuratius si attendimus, ante plurimarum grauiorum febrium ingressum obseruantur [1]). Inprimis vero insolita animi aliqua hebetudo et insufficientia solemnis est, et ingrata quaedam sensatio, qua ita, ac si obscurum dolorem sentiret, mens afficitur, cujus tamen sedes nullo in loco fixus est, sed in quacunque parte, cui anima attendit, percipitur, et si ad externa objecta animi vertitur attentio, eum non molestat. Clarius sane, quam describere possum, haec in me ipso obseruaui, et quisquis, qui febre semel vel bis laborauit, antecedentis diei sensationem in mentem reuocare velit.

Cum plerumque sub hoc statu, licet accuratissima etiam adhibeatur inquisitio, nec humorum dyscrasia, nec actionum vel vitalium vel naturalium perturbatio vlla detegitur: ingratae hae sensationes neruoso systemati affecto vnice tribuendae videntur. Antequam enim hoc, stimulo sollicitatum, reactionem suam exserere incipit, anima aliquam,

1) Monuit Celsus, protinus morbum timeri debere, si grauiora membra sunt; — si corpus supra consuetudinem incaluit; si grauior somnus pressit; si tumultuosa somnia fuerunt. — Item si marcescit animus; si loqui et moueri piget; si corpus torpet; si dolor praecordiorum est, aut totius pectoris, aut, qui in plurimis euenit, capitis; — si membra inhorrescunt; si genua quasi fatigata sunt, totumue corpus lassitudinem sentit. Ex quibus saepe plura, nunquam non aliqua febrem antecedunt. *De Medicina L. II. cap. 2.*

aliquam, sed obscuram et vagam, hujus praeternaturalis status perceptionem habet [2]; Vnde fit, vt homines saepe sentiant, sese mox aegrotaturos esse, quamquam obrepentis morbi nullum adsit manifestum indicium. Quod fere quotidie experimur, quando, communibus morbis in populum grassantibus, homines majorem attentionem in corpora sua vertunt.

Ex obscura hac, quam anima de morbo habet, idea appetitus ille aegrotorum, nunquam certe a medico posthabendus, optime explicatur. Appetit quippe illa talia plerumque, qualia vix meliora a medico praescribi possent, non quia instituta deliberatione intelligit illa profutura, sed singulari quodam instinctu, ex neruorum physica affectione pronato, ad poscenda illa impellitur. Plus saepe dandum esse in morbis acutis appetitionibus aegrotorum, quam artis regulis, probe notauit Sydenham [3]) idque quotidiana praxis confirmat. Acida, diluentia quisque febricitans postulat, abhorret victum animalem durumque omnem. Cum vero vires jam exhaustae sunt, peculiaris vini quandoque adest cupido, quod tum exhibitum, mira praestitisse compertum est.

§. XXXIII.

Obseruatur in omni febre aliqua in voluntariis musculorum motibus debilitas; tanta nempe facilitate, ac in sano statu, nunquam exercentur, et sensuum aliquis, tam externorum, quam internorum torpor simul sese adjungit, ita vt, incitatis vitalibus functionibus animales omnes languere soleant. Hoc symptoma febri adeo essentiale est, vt plures hanc debilitatem in ejus definitionem receperint, quinimo quidam febrem *esse aequilibrium inter vires vitales et animales sublatum* dixerint.

Famosa semper fuit apud authores illa de spasmorum reuulsione doctrina. Vnanimi enim omnium consensu cum obseruatum fuit, spasmos in vno loco sopiri, si excitentur in alio, assumserunt inordinatum aliquem spirituum influxum, ita, vt vnam partem deserant, si violentius irruerent in aliam. Nil interest, vtrum quis verae ejusmodi ex vno in alium neruum spirituum reuulsioni assentire velit, nec ne. Vtcunque sit, vera manet et constans obseruatio, spasmos solui, si alterius nerui actio siue ab externa parte, siue ab interna excitatur. Ita enim, nec alia ratione, intelligitur, cur admota narium membranae sternutamenta tollant singultum; cur, attentione in qualecunque objectum versa, cesset tussis; cur simili ratione et grauiores morbi sanati, vt

 phrenitis

2) Haec obscura morbum antecedens sensatio non commutanda est, cum *stadio* illo *primo* febrium cum *vera putredine conjunctarum*, *neruosarum lentarum* et, quae ex hisce duabus compositae videntur, *Carcerum* et *Nosodochiorum* Pringlii. In hisce enim morbus re vera jam incipit, antequam pulsus febrilis obseruatur, qui in ejusmodi malignis et per omnem decursum quandoque plane abest. Vitalis enim vis in illis adeo oppressa est, vt in initio ad impetum vix incitari possit, et serpente malo ita exhausta, vt accedente sopore et insensibilitate vniuersali plane extinguatur. Sarcone *Lib.* c. §. 357. 370. 698. 699. et sqq. Quandoque etiam neruosum systema ita perturbatum est, vt virium impetus in animales partes feratur, et spasmi, conuulsiones, deliria, hydrophobia, pulsu vix mutato, adsint. Sarcone §. 585. Sed de hoc alio loco fusius dicam.

3) p. 366. 367.

phrenitis a musica [1]); cur epilepticae *Harlemenses* a BOERHAAVIO metu candentis ferri curari potuerint [2]); cur tandem tantus submersionis subitae in aquam frigidam sit in Hydrophobia vsus, quae etiam cum insigni emolumento a SARCONE in phrenitide adhibita fuit [3]). Sic etiam patet, qua ratione vesicatoria, cauteria et similia spasmos efficaciter soluant, cur febris etiam vim quandoque minuant.

Videtur itaque omnino, in pluribus diuersis locis neruosi systematis actionem non posse simul intendi, eamque in aliis partibus quodammodo imminui, si in vna praeter naturam augetur. Neque adeo eorum doctrina rejicienda est, qui voluerunt, quod si quaedam pars in C. H. spasmo (qui vis est vitalis praeter naturam aucta) corriperetur, adesset alia, quae atonia laboraret.

Et fateor, me nescire, cur magni viri admittere nolint BOIS. DE SAUVAGES theoriam, qui credidit, naturam idcirco animalibus actionibus in febre recusare vires suas, ne justo citius earum exhauriatur fons [4]). Neque possum, quin ei assentiar, cum ego, animales actiones eam ob caussam debilitari censeo, quod vis neruosae impetus adeo in vitalia organa rapitur, vt libera ejus dispersio animae detrahatur.

Melius praeterea explicari non potest, cur „a conuulsione aut tetano detento, „febris superueniens soluat morbum [5]); cur contra in deliriis et conuulsionibus debilis fiat pulsus.

Neque tamen nego, sanguinis nimiam versus caput congestionem, pessimam humorum corruptionem, bilem in praecordiis haerentem posse, ad apparentem vsque plenarium defectum, vires deprimere, atque haec in cura medici praesertim postulare attentionem. Hic vero de leuiori illa debilitate, quae in omni febre et citra cognitam aliam caussam adest, locutus sum.

Obiter memoranda venit illa, quam soluta paulo grauior febris relinquit, virium imbecillitas, et quae post crisin saepe obseruata fuit summa pulsus debilitas, imo plenaria asphyxia. Obtinet in C. H. ea lex, vt pars aliqua spasmo tentata rarius ad naturalem redeat normam, sed spasmum excipiat atonia, illi plerumque proportionata. Ideoque debilitatis illius post febrem relictae ratio facile habetur. Verum haec atonia plane non aequiparanda est Physicae relaxationi, sed alet summam ad spasmum denuo ciendum dispositionem. Quare et soluta febre e leuissimo stimulo, ab animi praesertim affectione recidiua solemnis.

§. XXXIV.

Horror et Aestus.

Quamquam satis superque constat, a calore naturali aucto vel imminuto essentialem febris characterem desumi non posse [1]), sunt tamen frequentissima ejus symptomata.

1) *Mem. de l'acad. des Scienc. de Paris An.* 1707 *et* 1708.

2) KAAW BOERHAAV. *imp. fac.* §. 406.

3) *Lib.* c. §. 607.

4) *Nosol. meth.* §. 70 *theor. febr.*

5) HIPPOCR. *aphor.* 57 *Sect.* IV. *et* 70 *Sect.* V. Conuulsiones et neruorum distentiones succedens febris soluit *Coac.* 354. 358.

1) ILL. BALDINGERI *et* CL. RAVERT *Diss. de febrium acut. therap.* §. 1.

mata. Quo frequentius autem occurrunt, eo difficilior est verae illorum caussae et naturae pathologica indagatio; quod quidem mirari non debemus, cum inter physiologos maximus adhuc obtineat dissensus, quonam ex fonte naturalis perfectiorum animalium calor profluat? Solita sua simplicitate e corde istum deduxerunt veteres, cui innatus, omni humorum circulantium massae communicaretur; inque febre crediderunt illum ibidem praeternaturaliter accendi, et per totum corpus diffundi. Helmontii ex confricatione sulphuris et salis volatilis explicatio, Sylvii ex efferuescentia vrinosi sanguinis et acidi lymphae, vt alias taceam chemicas theorias, dudum obsolevere. Melior insequuta est, de attritu globulorum sanguineorum inter se et ad vasorum latera theoria, quam Boerhaave cum Thoma Swencke et Browne Langrish fouebat. Sed et haec grauibus premitur difficultatibus ab Hallero ingenue recensitis [2]). Physiologica a scopo meo aliena hic mitto.

Nullo autem pacto concedi potest frigoris febrilis ad Boerhaavii mentem explicatio, ex qua „frigus febrile ponit attritum liquorum in se mutuo et ad vasorum „latera minorem; motum circulatorium imminutum; liquidum ad extrema stagnans; „cor minus contractum, minus euacuatum; spiritus cerebelli minus influentes [3]).“

Circulatorius enim iste *imminutus motus* repugnat manifestissimis indiciis, quae omnia celeriorem istum esse ostendunt. Quamquam singulis vicibus paruam sanguinis copiam expellat cor, celerrime tamen palpitans, celeritate quantitatem minorem compensat. Velocissimus porro et frequentissimus arteriarum pulsus majorem potius humorum inter se et ad coarctatorum vasorum latera attritum arguit, quam istum minorem.

Nihil inuenio, quod *cor minus contractum* esse demonstret, cum omnia, certe analogia ex vasis, illud praeter naturam constringi declarent.

Et cum omnia denique, tremor, quo corpus conquassatur etc. spasticam hujus stadii febrilis indolem ostendant, et pulsus contractus, tremulus, durus et intermittens, vasorum systema hoc spasmo praesertim corripi, probet: profecto non *imminutus spirituum cerebelli influxus*, sed vehementior potius vt in omni spasmo ex Boerhaavii mente adesse deberet.

Liquidum ad extrema stagnare, minime ex corrugatis externis vasis colligitur, quae ad interna illud retropulsum ostendunt [4]).

2) *Elem. physiol.* T. II. p. 300 et seqq.

3) *de cognosc. et cur. morb.* §. 621.

4) Videtur autem Boerhaavius, *stagnationem hanc* in doctrinae suae gratiam tantum assumsisse, qua febrium, praesertim intermittentium caussam ex humorum visciditate et inde exorto circulationis impedimento deduxit. Nullam vero humorum visciditatem in intermittentibus incusandam esse, hodie satis constat; pertinaciter resistunt efficacissimis resoluentibus, et in media saliuatione mercuriali tertianam exortam vidit *v.* Swieten T. II. p. 527. Docuit experientia febres intermittentes jam sanatas rursus inuadere, si purgans medicamentum propinatur, praesertim eo die, in quem paroxysmus, febre non sublata, incidisset. Werlhof *obseru. de febr.* p. 126. Si hoc salinum vel mercuriale fuit, humoribus sane non inducit viscididatem, sed eos potius resoluit, nihilominus tamen horror, ab eodem ipso incitatus, aegrotum corripit.

Et sic apparet iis, quae statuit BOERHAAVE, directe contraria in frigore febrili contingere. Sed fac, illa vera esse, haec tamen non illustrant hujus frigoris naturam.

Constitit enim ex hodiernorum obseruatis et accuratissimis cum thermometro institutis experimentis, horrorem illum febrilem plane non esse veram caloris absentiam, sed thermometrum potius caloris naturalis gradum insigniter auctum indicare. In haemitritaeo, quam cum continua febre intermittens quotidiana formabat, homo intermittentis paroxysmum tanto cum frigore experiebatur, vt, si frigus modo abesset, morbum totum flocci facere se diceret, propter immane frigus sustinendum vltra non esse. Dabat tamen thermometrum 104 gradus. Neque vel hilum adscendit illud, cum in ardente deinceps calore admoueretur [5]). Et toties hoc se obseruasse, quoties in horrore febrili thermometrum adhibuit, testatur ILL. DE HAEN *obseruatorum facile accuratissimus*. In quo etiam consentientem habet PERILL. HALLERUM, qui dudum vidit, in febribus intermittentibus sensum molesti frigoris cum vero ad thermometrum calore conjungi [6]). Sic etiam FRANC. HOME in frigore febrili aestum ad thermometrum semper majorem, ad 104 gradus, eumque saepius in stadio caloris decrescentem obseruauit [7]).

Cum itaque aegroti, mente caeterum rite constantes, ratione non superare valeant apparentis hujus frigoris sensationem, vt fiat in illorum sensorio talis mutatio, qualem frigus corpori applicatum producere solet, necesse est. Sensus enim hic, ardente corpore, frigus animae denunciant. Luce igitur meridiana clarius apparet, et hujus symptomatis caussam ex neruosi systematis singulari mutatione vnice petendam esse.

Quod si vlteriori probatione indigeret, facile eam suppeditaret horror omnibus fere affectionibus, quae ex perturbatis neruis ortum ducunt, solemnis. Ab animae variis pathematibus, anxietate, terrore, rei insolitae aspectu, frigido horrore riget corpus, non aliter, ac si gelida perfunderetur aqua. Frequenter etiam subitaneum tale corporis perfrigerium in hysterico morbo occurrit, in quo praeter spirituum ataxiam labes nulla in corpore subest, nullamque praeter hanc hic agnoscere caussam, ex subitaneo ingressu et celeri, adhibitis neruinis medicamentis, fuga patet. Conuulsiones horrore praegresso saepe denunciari, probe notauit HIPPOCRATES [8]), manifestum indicium, horrorem solitum esse neruorum affectorum symptoma. Et phreniticis neruosisque febribus vagus horror sese plerumque adjungit. Denique idem horroris sensus a quacunque caussa neruos stimulante nascitur; inhorrescit corpus, dum in pectore suppurationes fiunt, calente licet et madida cute [9]); calculi renalis per vretheres transientis, nec non fellei choledochum ductum irritantis, frequentissimum est symptoma. Sic etiam a catharctico assumto et clystere injecto saepe obseruatur. Et a delassatione inhorrescit corpus.

§. XXXV.

5) DE HAEN *Rat. medendi.* T. II. p. 137.

6) *Elem. physiol.* T. II. p. 163.

7) *Medic. Facts and Experim.* pag. 220. 221.

8) *Praedict.* I. 67. *Coac.* 4. 7. 83. et variis aliis in locis.

9) Frigus marmoreum per 24 horas cum pulmone purulento, thermometro 97 graduum DE HAEN *Rat. med.* T. II. p. 10.

§. XXXV.

Calor febrilis, ex eorum, qui naturalis caloris generationem ex attritu sanguinis deduxerunt, theoria explicatu quidem facillimus videtur, cum nempe ex velociori circulatione immediate profluat: grauioribus autem impeditus difficultatibus, calorem febrilem aucto attritui tribuere non possum; et licet Physiologica caloris indagatio nil ad me attineat, quoad pathologica tamen *Boerhaavianae* theoriae assentire non possum.

Calor quippe febrilis non respondet auctae sanguinis velocitati; in plurimis enim febribus hanc vltra dimidium augeri, docet pulsuum vehementia et frequentia; numerantur enim 130 et plures ictus, cum calor tamen vltra 106 gradum rarius ascendat; inque ipsis febribus nulla est proportio inter incrementum et decrementum pulsus calorisque, quod manifeste ex FRANCISCI HOME experimentis patet [1].

Ac accelera circulationem tuam validissimo corporis exercitio, sic, vt pulsus celerior euadat, quam solet in plerisque febribus, licet etiam illud per vnam alteramue horam continues, calorem tuum profecto vltra 100 gradum augere non poteris, id, quod experimento nuper in me ipso instituto, expertus sum. Thermometrum enim post vehementissimos et diu continuatos motus sub axilla mea per 15 minuta detentum non ascendit vltra 99 gradum, quamquam, continuato per omne tempus corporis motu, pulsus ad minimum erant 130 in temporis minuto.

In hysterico malo frequentissime adest summa pulsuum celeritas, naturali calore parum vel nihil aucto. Sic refert ROB. WHYTT in paroxysmo hysterico 130 pulsus numeratos esse, sed adhibitis neruinis et calefacientibus medicamentis istos ad pristinam normam 60 ictuum rediisse. Inter criteria, quibus talis pulsus a febrili distinguitur, numerat, quod calor insignis et sitis rarius adsint [2].

Post sanatam febrem, quamquam ne minima quidem in pulsu superessent febris indicia, in plerisque tres, quatuor, sex caloris majoris gradus, quam est sani hominis, notauit DE HAEN [3]. In multis continuis intensiorem caloris gradum non denotare thermometrum, monet.

Paralytica manus adeo frigida erat, vt igni vestes exurenti admota, nullum perciperet caloris incrementum, nec thermometrum isti applicatum adscendit vltra 73 gradus. Pulsum tamen habebat illi, qui in altero brachio, aequalem [4]. Vnde frigus tantum, praesente fonte caloris, arteriosо sanguine?

Haec sufficiant, cum satis jam ostendunt, calorem in morbis auctum vel imminutum ex circulatione accelerata vel retardata minime deriuandum esse. Vnde itaque repetenda est febrilium aestuum caussa?

Ignorantiam

1) *Lib. c.* p. 217.

2) *Practische Schriften* p. 453. Pagina sequenti monet, ejusmodi tamen affectiones in febriles et inflammatorias facile mutari, nisi mox aptis succurratur remediis.

3) *Rat. med.* T. III. p. 126.

4) *ibid.* T. III. p. 131. Alia hic etiam extat obseruatio, vbi in paralytica et frigida manu nullus fuit pulsus. Sed frigus tandem superabatur, eique calor successit, cum pulsus tamen non regressus est.

Ignorantiam si hic fatemur, id nemo sane vitio nobis vertet, cum certi quicquam de hoc in pathologia minime expectandum sit, antequam *physiologi a physicis* circa ignis et caloris naturam magis edocti, in animalis caloris indagatione vlterius profecerint. Missis igitur, quae hypothetice de ortu naturalis caloris afferri possent, certam et constantem eam legem, qua semper inter virium vitalium fortitudinem et caloris gradum aliqua obseruatur proportio, contemplari volumus.

Calorem enim animalem, vi vitali intensa, augeri, depressa illa imminui, semper inuenimus. Homines, qui omnes functiones fortitudine aliqua perficiunt, insigni calore per membra diffuso gaudent: frigent vero torpidi. Excitantia medicamenta simul calefaciunt. Inest quibusdam medicamentis specifica aliqua vis, qua inexplicabili ratione corporis irritabilitatem ad naturalem perducunt gradum, excedentem minuunt, imminutam attollunt, simulque eumdem effectum quoad calorem praestant. Sic *ferrum* et *cortex Peruuianus* calorem in flaccidis et inertibus corporibus, quae eum naturali minorem habent, mire augent; in hystericis contra volaticos aestus tollunt, et C. P. recte adhibitus febriles ardores egregie temperat. DE HAEN feminae febre continua cum intermittente afflictae dedit C. P.: quo facto, primo die calor fuit vno gradu inferior, die altero binis, quarto omni febre caruit [5]). Frigidum balneum, quod efficaciter in torpidis flacciditatem corrigit, in illis etiam calorem auget; balneum contra calidum debilitando et relaxando calorem imminuit, vt testatur ALEXANDER [6]).

Caloris externi absentia diuturnior vim vitalem plane supprimit, vt id in iis animalibus videre licet, quae mortuorum instar per omnem hyemem sopita jacent; accedente autem vernali calore, siue igne admoto, excitatur rursus vitale principium, et ex mortuis quasi reuiuiscunt illa animalia. Calor est, quo pulli ouis excluduntur. Partes e corpore euulsae irritabilitatem diutius retinent, si calore fouentur, amittunt eam frigori expositae. Et in genere obseruamus, vim vitalem omnem sibi semper comitem adjungere calorem, perque totam vitam cum illo pari passu ambulare, ita vt cibi, medicamenta externaque omnia, quae illum intendunt, et hunc augeant, neque haec absque illo vel attolli vel deprimi possit. Sub initiis vitae ambo simul generantur, simulque in morte exstinguuntur; vnde etiam veteres in *calido* illo innato omnem vitam posuerunt, et *flammam* suam *vitalem* motuum omnium et actionum primarium crediderunt instrumentum.

Vtrum itaque calor, vi vitali tam arcte junctus, huic debeatur, an vis vitalis a subtilissimarum particularum ignearum actione pendeat, an ambo ab incognito aliquo communi principio producantur? disquirere non lubet, cum certi quid hac in re vnquam stabiliri posse vix videatur. Quare etiam mentionem non facio theoriae *Cel. Virorum* [7]), qui caloris naturalis fontem in cerebro neruisque posuerunt, quamquam certe probabilitate non careat et magnum nostrae hypothesi pondus addat.

Sed

5) *Rat. med.* T. III. p. 52.

6) *Medicinische Versuche* p. 37.

7) beat. ROEDERER in *Progr. de animal. calore.* Goetting. 1758. et ILL. WRISBERG *Progr. de respir. prim., neru. phren. et calore animali. Goett.* 1763. §. 5. Neque alienus ab hac sententia videtur ILL. DE HAEN.

Sed perspecta illa lege, secundum quam perpetua inter vitalem vim et calorem obtinet proportio, non erit, quod caloris in febribus augmentum miremur. Cum enim febris per se in excessu vis vitalis consistat, vt calorem auctum comitem se adjungat, necesse est. Neque obstat, quod in febribus inter pulsuum frequentiam et caloris gradum saepe proportio non obtineat; scimus enim motuum vehementiam non semper pendere a mobilitatis gradu, sed etiam a caussa incitante, variisque aliis conditionibus; quinimo constat, a nimia irritabilitate motus posse supprimi, dum partes acrius conuulsae ita corrugantur, vt relaxationem non admittant. Cur vero in illo febris stadio, in quo ex incitato vehementissimo principii neruosi impetu summam irritabilitatem adesse diximus, et in quo thermometrum re vera auctum caloris gradum indicat, nullius aestus, sed frigoris potius, ideam habeat aegrotus, facile intelligitur, si modo insignem sensorii affectionem consideramus, qua sensuum, praesertim tactus, vsus animae aufertur, ita, vt candens cuti admotum ferrum non percipiat [8]). Aestus primum percipi solet, postquam anima, vehementissima illa sensorii turbatione sublata, sensuum rursus compos facta est.

Quam etiam ob caussam non per gradus fit frigoris in aestum transitus, ita vt frigus in naturalem calorem, et hic sensim in aestum mutetur; sed dum rigent adhuc quaedam partes, igne jam aduri videntur aliae. Tandem omne corpus aequaliter flagrat, ita tamen, vt primis morbi diebus, in cruditatis statu, in summum aestum subitaneus horror saepe inuadat, praesertim si aliquis stimulus, v. g. a mutatione situs, ab afflatu frigidae aurae, a leuissima animi commotione, vehementiorem systematis neruosi impetum incitat; vnde apparet, quantum in febre fugienda sint omnia irritamenta, praesertim animi pathemata, quae, cum stimulum nouum addant sensorio, naturalem morbi decursum inuertere et instantem crisin impedire possunt.

§. XXXVI.

Cur fortiores horrores ardentior aestus vtplurimum excipiat, variaque alia circa caloris et frigoris vicissitudinem ex dictis facile intelliguntur. Quandoque per omnem morbi decursum vagus obrepit horroris sensus, et grauius affectum esse sensorium ostendit; quare etiam cita bonaque judicatio in hisce febribus rarius speranda. In *neruosis* tam *acutis*, quam *lentis* solemnes sunt ejusmodi horrores, plurimis aliis spasticis affectionibus juncti. In illo *phrenitidis genere*, quod ex neruorum perturbatione immediate deducit SARCONE, horror subito inuasit, et secunda hebdomade abiit in manifestum vnius, siue plurium partium tremorem [1]). Vigente paroxysmo perpetua aderat frigoris et vaporosi caloris vicissitudo [2]). Corporis perfrigerationem cum rigiditate perniciem denunciare, dixit HIPPOCRATES [3]); Horrorem in decursu regredientem longitudinem morbi, ejus malignitatem, siue mortem indicare ALPINUS; Perfrigerationes, quae in judicatoriis et sine sudore fiunt, (indicio, a spastica impressione liberare

8) VAN SWIETEN *Comment.* T. II. p. 22.
1) *Lib.* c. §. 549.
2) *ibid.* §. 551.
3) *Praedict.* I. 77. *Coac.* 3.

rare non posse sensorium) damno esse, HIPPOCRATES [4]); Febres algidae (Φρικώδεες) per totum morbi decursum horrore et conuulsiuis tremoribus aegrum afficiunt, et grauior neruorum affectio procul dubio eorum caussa est. ILL. CARTHEUSER, qui perpulchre hanc febrem describit, notauit, eam juniores et vegetos frequentius inuadere, caussamque addidit, esse in iis partes sensibiliores, ideoque in violentiores contractiones ruere [5]).

Neque tamen omnes in febre acuta horrores et rigores incidentes damnandi sunt. Praecedunt formandam metastasin [6]) haemorrhagias [7]), vomitum [8]). Quandoque etiam denotant naturae actiuitatem, qua omnia, repetito quasi primo impetu, adhibet, vt sensorium vnica vice a febrili labe liberet. Si vero salutaris est ejusmodi rigor, tum eum statim excipere debet symptomatum omnium remissio, pulsus mollities, cutis relaxatio cum aequali sudore. Talis si est, ardentes febres soluit [9]) et sudorem prouocat [10]). Horrores in remittentibus et semitertiana stato tempore recurrentes, si alia non adsunt periculi signa, mali nihil portendere, cuilibet cognitum est medico.

Verum autem frigus, vera caloris absentia, versus finem pessimarum febrium non raro obseruanda, vbi vires vitales post nimiam intensionem exhaustae sunt, cum hisce horroribus, qui apparentia tantum sunt frigora, commutari non debet. Tale frigus, quod magna etiam sequitur facta dispendia, non aegri sensum, qui jam torpet, sed attingentem ferit manum. Tum et spiritus emittitur frigidus, certissimumque instantis mortis praebet indicium [11]).

Quatenus molestus ille pungens sensus, quem in febribus putridis post diuturniorem attactum in digitis nostris percipimus, cum essentiali febrium flagrante calore conueniat, hic inquirere non possumus.

§. XXXVII.

C o n c o c t i o.

FEBRIS nunc *decursus* et, quae in illum incidunt, *Cruditatis*, *coctionis* et *criseos* tempora, consideranda veniunt. Mallem tamen sicco pede hanc doctrinam transire, quam meam de ea sententiam proferre, quae a magnorum virorum placitis in multis recedit: sed cum omnes fere authores circa hujus doctrinae theoriam dissentiunt, et mihi, quid sentiam, proferre, liceat. Obseruationum autem veritatem, quam in dies magis confirmauit experientia, in dubium vocare, nolo: multo magis ea, quae proferam, huic superstructa sunt omnia. Videamus itaque, quibusnam signis initia *Concoctionis* cognoscantur, et a *Cruditatis* statu distinguantur.

Plurimi

4) *Praedict.* I. 61. *Coac.* 38.
5) *Fundam. pathol. et therap.* T. II. p. 740.
6) *Coac.* 107.
7) *Coac.* 24. 170.
8) *Prognost.* XXV. 144.
9) HIPPOCR. aphor. 58. Sect. IV. *De judicat.* XI. 71.
10) *De judicat.* XI. 70.
11) HIPPOCR. *Prognost.* IV. 20.

Plurimi authores ad ſymptomatum vehementiam et lenitatem eorumque incrementum et remiſſionem reſpexere, vt fixos determinarent limites, quibus duo haec ſtadia diſtinguerentur.

Statuerunt veteres medici, in *principio* morbi adeſſe *cruditatem*, in *incrementum coctionem* incidere. Intellexerunt autem ſub principio leuiorem morbi ſtatum, in incremento omnia augeri et ſymptomata exacerbari voluerunt [1]). Ergo mitius morbi initium iis cruditas erat, et in coctione ex eorum ſententia ingraueſcebat morbus. Inquit enim GALENUS: „in vniuerſum oportet cognoſcere, quod niſi manifeſtum apparet „coctionis indicium, totum illud tempus intermedium eſt principium morbi“ noluitque incrementum dici, niſi adſint coctionis ſigna [2]). Sic etiam veterum ſententiam exponit LOMMIUS [3]): „Principium febris cruditas materiae facit; Incrementum coepta „concoctio; ſtatum eadem abſoluta; Declinationem concoctae materiae vacuatio vel „translatio. Caſus enim, quos modo dixi, omnes per principia febrium atque decli„nationes mitiores, per incrementa perque ſtatus atrociores ſunt.“

Huic conſentit THOM. GLASS: „Omnia ex praeceptis HIPPOCRATIS in prin„cipio *mitiora* et *cruda* ſunt; ſed haec dierum numero non limitantur, itaque nec prin„cipium; primum ergo morbi ſtadium erit, donec ſigna coctionis vel exitii compa„reant. A principio autem increſcit morbus, dum grauiores dolores acceſſionesque „veniunt [4]).“ Atque in genere, omnia in coctione grauiora fieri, veteres exiſtimaſſe, inuenio.

Contrariam plane ſententiam recentiores fere omnes fouent, qui mitiorem quamdam rerum conditionem ad coctionem requirunt, nec *coctionis* termino vtuntur, quamdiu morbus incrementa capit. „Patet nullo interprete, vigorem morbi eſſe, in quo „iſta durant et augentur, coctioni autem tribui debere, ſi miteſcunt ſenſim et abolen„tur.“ RICHTER [5]). — „Indicato cruditatis ſtatu durante, ſymptomata crebreſcunt, „quibus ipſis effectibus hic morbi ſtatus cognoſcitur.“ KLOECKHOF [6]). — „In cru„ditate morbus eſſe dicitur, quamdiu is ex quacunque ſua cauſſa capit incrementa.“ Cl. PEZOLD [7]). — Conferatur et BOERHAAVE [8]).

Tantum authorum diſſenſum, qui profecto major adhuc videretur, ſi plures eorum ſententias adducere placeret, non niſi inde ortum eſſe puto, quod eorum effata de febribus nimis ſint generalia. Febrium enim decurſus quoad diuerſum earum genium maxime differt, quod perpulchre notauit GLASS: „In febribus iis, *inquit*, quae „ſecundum exquiſite ardentium normam ad judicationes vsque increſcunt, haec quidem „ſeruanda ſunt, (loquitur de victu, febris vehementiae accommodando) — ſed con-

1) „Principium dicitur proprium et ne„ceſſarium maxime contingens, (quod veluti „partem totius morbi principium nomina„mus) quod non cognoſcitur dierum nume„ro, ſed exacerbationum qualitate et con„comitantium ſymptomatum leuitate, nam „in incremento et ſymptomatum et morbo„rum augmentum fit.“ AETIUS. Lib. V. cap. 6.

2) *De Criſibus* L. I. cap. 17.

3) *Obſeruat. medicinal.* p. 30.

4) *Comment. de febribus* II. p. 3.

5) *Diſſert. de coctionum praeſidiis euacuantium abuſu euerſis. Reſpond.* UHLMANN p. 5.

6) *Diſſ. de Criſibus* in Opuſcul. p. 196.

7) *Tentam ſemiolog.* §. 8.

8) *Inſtitut. medicin.* §. 922 et ſeqq.

„tinua febris quibusdam, vbi incepit, floret, et viget maxime, et grauissima est; circa „judicium vero et in ipso judicio extenuatur. Nonnullis vero latenter incipit, increscit „autem in dies exacerbaturque; sed sub judicio et ipso judicio abunde emicat. Et est, „vbi ex moderatis initiis augescit, et exacerbatur; et simul atque vigorem acceperit, ad „judicium vsque sub ipsumque judicium, rursus se remittit 9).“

Neque satis determinarunt authores, quid sibi symptomatum augmento velint. Symptomata enim quoad incommodum leuia saepe dici possunt, quamquam grauissima sint periculi, quod portendunt, respectu. Obseruamus etiam, symptomata febri essentialia, siue febrem ipsam, imminui, dum alia incommoda accedunt, vel grauiora fiunt. Sic, mitiore jam febre, aestu modico, laxa et molli cute, vrget capitis dolor, cum vertigine grauissimus, delirat aeger; propinato vomitorio bilis euomitur corrupta, quo facto, cessant capitis dolor et deliria. Haec febris jam ad solutionem vergebat, sed biliosa in praecordiis haerens colluuies maligna procreabat symptomata; et tale quid in epidemia anni 1772 in iis saepe obseruaui, qui morbum ob paupertatem neglexerant. Medicamenta etiam ad leuandam symptomatum vehementiam plurimum valent, quibus ad inuertendum naturalem febrium acutarum decursum crisinque anticipandam rarius est potestas.

Ex his concludo, minus secure ex symptomatum grauitate vel leuitate in genere desumi characteristica coctionis inceptae et absolutae signa.

Plurimi excretionum respectum habuerunt, vt inde desumerent coctionis indicia; et magni praesertim fecerunt vrinae conditionem. Variant autem et in sanissimis vrinae, quoad diei tempus, cibos assumtos et alia accidentalia. Corporis exercitium, temperamentum, tempestas vrinae insignem mutationem inducunt. In febribus vtplurimum in primo initio aquosae sunt, postea subruffae minguntur, sed pellucidae; coctionem indicare dicuntur, si nubeculam ostendunt, eamque absolutam, si, postquam steterunt, sedimentum demittunt. Negari autem non potest, fallacissimam esse vrinarum inspectionem, nisi ad totius morbi genium et symptomata simul attenditur. Vrinas idcirco *praeter rationem* derepente parum concoctas vitiosas pronunciat Hippocrates, „et in totum, *inquit*, quae in morbo acuto vrina *praeter rationem* „cocta est, vitium denunciat 10).“ Vrinas a humorum putrida dissolutione, ab impuritatibus in primarum viarum canale collectis saepissime turbari, facileque coctas mentiri, a spasmodicis hinc inde ortis affectionibus alterari, omnibus cognitum est. Sputa nec in omnibus febribus prodeunt, nec omnino certa sunt. Alui excretionibus omnium minime fides adhibenda; et verbo, si generatim, nec determinata accuratissime febris indole, nec habito functionum vitalium respectu, loquimur, certa coctionis signa neque ex excretionibus stabiliri possunt; de his conferri praesertim meretur Ill. de Haen 11).

§. XXXVIII.

Quid itaque de cruditate, quid de coctione sentiam, et quibusnam notis duo haec stadia certius indicare posse putem, paucis dicam.

Crediderunt

9) *Lib. c. comment.* V. p. 36. et 37.
10) *Coac.* 579.
11) *Rat. med.* Tom. VIII. cap. 11. §. 6. 7. 8.

Crediderunt veteres, assentiunt recentiorum plurimi, ante omnis febris inuasionem existere crudi quid et intemperati in corpore, quod, febre singulari naturae beneficio producta, rursus sanis humoribus assimiletur, seu ita mutetur, vt dein commode per ipsam febrem e corpore ejiciatur. Salutarem hanc naturae actionem cum ciborum concoctione compararunt; distinctionem tamen posuit GALENUS, qui voluit, vt ciborum coctio in sano statu πεψις, febrilis materiae praeparatio πεπασμος diceretur.

In omni febre insignem fieri humorum mutationem, negari non potest. A circulatione enim, vehementiori corporis motu praeter naturam accelerata, sanguinem putride dissolui [1]), acrem fieri, posse et vitiose coagulari et diuersimode degenerari, compertum habemus. Accedit insuper in febre praeternaturalis calor, secretionum omnium perturbatio, excretionum suppressio, virium omnium et motuum anomalia, totius neruosi generis abnormis status, ita, vt facile intelligatur, solidorum constitutionem plane inuerti, humorumque crasin in pessimam indolem mutari posse.

Quomodo autem laudabilis vlla humorum correctio vel mitificatio a febre procreari possit, ratione sane non concipio; et cum experientia, re vera tale quid fieri, me non edoceret, id nunquam mihi persuaderi potuisse, ingenue fateor. In illis enim hominibus, qui manifesta aliqua humorum dyscrasia laborant, video naturam varias excitare excretiones, diarrhoeam, fluorem album, sudores foetidos, diuresin, vlcera, cutis exanthemata chronica; febrem vero ad corporis depurationem eam adhibuisse, rarissime inueni. Rariores enim quaedam obseruationes, quae ad probandum salutiferum istum febris scopum adducuntur, accuratius ponderatae in vniuersum nihil demonstrant; facile enim concipitur, humores post febrem, forsan a medicamentis et ab accuratiori diaeta in febre adhibita, fortuito corrigi potuisse. Sed longe frequentiores in contrariam partem reperiri obseruationes, quis neget? Nec intelligo, cur natura febre, laudato illo ejus instrumento, non vtatur ad sanandam scorbuticam, atrabilariam et veneream humorum dyscrasiam, cur isti morbi, febre casu exorta, non tollantur, sed finita ea, pergant?

Et in genere febres (de acutis loquor) sanissimis corporibus longe solemniores, quam cacochymicis, obseruo. Video, homines, in quibus omnia, rite perficiuntur, in quibus ne minimum quidem vitiosorum humorum indicium adest a leuissima caussa, ab animi commotione, dira corripi febre, in illa coctionis apparere signa, et largis finiri euacuationibus. Febrilem illam materiem, quae criticis demum excretionibus e corpore ejicitur, a suscitante caussa in corpus introduci, dici non potest, cum in ipsis illis febribus, vbi manifeste alieni nihil corpori communicatum est, aeque generatur; et si corpori vitiosi quid applicatur, vt in contagio fit, nulla adest inter illud et excretionum copiam proportio; sic a veneni variolosi guttula non solum in omni corporis superficie pustulae, pure postea turgentes, protruduntur, sed copiosissimae etiam per alias vias excretiones contingunt. Nec post infectionem, antequam febris emergit, corruptorum humorum adest signum.

 Vero

1) Confer. HALLERI *elem. phys.* T. II. p. 84 et seqq.

Vero itaque longe similius mihi videtur, per febrem ipsam, quae in virium vitalium omniumque functionum naturalium perturbatione consistit, humores corrumpi, et vitiosam febrilem materiem primum generari, quam quod febris ab intemperatis humoribus excitata illos praeparet, mites et ad euacuationem aptos reddat. Tabescens durante febre corpus, consumta pinguedo, clare ostendunt, sanos humores ab illa colliquari, corrumpi et tum demum ejici. Jamque magni in arte viri contendunt, inflammatoriam putridamque sanguinis diathesin, bilis vitiosam degenerationem [2], effectus vt plurimum, rarius caussas febrium esse dicendas, et satis superque ex simplicissima naturae consideratione hoc patet. Non minus tamen idcirco postulant medentium attentionem, dum febris vim insigniter intendere, solidaque destruere possint. „Quamuis enim, *probe notante v.* Swieten [3] repugnet, vt effectus prior sit sua „caussa, neque illa mutatio, quae per febrem facta fuit, potuerit esse ejus caussa, ta„men degeneratio humorum facta per febrim poterit sustinere febrim jam existentem, „et ab alia caussa natam."

§. XXXIX.

Laudabilem ergo humorum maturationem a febrilibus motibus nunquam exspectandam esse, cum appareat, febris certe hoc respectu nec auxilium naturae, nec vitae datum praesidium dici meretur. Quatenus vero priorem stimuli actionem praevertit, impeditque, quo minus facta ab illo in sensorio mutatio vitam in discrimen deducat, eamque citius extinguit, omnino vt naturae beneficium considerari potest.

Si vero remedium extaret, quo impediri possit, quo minus a stimulo neruis vlla induceretur labes, siue quo febrilis character neruis impressus absque febre deleretur, nobis febrem omnem tuto supprimere liceret. Tale remedium Helmontius sese possidere jactabat, et re vera in quibusdam febribus *Cortex Peruuianus* huncce praestat vsum. Latet vero tale specificum in ardentibus, quae rarius ab initio suffocari possunt. Attamen et harum vehementiam infringere, noxas inde metuendas auertere, vel imminuere vtplurimum possumus, si venaesectione, temperantibus et relaxantibus statim in vsum vocatis, incitata irritabilitas temperatur et ad benignam resolutionem disponitur.

Qua methodo, si moderamur circulationis turbis, Coctio, quatenus in quacunque humorum alteratione consistit, et illa corruptorum copia criticis deinde euacuationibus ejicienda, manifeste cum summo aegroti emolumento imminuitur; id quod certe in ejus perniciem abiret, si ita vitiosae materiae mitificatio et excretio impediretur. Sic methodo frigidissima, ab *Arabo* Rhazes dudum commendata, nunc *Angli* dirum istum variolosum morbum in mitissimum conuerterunt. Supprimuntur illa nimii febriles motus, imminuitur variolosae materiae praeparatio, ita vt paucissimae in cute efflorescant pustulae. Periculosa secundaria febris, quae minus a varioloso miasmate, quam a corruptis per primam febrem humoribus et pustularum irritatione producitur, sic plane suffocatur. Felicissimus hujus methodi successus tot millibus testium per totam *Brittanniam*, magnam *Galliae*, *Sueciae*, *Russiae* et *Germaniae* partem

2) Perill. Pringle, *Krankh. der Armee* p. 220. Vers. Cel. Brande.

3) T. II. p. 83.

tem confirmatus est, vt a nemine, nisi praeconcepta opinione occaecato, in dubium vocari possit. Non empirici, sed summi *Brittanniae* medici, quibus nemo fidem hucusque denegauit, eam authoritate sua et testimoniis suffulserunt. Perperam contendunt quidam, horum exanthematum eruptionem, cum critica sint, non minuendam, sed potius promouendam esse. Verum omnino, quod per haec exanthemata in cutim vitiosa materies deponatur, quae in corpore retenta illud forsan destrueret: minime autem hac methodo hujus materiae excretio retinetur, sed impeditur ejus praeparatio, et sic a minori corruptorum copia facilius liberatur corpus. Si contra omnis fere humorum massa in variolosum pus conuersum est, vitiosum omne in cutim deponi nequit, sed viscera eodem obsessa inflammantur et gangraenescunt, dum vires simul, post nimiam intensionem exhaustae, languent; et quamquam nostrates medici frigus externum libere admissum hucusque timere videntur, eamdem tamen indicationem aliis implent remediis. Jam calidum regimen rejicientes, laudant sub frigidum omnes et aliis internis temperantibus adhibitis, et praesertim acido vitriolico, quod minuendo nimiam irritabilitatem, efficacissime humorum corruptioni obstat, vim febris satis infringunt, ita, vt eam modo ob caussam adhibere recusent *Anglorum* methodum, quia et ipsorum medendi ratio felici non caruit successu. Talis est Ill. Quarini methodus, qua nullum hucusque sua sub cura variolosum amisisse publice testatur [1]).

Hac felicissima refrigerante methodo euacuationum criticarum copiam plurimum imminui, et in aliis manifeste apparet febribus. Sic regimen frigidum illam humorum corruptionem, cujus signa sunt *Miliaria*, impedit, ideoque ad praecauenda haec exanthemata ejus vsum vehementer adeo vrget Ill. de Haen. Quamquam enim ille nullo modo, ista critica esse, concedat, id, quod neque ex mea sententia vnquam sunt, iis tamen a vitiosa materia corpus liberari, exinde patet, quia retrogressis illis omnia grauiora fiunt.

Denique ex continuarum omnium, praesertim vero intermittentium attenta consideratione patet, febrilem istam materiem, quae criticis euacuationibus in fine ejicitur, non ante febris ingressum in corpore extare, sed febre ipsa generari, ideoque ejus generationem, quantum fieri potest, impediendam esse. In intermittentibus febribus post singulos paroxysmos copiosissima cocta materia criticis euacuationibus exterminatur. Quo facto perfecta sanitate frui videtur aegrotans homo, mox autem, nouo exorto paroxysmo, eadem materiae febrilis copia ejicitur. Propinato autem febrifugo cortice, nouus non inuadit paroxysmus, nec criticae euacuationes amplius contingunt, quae aliter vigesies forsan et vltra regressae essent. Quantam autem in corpore tum retineri vitiosae materiae quantitatem arbitramini! Cum autem bonis hoc fit aegroti rebus, sequitur eam ante febrem non adesse, sed a quouis regenerari paroxysmo. Si autem hic paroxysmorum recursus non tollitur, intermittentes illae diuturnae febres ex corporis summa debilitate, viscerum obstructione et humorum omnium degeneratione in hecticas lethales abeunt. Et in febrium lentarum curatione totius rei cardo in eo vertitur,

1) *Method. medend. febrium* p. 100.

vertitur, vt febrilia molimina et excretiones tollantur; ac eo si aptis remediis perueatum, jam in vado fere collocata est aegri res, qui morbo mox succubuisset, si, re naturae commissa, continua febrilis materiae praeparatione corpus colliquari, passi essemus.

Quibus permotus ratiociniis concludo, per febrilia molimina vllam humorum mitificationem et correctionem nunquam produci, sed potius sanos humores in omni febre, mitissima forsan *ephemera* excepta, corrumpi, atque hanc corruptionem eo peiorem esse, quo vehementiores magisque enormes sunt febriles motus. Et si sub *coctione* qualiscunque intelligitur humorum alteratio, illam semper damnandam esse, et tum symptomata omnia, quo magis procedit, ad veterum mentem graviora fieri, contendo.

§. XL.

His praemissis, jam meam de febris decursu et variis ejus stadiis sententiam, in sincera naturae consideratione fundatam, propono, secundum quam benigna illa symptomatum et febris ipsius remissio, quae instantem plenariam solutionem praecedit et quam recentiores sub *coctione* intelligunt, non humoribus, sed solidis, ab actione sua intensa remittentibus, tribuenda est.

Si sensorium, ad febrem suscipiendam dispositum, ab occasionali aliqua caussa incitatur, sensim in eo illa pronascitur mutatio, qua ad validam reactionem exserendam et ad suscitandos febriles motus impellitur. Vehementi impetu cum hanc reactionem incipit, riget corpus, spastice contrahuntur omnia; propter summam cordis, et arteriarum irritabilitatem pulsus contractus et ob celeritatem tremulus; sensus perturbantur, ita vt, calente corpore, frigoris in anima nascatur idea. Remittente sensim primo hoc neruorum impetu, vasorum irritabilitas a summo quidem spasmo moderatior fit, minime autem resoluitur. Pulsus contractus manet et durus, et licet magis eleuetur, spasticae contractionis tamen exhibet speciem. A Galeno sub *vibrati* nomine descriptus, recentioribus artis sphygmicae cultoribus *Pulsus irritationis*, *non criticus*, *conuulsiuus*, *neruosus* audit. Talis est, qualis in omni inflammatione sensibiliorum partium deprehenditur, praesertim si dolor fortior vrget, nec inflammatio ad solutionem tendit. Cutis arida cum pruritu rubet et ardet. Vrina mingitur rubra, sed tenuis, in qua nihil subsidet. Aluus et reliquae excretiones omnes suppressae. Et quamquam viribus adhuc valeant aegroti, sentiunt tamen singularem earum oppressionem, et ad motus obeundos artuum grauitatem. Anxii et inquieti conqueruntur de flagrantissimo aestu, inter quem tamen horroris sensus saepe rursus inuadit. Haec phaenomena characterem essentialem hujus stadii, quod *irritationis*, quam *coctionis* dicere malim, absoluunt; solidorum praeternaturalem actionem, vasorum spasmum et affectos neruos per se indicant.

Nisi enormiores motus solidis fluidisque grauius induxerint vitium, quo fiat, vt magis semper intendatur febris, praefata symptomata a vehementia sensim

sensimque

ſenſimque remittunt. Cor vaſaque relaxantur, ſoluitur eorum irritabilitas ad ſpaſmum vsque aucta. Pulſus mollior fit, magisque dilatatur. Remittit ardentior aeſtus. Functiones omnes, ſecretiones et excretiones naturali ſtatui propius accedunt. Vrina, a tubulorum renalium ſpaſmo antea retenta, nunc profluit copioſior, et craſſioribus particulis, per febrem degeneratis, jam exitus patet. Stagnantes in pectore viſcidi humores ejiciuntur. Laxatur cutis et madet. Humectatur lingua. Atque in hoc ſpaſmi et intenſae irritabilitatis remiſſione verus ponendus eſt *Coctionis* character; mitiora omnia euadunt, non ob humorum aliquam mitificationem, ſed ob ſolidorum actionem jam magis naturali ſtatui accedentem. Baglivius, plurimum in hoc opere ſolidis jam tribuens, „Coctio, *ait*, humorum in laxitate aliqua ſolidorum vel liquido„rum conſiſtit, cruditas vero in contractione ac veluti in confuſione et ſtrangulatione „eorundem [1].“

Rarius autem a vehementi initio ſic remittit per gradus febris vis. Corrupta enim aliqua craſis jam a prima febris invaſione humoribus vtplurimum inducitur, qua, nouo ſtimulo irritabilitatis exceſſus incitatur, et febris, quae per ſe remitteret, validius exardet. Hinc, increſcente morbo, coctionis ſeu relaxationis ſigna ſerius apparent; et licet quandoque ad ſolutionem tendere morbus videatur, haec tamen, nouis exortis turbis, euertitur. Quam ob cauſſam febres illae, quae a ſtimulo aliquo interno v. g. a vitioſa primarum viarum colluuie, a bile in praecordiis haerente vel productae fuerunt, vel ſuſtinentur, rarius aequali vigore decurrunt, ſed remiſſionem vehementior exacerbatio, noua quaſi ſuperaccedens febris, excipit. In quibusdam vero, licet noua et atrociora ſymptomata a peccante materia accedant, vaſorum irritatio vel febris ipſa mitior tamen euadit. Hic, ingraueſcente toto morbo, irritatus ille et *vibratus* pulſus mollior fit, nec cutis tam aſpera ſiccaque manet. Niſi vero per ipſam vitioſam materiem incitata irritabilis vis eam ejicit, leuantesque mouet excretiones, morbus ſibi remiſſus ad ſolutionem peruenire non poteſt, ſed animalis oeconomia, in diem magis labefactata, morbo ſuccumbit. Auxilium autem tale, a natura rarius exſpectandum, optime hic fert artis efficacia; et nullibi profecto, clarius apparet, quantus ſit remediorum opportune adhibitorum vſus. Humorum enim corruptionem illis non ſolum praecaueri, ſed corruptos etiam corrigi et educi poſſe, quis hodie inficias ibit? Neque amplius ſupereſſe credo medicos, qui, vana et infida naturae opilatricis exſpectatione decepti, efficaciora omnia medicamenta eam ob rationem reſpuant, quod illis naturae inuertatur ordo, et vires ejusdem, quibus ad perficiendam coctionem et criſin opus ſit, infringantur. Verum eſt, ſub illa, qua nos nunc vtimur methodo, vehementes illas veterum criſes rarius occurrere, ſed et minus ancipites ſunt, nec leuata medicamentis natura ad vincendum morbum tantis indiget turbis. Educto enim morboſo illo fomite, qui febrem per ſe ad ſolutionem jam vergentem ſuſtinebat, morbus in decrementum ſtatim abit et vel lenta ſolutione finitur, vel ſubitanea criſi judicatur, quae eo ſecurior, quo minori copia corrupta materies adeſt. Rarius etiam nobis febres ita

1) *Canon. de medicina ſolidorum XXXVIII.*

ita protrahuntur, vti in plerisque aegrotis olim factum fuisse ex HIPPOCRATIS epidemicis colligimus. Aegrum euacuantibus recte adhibitis debilitari, falsum est et omni repugnat experientiae; si enim biliosa colluuies in praecordiis vere adest, vomitorium certius restituit oppressas vires, quam laudatissima cordialia. Nolim tamen quis credat, me iis assentire, qui euacuantium medicamentorum et praesertim catharcticorum vsum vniuersalem in omnibus febribus credunt. Quamquam enim apud nostrates plerisque febribus aliqua primarum viarum impuritas sese adjungit, eam tamen in omnibus perperam suspicamur, et purgantia omnino, sine ratione adhibita, eamdem, vt ipsa vitiosa colluuies, noxam inferre possunt, dum intestinorum maxime sensibiles tunicas, abraso eorumdem muco, perpetuo stimulant, stimulo febris vim intendunt ejusque solutionem impediunt [2]). Qui euacuantia medicamenta eum in finem adhibent, vt circulantes corruptos humores educant, et nescio quam reuulsionem illis efficere volunt, similes et peiores mihi videntur iis, qui corruptum cruorem venae sectione educendum credunt; tenues enim humores, qui nimis jam in febre dissipantur, corpori detrahunt omnes. Sed haec in transitu.

§. XLI.

Crisis. Euacuationes Criticae.

Quo magis nunc ab irritationis statu vasa liberantur, eo luculentiora fiunt *coctionis* et instantis resolutionis signa sique maturius accedunt coctionis indicia, citam promittunt morbi resolutionem. Sic *Pericles*, qui secundo die vrinas concoqui incipientes et tertio probe concoctas reddidit, quarto judicatione absolutus est [1]).

Crisium vero duplex considerandum est genus. Soluitur enim febris, si, procedentibus illis coctionis signis, ad naturalem statum omnia fere nunc redeunt, et simul sub summo leuamine excretiones quaedam nunc vberiores, nunc parciores contingunt. Haec solutio apud nostrates frequentissima est, eaque plurimas febres terminari, obseruamus. Veteres quidem et praesertim GALENUS, nihil nisi subitaneam mutationem, quam grauior praecedit perturbatio, *crisin* dici, voluerunt. HIPPOCRATES, quem ducem in hac doctrina merito veneramur, in genuinis *Epidemicorum* libris sub lenta morbi solutione hac voce vsus est. Neque recentiorum vllus protractae et lentae solutioni hoc nomen imponere dubitat. Hujus vero solutionis ratio facile patet, consistit enim in irritationis spontanea remissione, sub qua materiae corruptae excretiones non a vi morbi intensa, sed remittente contingunt.

Verae

2) Hunc medicorum quorundam errorem perpulchre notauit SARCONE *lib.* c. §. 661 et seqq. qui noxas ex purgantium abusu probe ostendit; et conuulsiones inde ortas non raro obseruauit. — Cum enim in febre omnium partium sensibilitas permultum excedit, facile intelligitur, stimulos, qui in naturali statu nil commouerent, summas turbas procreare posse. Sic *vermes* sub sano corporis statu plane latentes, in febre, aucta intestinorum sensibilitate terribilia excitant symptomata.

1) HIPPOCR. *Epidem. L. III. Sect. II. aegr.* 6.

Verae autem et subitaneae illae *Crises*, quibus ad GALENI mentem hoc vocabulum vnice competit, et quae cum vehemente quadam perturbatione fiunt, nobis rarius occurrunt. Cum tamen negandum non sit, illas turbas et in nostra quandoque obseruari regione, meam de iis sententiam breuiter proponam.

Postquam a primo impetu jam remisit neruosum systema et coctionis, vel relaxationis quaedam signa jam apparuere, stimuli autem actio (siue re vera aliquis in corpore adhuc insit, siue impressionem suam in sensorio reliquerit) impedit, quo minus sic plane resoluatur morbus, vehemens illa sensorii reactio rursus incitatur, vt vel stimulus exterminetur, vel relicta ejus impressio deleatur. Criticum enim hunc paroxysmum, primae morbi inuasioni similem, neruorum actione produci, omnia ejus phaenomena manifesta indicant; spasticus quippe rigor, vel conuulsiuus tremor, quo corpus afficitur, durus, inaequalis et tremulus pulsus, horroris sensus, vt alia taceam symptomata, neruosum statum arguunt.

Et sub hac rerum conditione judicium fertur de salute aegroti. Nisi enim signa soluti, vel saltim multum leuati morbi criticum hunc impetum mox excipiant, omnia in pejus ruunt; exhaustae vires morbi cedunt magnitudini, et vita vel subitanea et quasi apoplectica morte extinguitur, vel perturbatis neruorum legibus deliria et conuulsiones cum pulsu debili accedunt, inque lethalem transeunt soporem. Plerumque tamen hoc conamine actiua natura febrem vincit et absoluitur aegrotus. Cutis cum grato calore resoluitur; pulsusque *undosus*, sic vt singuli ictus supra se mutuo insurgere videantur, validam quidem cordis contractionem, sed sufficientem etiam dilatationem, arteriae mollitiem et laxitatem indicat.

Systema neruosum singulari mobilitate praeditum, a stimulo quodam in corpore materiali, febrilibus motibus progenerato, ita lacessitum, vt ad remissionem peruenire nequeat, criticas hasce turbas mouere videtur. Rariores enim apud nostrates, *Orientalibus* et sensibilioribus *Graeciae incolis* solemniores sunt, nobisque vix, nisi in teneris infantum et feminarum corporibus occurrunt, et praesertim si natura a materia quadam exanthematica, per ipsam febrem generata, corpus liberare studet. Primam itaque variolosam febrem turbulenta ejusmodi crisi in infantibus praesertim resolui, obseruamus; in hisce enim conuulsiones ante variolarum eruptionem non insolitae sunt, et quamquam inexpertis terrorem injiciant, perito medico bonum praebent augurium. In febribus etiam acutissimis et quibus regularior est decursus hanc crisin modo contingere, jam voluit GALENUS, „in morbis autem inueterascentibus, *ait*, contingit et judicia, vehementiam perturbationis „et alterationis breuitatem remittere et ad duos saepe dies et tres extendi [z]).“ Continuarum *manifeste* remittentium alia est ratio; sub initio et vigente morbo horum paroxysmi ita extenduntur, vt remissio vel nulla, vel valde obscura obseruetur. In progressu autem manifestiores fiunt remissiones, praesertim si adhibitis congruis medicamentis vitiosus ille fomes, circa praecordia haerens, qui nunquam non ha-

Oo 2 rum

z) *De diebus criticis L. II. cap. 5.*

rum febrium vim intendit, educitur; atque tum quiuis paroxysmus, intermittentium febrium instar soluitur, et criticis euacuationibus vitiosa materies, in ipsius paroxysmi vehementia generata, ejicitur.

§. XLII.

Quod ad criticas illas euacuationes, quae post solutionem morbi fiunt, attinet, fateor me minus assentire posse doctrinae plerisque in scholis de iis receptae. Ex aliqua enim naturae actiuitate viriumque vehementiori impetu plurimi, illas produci, voluerunt. Sed nunquam euacuationes vere criticae in summo febris vigore, in quo natura fortissimas exserit actiones, viresque maxime intensae sunt, contingunt, quin potius sub hoc statu omnes excretiones supprimuntur, neque in ipsam, si aliqua fit, criticam perturbationem incidunt; prodire autem incipiunt, praegressis coctionis vel resolutionis signis, cum omnia jam symptomata remiserunt, vasorum motus ad naturalem rediit normam, cutisque relaxata est. Nec vlla ad perficiendas illas depurationes virium impetuositas requiritur, cum ita constituta sit animalis corporis oeconomia, vt partes corruptae et quae ad nutritionem amplius quicquam conferre non possunt, naturali vasorum excernentium oscillatorio motu ejiciantur. Excretiones itaque in naturali et sanissimo statu, absque vllis turbis rite contingunt, cum in morbosa solidorum actione supprimantur, vel ita inuertantur, vt retentis excrementitiis partibus, ea ejiciantur, quae excerni non deberent. Durante enim febre excretiones suppressae secretionesque turbatae, simul cum vehementiori circulo et aestu praeter naturam aucto, tantam induxerunt humorum massae corruptionem, vt nisi a corruptis liberetur corpus, integra valetudo redire nequeat. Fieri autem hocce non potest, antequam vasorum irritabilitas ita remisit, vt soluto omni spasmo, aliqua tantummodo vasculosi generis efficacia supersit. Adsit pulsus mollities, tarditas et magnitudo cum fortitudine aliqua, necesse est, ita vt cor vasaque sufficienti quidem potentia contrahantur, sed et post quamlibet contractionem largam relaxationem admittant; et vltimi praesertim vasorum fines a spasmo relaxati sint.

Quamquam itaque ad depurandum corpus a corruptis per ipsam febrem humoribus, ad praecauendos alios morbos, metastases et recidiuas, euacuationes criticae maxime necessariae sint, quinimo, si debilitas illa, febrem plerumque excipiens, praemature inuadit, medicamentis excitantibus promoueri debeant: tamen in soluenda febre iis nihil tribuo, neque eas solutionem morbi ipsam constituere credo. Si enim attenta, nec praeoccupata mente euacuationes has consideramus, facile patebit, eas non esse solutionis caussam, sed ejusdem potius effectum. Febrem quippe a copiosissimis excretionibus nunquam solui, obseruamus, nisi relaxationis status omniumque symptomatum remissio praegressa est. Et licet euacuationibus, quae in morbi vigorem saepe incidunt, materia ejiciatur ejusdem ac illa, quae in criticis exterminatur, vel peioris longe et corruptioris indolis: ejusmodi tamen dejectionibus febris nunquam soluitur. Leuamen quandoque quidem afferunt, sed saepe etiam inutiles sunt et morbus iisdem exacerbatur. Alui dejectiones copiosissi-

copioſiſſimae foetidiſſimae in febrium decurſu absque leuamine ſaepius conſpiciuntur, imo „aluus in febre affatim prorumpens, mortis periculum affert [1]),“ cum tamen ſub relaxationis ſignis, aluo ſemel vel bis depoſita, febris ſoluatur. Haemorrhagiae febriles nunc inutiles ſunt, nunc damno, nunc lethiferae, ſed paucae guttulae e naribus ſtillantes, praegreſſis ſolutionis ſignis, ſufficiunt. Vigente febre copioſiſſimi ſudores neque leuamen afferunt, ſed periculum portendunt, et „ſudor „vna cum febre acuta vrgente malus [2]) ſudor in febribus acutis multus et copio„ſus, damno eſt [3]); lenis contra mador cum grato calore pulſuque molli, leuato jam morbo prorumpens, febrem ſolutam indicat. Nulla itaque cum inter excretionum copiam qualitatemque et leuamen inde percipiendum ſit proportio, morbi ſolutio immerito iis tribui, mihi videtur. Et nunquam febrem excretionibus finiri obſeruamus, niſi manifeſta ſub illis jam adſint ſigna, neruoſum ſyſtema a febrili jam liberatum eſſe charactere: erectior ſit animus et ſibi conſtans, ſomnus placidior, reſpiratio libera, nec anxia, grate caleat corpus, nec aeſtuet, nec horroris ſuperſit ſenſus, pulſus mollior ſit, cutisque relaxata. Niſi haec ſimul appareant, euacuationes recte procedentes nullam promittunt ſalutem, ſed periculoſiſſimum indicant ſtatum. Et licet morbus in quocunque ſtadio, ſi talia excernuntur, qualia debent, leuari poſſit, neutiquam tamen ſub alia conditione ſoluitur.

Sed praeterlapſo tempore, vlterius hoc argumentum pertractare prohibitus, hic pedem figo.

1) *Coac.* 129.
2) *Coac.* 574.
3) *Praedict.* I. N. 58.

XVI.

GUILIEL. GODOFR. PLOUCQUET ET CHRISTI. LUDOV. BAUR DE CEPHALALGIA METHODO NATURAE ACCOMMODATA IN SPECIES DIGESTA.

TUBINGAE 1787.

CONSPECTUS.

b. epiſche-

ß. epischeticae, ex retentione excretionis.
1. haemorrhoidalis.
2. menostatica.
3. cyetica, a grauiditate.
4. ischepistactica, ex suppressione haemorrhagiae narium.
5. psyctica, a refrigeratione.
6. styptica, ex adstrictione alui.
c. agrypnica.
d. colytica.
†. Pachyaemica, ex spisso sanguine.
a. atrabilaria
b. pituitosa
b. Serosa
c. Acres
α. rheumatica
β. arthritica
γ. herpetica
δ. achorosa
ε. variolosa
ζ. trichomatica
η. scabiosa
θ. scorbutica
ι. scrophulosa
κ. syphilitica
3. Enaerea, ex contento aëre.
4. Toxica

E. Neuricae,
1. spudastica, ex nimia mentis exercitatione.
2. agrypnica.
3. pathetica, ex animi affectibus.
4. asthenica, ex debilitate.
5. stereteleсtrica, ex priuatione materiae electricae.

Sectio II. Sympathicae.
A. Gastricae
1. saburralis
2. biliosa
3. pituitosa
4. asthenica, dyspeptica
B. Splanchnicae
1. hepatica
2. splenica
3. nephralgica
4. hysterica
C. Mastica,
D. Odontica,
E. Nasalis,
F. Ophthalmica,

Sect. III. Compositae.

Sect. IV. Complicatae.

Epilogus.

Recensio systematis SAUVAGESII et SAGARI circa Cephalalgiam.

§. I.

Inter dolores, quibus vexamur, eminet omnino is, qui summum hominem affligit, *Cephalalgia* puta, siue dolor capitis, cui varii Auctores varia quoque nomina imposuere, prout aut locum magis praecise denotare aut gradum ejus innuere, aut alia ejus praedicata indicare volebant.

In hoc morbo dolet itaque caput, verumtamen non omnes et singulae capitis partes dolentes sub hac appellatione comprehenduntur; sic, verbi caussa, dolores maxillarum, genarum, narium cet. licet ea partem capitis constituant, istud nomen sibi non adsciscunt: Itaque cephalalgia eos tantum denotat dolores, vbi cranium cranioque contentae partes siue integra, siue in latere alterutro, siue in parte antica, siue postica, siue in exigua et circumscripta sede, siue per majores plagas dolent.

§. II.

§. II.

Differentiae aegris ipsis sensiles, desumuntur jam a gradu doloris, qui a leuissimo vsque ad summum intolerabilem, aliisque symptomatibus stipatum euehi potest, jam ab ejusdem modificationibus, dum aut obtusus, aut grauatiuus, aut acutus, distendens, pulsans, terebrans, sentitur, aliasue variationes exhibet, modo a sede specialiori, quam occupat, modo a constantia vel fugacitate, modo a typo inuasionis siue regulari siue anomala, nunc a breuitate, acutie, nunc a chronico ejus statu, et quae sunt plures ejusmodi *differentiae accidentales*.

§. III.

Has vero differentias cum manifesto non nisi ad *faciem* morbi *externam* pertineant, nequaquam vero ejus naturam et indolem exhauriant vel declarent, nos pro fundamento diuisionis agnoscere non possumus.

Innitimur quos auctoritati GALENI, qui [1]) capitis dolorem simpliciter cephalalgiam vocat, quamuis aliis locis etiam de cephalaea et hemicrania loquatur. Hasce tres varietates vel facies vt tot genera agnouit SAUVAGES [2]), quem vt in plerisque reliquis secutus est SAGAR [3]). Cur CULLENIUS [4]) dolores capitis plane praeterierit, non perspicimus.

§. IV.

Praecipua, quam GALENUS jam agnouit, differentia ea est, qua cephalalgia, sub quo nomine et cephalaeam et hemicraniam, reliquasque appellationes complectimur, distinguitur in *Idiopathicam* et *Sympathicam*. Symptomaticas, vtpote quae aliorum morborum partes et comites esse possunt, studio praetermittimus et miramur, τὸ symptomaticum a multis idiopathico contradistingui: cum tamen ad euitandam confusionem idionosematico s. proprium morbum constituenti opponi debeat.

Idiopathica cephalalgia itaque audit omnis ea, vbi origo mali in ipsis partibus dolentibus deprehenditur; sympathica vero, cum ista in aliis partibus haeret, dolore in capite per consensum excitato.

SECTIO I.

IDIOPATHICAE.

§. V.

Prima itaque ad idiopathicas pertinens species est

A. *Cacoplastica*

Mala conformatio quaecunque, siue in partibus solidis mollibus, siue duris, liberum situm, motum aliasue rationes naturales turbans, dolores his in partibus creare potest.

Huc

1) De Symptom. different. c. 3.

2) Nosologia methodica T. II. p. 49 sqq.

3) Systema morborum P. II. p. 362 sqq.

4) Kurzer Inbegriff der medicinischen Nosologie.

Huc pertinet obſeruatio HIPPOCRATIS [1]) ita habentis: *οἱ φοξοι, οἱ μεν καρτεραυχενες και ισχυροι, τἄλλα και ὀστεοισιν· οἱ δε κεφαλαλγεες και ὠτοῤῥυποι, οισιν ὑπερῷαι κοιλαι και ὀδοντες παρηλλαγμενοι.*

Nec non cephalalgia a cranio craſſiſſimo, quod LIEUTAUD [2]) memorat.

Horum et ſimilium vitiorum organicorum diagnoſis, niſi ea euidenter in oculos cadant, eſt difficillima et therapia, ſi palliatiuam excipias, nulla.

§. VI.

Secundus ordo ſpecierum comprehendit cephalalgias

B. *Exallaćticas.*

Huc ſpectant ſequentes.

a. Cephalalgia ex oſſibus cranii mollibus, cartilaginoſis, immo et carneis, quam habet LIEUTAUD [1]).

b. Obſeruationes, quibus in iis, qui occipitis doloribus obnoxii vixerunt, cerebellum cerebro mollius repertum fuit, in aliis aridum et friabile. Quales proſtant exempla apud BONETUM [2]), RIOLANUM [3]), PAWIUM [4]).

c. ex glandula pineali petroſa [5]).

d. ab eadem enormi [6]).

e. ex membranis cerebri, morbos conformationis patientibus, vt habent BONETUS [7]) et WILLISIUS [8]).

f. ex degeneratione durae meningis, in latere frontis ſiniſtro firmiſſime affixa, ibique ad modicum ſpatium, quaſi ellipſis ambitu circumſcriptum, non membranaceam, ſed mediam inter os et ligamentum naturam habente, quam memorat MORGAGNI [9]).

§. VII.

Sequuntur jam

C. *Lymantericae.*

Inter has primum allegari meretur

1. *Traumatica.*

Praeter ſigna anamneſtica, violentiarum illatarum teſtantia, attendendum eſt ad ſigna concurrentia, quae ſunt: Vomituritiones, vomitus, febris, oculorum rubor, faciei inflatio, agrypnia, ſtupor vel et ſopor, quandoque delirium furioſum, carphologia, nec non ſuppuratione inſtante vel occulta, oedema faciei.

BINNINGER [1]) habet Cephalalgiam et Haemorrhagiam periodicam ex ictu lapidis, qui in bregmate dextro foueam reliquerat.

BONET

1) Epid. L. VI. n. 1.
2) Hiſt. Anat. med. T. II. L. IV. obſ. VI.
1) l. c. Obſ. VI.
2) Sepulchretum anatomicum Lib. I. Sect. I. obſ. 89.
3) Anthropologia Lib. VI. cap. 2.
4) Obſeru. anat. 8.
5) Acta Erud. Lipſienſ. A. 1699. LIEUTAUD l. c. obſ. 179.
6) ibid. Obſ. 176.
7) l. c. Obſ. 84.
8) de anima brutorum P. II. cap. 1.
9) Epiſt. anatom. Ima Artic. 10.
1) Cent. V. Obſ. 26.

Bonet vulnus sequutam allegat [2]).

Et alii Autores praesertim chirurgici obseruatores pleni sunt obseruationum analogarum.

Therapiae supersedere possumus, cum ejusmodi cephalalgiae non sint nisi symptomaticae.

2. *Apostematodes.*

Quatenus in parte dolente apostema formatum est.

Signa hujus speciei petenda erunt jam ex signis inflammationis praegressae, jam ex metastasibus purulentis, jam ex aliis anamnesticis. Fatendum quoque, ea saepius incerta et obscura esse.

Legimus cephalalgiam ex vomica in cerebro ossis frontis, fracturam secuta [3]).

Alia prostant exempla apud Lancisium [4]), Janum Plancum Ariminensem [5]), Morgagni [6]), Bonetum [7]), nec non in Obseruationibus Societatis Edimburgensis [8]).

Dolor intolerabilis et fugax ad frontem et tempora ex abscessu in media frontis parte legitur apud Bonetum [9]), Ballonium [10]).

Ex abscessu seroso natibus cerebri et infundibulo adhaerente [11]).

Ex abscessu sanioso circa neruum opticum cum glutinosa et pellucida aqua [12]).

Cephalalgia bimestris accedente auris dextrae dolore intolerabili post ruptum abscessum, materiaeque per aurem effusionem euanuit [13]).

Ex abscessibus in sinubus frontalibus [14]).

Praeterea quod signa praesentis intra cranium apostematis incerta et obscura sunt, etiam loci malignitas.

Therapiam si non omnem eludet, tamen difficillimam et rarissimam reddet.

§. VIII.

Inter symantericas alio sensu refero

3. *Purulentas.*

Ubi scilicet pus membrana peculiari non clausum est, sed libere ad vicinas quoque partes serpit, ita tamen, vt partes dolentes exinde corrumpantur.

Nouimus cephalalgias ex pure ad os ethmoides delato [1]).

Ex pure inter piam matrem et cerebrum contento, illuc ab inflammatis pleura et pulmonibus delato [2]).

A pure circa basin cerebri ex mero et tabaco [3]).

Ex pure in ventriculis [4]).

§. IX.

2) l. c. Obs. 44.

3) Bonet l. c. Obs. 48.

4) De subitaneis mortibus L. I. C. XI. §. 11.

5) Storia Medica d'una apostema del lobo destro del ceruelletto.

6) de Sedibus et caussis morborum Artic. I.

7) Bonet l. c. Obs. 51, 54, 57.

8) Band V. num. 53. pag. 787.

9) l. c. Obs. 50.

10) De conuulsionibus pag. 27.

11) Bonet l. c. Obs. 46.

12) Bonet l. c. Obs. 47.

13) Frid. Hoffmann Operum omnium T. I. pag. 326.

14) Ephem. Nat. Cur. Dec. II. A. VII. Obs. 126.

1) Bonet l. c. Obs. 21.

2) Bonet l. c. Obs. 40. ex Paraeo.

3) Lieutaud l. c. Obs. 492

4) ibid. Obs. 313.

§. IX.

Porro huc ſpectat

4. *Septica.*

Quales obſeruationes ſunt:

Cephalalgia ex putredine circa ſubſtantiam cerebri [1]).

De purulenta et ſeptica ratione diagnoſeos et therapiae idem fere valet, quod de apoſtematode: niſi quod poſt capitis laeſiones et concuſſiones cerebri ſuppuratio ſaepius auerruncari poſſit per methodum generoſius antiphlogiſticam, epithemata frigida, et in caſibus nonnullis per maturam trepani applicationem.

§. X.

Eodem pertinet

5. *Eurodes.*

Haec Species valde chronica eſſe ſolet, et ſaepiſſime originis eſt ſyphiliticae, id quod iterum ex ſignis anamneſticis et concurrentibus judicandum eſt.

Offendimus ejusmodi cephalalgias ex carie cranii [1]).

Ab interiore cranii tabula carie affecta [2]).

A carie oſſis frontis et laeſione ſuperioris orbitae [3]).

Ab oſſis ſincipitis carie et ſuturis obliteratis [4]).

Ex multiplici cranii carie [5]).

Ab oſſis ethmoidei eroſione [6]).

Therapia fere mere chirurgica erit, adjuuanda per ea, quae cariem, ſpecifice dignoſcendam corrigere poſſunt.

§. XI.

Quemadmodum deſtructio partis vel imminens vel perfecta dolorem creare ſolet: ita etiam minoris forte momenti occaſiones ſimilem effectum producent. Huc pertinet omnis ſtimulus, ſiue a preſſione ſiue ab alius modi irritatione procedat, adeoque hujus cenſus jam erunt *Cephalalgiae*

D. *Thlipticae* et *Erethiſticae.*

Producuntur ejusmodi ſtimuli aut a corporibus ſolidis, aut a fluidis.

Primo caſu poſito emergent

1. *Stereoticae.*

Quae ſubdiuiduntur in

a. *Exoticas* et b. *Inquilinas.*

1) Lieutaud l. c. Obſ. 540. ex Gemma.

1) Eph. Nat. Cur. Dec. III. A. III. Obſ. 83.

2) Bonet l. c. Obſ. 101. Rolfinckius de dolore capitis p. 106.

3) Bonet l. c. Obſ. 95.

4) ibid. Obſ. 94.

5) Lieutaud l. c. p. 285. ex Sleuogtio. Schenck a Grafenberg Obſ. Med. Lib. I. Obſ. 36.

6) Morgagni l. c. Epiſt. 1.

§. XII.

Ad *Exoticas* refero eas,

α. quae *ex globulis plumbeis in cranio relictis* ortae sunt [1]) vel ex *laminis cultri* [2]), *frustulo styli* [3]) et ejusmodi pronatae sunt.

Hae species per anamnesin dignoscuntur; Therapia non datur nisi chirurgica.

§. XIII.

Porro referre huc liceat

β. *Mercurialem.*

Eam nempe, quae ex mercurio in cranio collecto orta legitur: quamuis mercurius inter corpora solida numerari nequeat.

Ejusmodi obseruationes reperio apud Bonetum [1]). et Lieutaud [2]).

Ad eruendam hanc speciem facit anamnesis multi hydrargyri inuncti, diuturnitas mali, et doloris constantia et locus fixus.

Hoc autem non nisi in cariosis craniis facile accidere arbitramur.

Vsus balneorum calidorum apud hasce indicatur.

§. XIV.

Sequitur jam

γ. *Zoica.*

Scilicet plures obseruationes docuere, animalcula viua, varia hospitasse intra cranium, et maxime in sinubus frontalibus, vtpote quorsum et ipsa insecta et ouula facilius penetrare possunt. Ita secundum Burserium [1]) flores ejusmodi ouulis nonnunquam obsessi sunt, e quibus incaute olfaciendo in nares attrahi, ibique excludi possunt. Dein et animalia alius generis, et taenia hydatis ibidem reperta sunt, praecipue quidem in ouibus aliisque brutis, quorum genesis si non aequiuoca et ambigua est, saltem nos judicium ambiguum fouere jubet, an eorum semina in et cum nostris humoribus circulare, hic ibiue deponi et excludi possint. In plerisque autem casibus laruae, non vermes prodiere, vel et insecta perfecta vt scolopendrae [2]), *Vermes* potius ex ventriculo ascendisse, suspicatur Morgagni [3]).

Signa hujus speciei sunt: Facies cephalalgiae erit Hemicrania, dolor nempe fixus, atrox, diuturnus, inprimis orbitam oculi superius occupans, vel et radicem nasi vexans. Junguntur sternutatio, siccitas narium, pruritus, odor foetidus ex naribus et ore, vertigo, spasmus palpebrae, sensus rosionis, titillationis, formicationis, a solis radiis exacerbandus.

Exempla

1) Martini 1. *Duzend Beobachtungen das Hirn betreffend.*

2) Zacut. Lusitanus Praxeos admir. Lib. 1. Obs. 5.

3) Rhodius Cent. 1. Obs. 32.

1) l. c. Obs. 114.

2) l. c. Obs. 558—562. ex Castello Rhenodeo, Sachsco et Zwingero:

1) Instit. med. pract. T. III. Cap. I. §. 7.

2) Morgagni l. c. Epist. 1.

3) b. ibid. artic. 9.

Exempla hoc illuſtrantia plura ſint: Praeter ea, quae cephalalgiam a vermibus extra cranium ſub cute in vertice nidulantibus [4], quae dolorem pruriginoſum a pediculorum caterua ſub pericranio et inter cranii diploën latitante ortum docuere [5], ſunt, vbi vermes per nares excreti cephalaeae indolem demum manifeſtarunt [6].

MORGAGNI [7] puellae mentionem facit, cujus pituitarii ſinus vermibus omnes erant repleti.

Et AVICENNA [8] capitis dolorem ſecundum Indorum medicorum ſententiam ex vermibus, in cerebro natis excitari ſolere perhibet.

BARTHOLINUS [9] narrat de foemina ruſtica, quae cum per multum tempus diros capitis dolores ſenſiſſet, iique tandem adeo increuiſſent, vt inſtar maniacae hinc inde diſcurreret, adiit Paſtorem pagi Neukirchen, famoſum tunc inter ruſticos medicinae Practicum, magnis clamoribus opem implorans. Is ſtatim conſuetum ſibi in cephalalgiis ptarmicum miſerculae adhibuit, quo caput vehementer concuſſum vna infauſtum hoſpitem loco mouit, eque naribus exire compulit; quo facto immanis capitis dolor ſtatim conquieuit. Hoſpes autem iſte erat vermis digiti medii longitudinis.

VICTOR TRINCAVELLIUS [10] et MARCELLUS DONATUS [11] narrant de verme coloris obſcurioris per naſum ejecto, longitudinis quatuor fere digitorum, qui vtrinque ſecundum longitudinem quosdam tenues et breues pedes habebat.

Cephalalgiam a vermibus vel laruis muſcarum intra ſinum latitantibus habet ROLFINCKIUS [12].

Profundius in cerebro intra ipſum cranium pariter ejusmodi animalcula dolores creantia reperta dicuntur:

Sic in ſinu longitudinali vermes deprehenſi memorantur [13].

Ex verme in anfractibus cerebri latitante habet BONET [14].

Nec non a verme inter caluariam et piam matrem latente [15].

Dein et in profundiſſimis cerebri hujusmodi reperta ſunt; ita THOMAS BARTHOLINUS [16] cephalaeam habet a verme nigra tunica inuoluto, quae cerebri ſubſtantiam a dextro latere ſejungebat.

Narrant quoque de ſcorpionibus in cerebro, vt GESNERUS [17], nec non HOLLERIUS [18] et BONETUS [19], quos autem ridet MORGAGNI [20].

4) Acta Erud. Lipſ. A. 1703. p. 267.

5) BONET l. c. obſ. 115. MARCELLUS DONATUS Hiſt. memorab. Lib. 1. c. 3.

6) Eph. Nat. Cur. Dec. I. A. II. obſ. 147. A. IX. et X. obſ. 50. Dec. II. A. I. obſ. 99. A. V. in appendice p. 25 et 63. WOHLFAHRT obſeru. de vermibus per nares excretis. ZACUT. LUSITAN. praxis admiranda Lib. I. obſ. 7. SALZMANN Diſſ. de verme ex naribus excuſſo. TULPIUS L. IV. obſ. 12. Plura ejusmodi teſtimonia collegit quoque CLERICUS in Hiſtoria latorum lumbricorum, c. 13. p. 295. ff.

7) l. c. Epiſt. 1.

8) CANONIS Lib. III. Fen. I. tract. 2. cap. 3. 7. 31.

9) Epiſt. med. Cent. II. Epiſt. 74.

10) De curandis affectibus L. IX. Cap. XI.

11) l. c. pag. 485.

12) De capitis dolore.

13) Hiſt. de l'acad. des ſciences de Paris 1733. LIEUTAUD l. c. obſ. 539.

14) l. c. Obſ. 116.

15) Ibid. Obſ. 118.

16) Hiſt. Anat. Cent. I. Hiſt. 64.

17) Libro quinto de ſcorpione.

18) De morbis internis Lib. I. Cap. 1.

19) l. c. Obſ. 121.

20) Ep. an. I. art. 8 et 9.

Quod therapiam attinet, ea vix, nisi cum animalcula in sinubus pituitariis haerent, succedet. His in casibus spirituosa, amara, oleosa, forte et vapor mercurialis, solutiones mercuriales in nares attracta vel injecta prodesse poterunt, vel et simplicia sternutatoria felicem quandoque effectum praestare poterunt. Quod autem profundius latitantia Zoa attinet, ea, cum nec satis certo dignosci, nec satis commode eximi possint, nulla contra ea therapia locum inueniet. Quod enim de trepano aliqui v. c. MOGAGNI [21]) proponunt, id exequi felici cum successu non dabitur.

§. XV.

EXOTICIS his pressionibus et irritationibus subjungo jam

b. *Inquilinas*

Siue eas, quae sine concursu corporum peregrinorum eueniunt.
Inter has cephalalgias primum obtinet locum

α. Suturalis.

Praetereo eas, quae a suturis nimis arctis et concretis vel obliteratis quidam generatas fuisse contendunt [1]), eas modo puto, quae ex suturis praeternaturaliter dehiscentibus oriri perhibentur.

Mirum est, jam apud HIPPOCRATEM vestigia hujus rei occurrere, et PAULUS AEGINETA [2]) cerebrum inflammatum ita intumescere ait, vt capitis suturae distendantur. Idem habet AETIUS [3]).

BOOTIUS [4]) hanc speciem in Hibernia saepius occurrere ait, et agricolas in compressione auxilium quaerere. Similes obseruationes prostant in EPHEMERIDIBUS NATURAE CURIOSORUM [5]) apud SCHENCKIUM [6]), HAGENDORNIUM [7]), FABRICIUM HILDANUM [8]), BONETUM [9]) in Actis Erudit. Lipf. [10]) apud STALPARTIUM VAN DER WIEL [11]) et THOMAM BARTHOLINUM [12]).

Etiam nostris in regionibus vulgus cephalaearum originem huic caussae frequenter tribuere solet, vnde et filo caput circumdant, mensuraturi, an id volumen majus nactum sit. Et certe, si quae huic rei veritas inest, de quo autem, nisi in casibus violentis et in hydrocephalo valde dubitamus, sola mensuratio diagnosin hujus speciei praebebit, et Therapia ad compressionem reducetur.

§. XVI.

21) l. c. Epist. 1.

1) Acta Erud. Lipf. A. 1700. mense August. PLATER obseru. med. Lib. II. p. 503. BONET l. c. Obs. 83 et 90. LIEUTAUD l. c. Lib. IV. Obs. 8. 9 et 11.

2) De re medica. Lib. III. cap. 7.

3) Tetrabiblion II. Serm. II. cap. 25.

4) De affectibus omissis.

5) Dec. I. A. II. obs. 247. Dec. II. A. IV. obs. 142. Cent. X. obs. 31.

6) Obs. 1. obs. 80. ex JOUBERTO.

7) Cent. I. Hist. 40.

8) Obs. Cent. II. obs. 7. et Cent. I. obs. 1.

9) l. c. obs. 92.

10) A. 1723. mense April. pag. 138.

11) Obseru. rariorum Cent. I. obs. 1.

12) Cent. V. Hist. 92.

§. XVI.

Sequitur jam

β. Oncothliptica.

Tumores quicunque, partes sensiles prementes vel irritantes hanc speciem ciere valent, multaeque ejus prostant obseruationes.

Cephalalgiam natam legimus a fungosa caruncula sub cranio, qua detersa liberatus a malo aeger integre fuit [1]).

Ex tumore et eleuatione durae meningis [2]).

Ex tumore juxta processum mammillarem [3]).

Ex gummatibus et tumoribus scirrhosis, meninges obsidentibus [4]).

A tumore globoso in cerebro, aqua multa per id diffusa [5]).

Periit aeger in hemicrania chronica ex tumore cystico ouum columbinum aequante, supra sellam turcicam, et neruum opticum, sito, in exenteratione reperto [6]).

Similes obseruationes habet LIEUTAUD [7]).

Dolor fixus et atrox, nullis remediis cedens, indicationem trepani legitimare potest, praesertim cum sciamus, ejus solam applicationem nonnunquam auxilium tulisse, etiam cum nil singulare sub apertura deprehensum fuit [8]).

§. XVII.

Deinde datur et

γ. Lithiastica.

Vbi concrementa lapidea in variis capitis partibus reperta sunt.

Exempla huc pertinentia sunt sequentia:

A lapide, membrana incluso [1]).

Porro lapides viderunt BRASSAVOLUS [2]), THOMAS a VEIGA [3]), HOLLERIUS [4]).

Dolor capitis desinens post ejectionem calculi per palatum [5]).

Cephalalgia acutissima ex materie quadam lapidea crassae meningi adnata et spiculis suis tenuem membranam cerebri perfodiente [6]).

In sinistro latere continua et chronica, a lapillo intra duram et piam matrem abscondita [7]).

Ex lapide in neruis opticis [8])

Calculus

1) SEVERINUS de efficaci medicina. P. II. pag. 126.

2) BONET l. c. obs. 70. WEPFERUS de apoplexia obs. 15.

3) Ibid. obs. 61.

4) Ibid. obs. 48. et 83.

5) WILLISIUS tract. de anima brutorum Cap. III. p. 281.

6) STOLL rat. med. T. I. p. 285.

7) l. c. Lib. III. obs. 194 et 98 et 208.

8) SEVERINUS l. c.

1) BONET l. c. Obs. 109.

2) in Commentar. ad aphorism. 79. lib. 4. Hippocr.

3) Referente ANDR. LUCUNA Commentar. ad cap. 5. lib. 4. de loc. affect. GALENI.

4) in Append. lib. propr. Obs. 5.

5) BONET l. c. Obs. 112. Th. BARTHOLINUS Hist. 33. Cent. 1.

6) CATTIERI Obs. 15.

7) Eph. Nat. Cur. Dec. 1. A. VIII. Obs. 48.

8) BLEGNY Zod. gall. A. 1679. mense April. Obs. 3.

Calculus in cerebro ciuis cujusdam Lipsiensis natus, forma et magnitudine mori, intolerabilem et pertinacem capitis dolorem et tandem etiam mortem inferens 9).

A lapide circa cerebri basin compresso, thaleri nummi instar, sed non omnino rotundus, cineritio colore, qui os cuneiforme et olfactus meatus plane impediebat 10).

Ex lapide in ventriculo dextro, colore albo, qui grana pendebat tredecim 11).

A calculo pinealis glandulae 12).

Quod glandulam pinealem attinet, in ea sabulum quoddam admodum frequens est, vt illud pro naturali haberi velit celeberrimus SOEMMERING, Professor jam MOGUNTINUS, qui Excellentissimo Domino Praesidi contestatus est, se in triginta septem cadaueribus consecutiue sectis sabulum illud ordine non interrupto deprehendisse, illudque praemonstrauit. Erat arena ista pulueris instar, quem pharmacopaei vocant finissimi.

Calculi autem majores omnino pro praeternaturalibus creandisque doloribus aptis haberi debent.

Signa eorum praecise pathognomonica non dantur, vti et eorum Therapia fere nulla est.

§. XVIII.

Inter inquilinas porro pertinet

δ. *Polyposa.*

Vbi nimirum polypi vel concrementa polyposa caput occupant, ipsumque nonnunquam cerebrum irritant et turbant.

Singulare hujus rei exemplum habent SCHMALZ 1).

Similia habent MORGAGNI 2), Eph. Nat. cur. 3) nec non BURSERIUS 4).

De hujus signis et Therapia fere nil constat.

§. XIX.

Ejusdem census est

ε. *Hydatidosa.*

Prout in omnibus et singulis corporis partibus hydatides oriri possunt, ita et in capite, ipsoque cerebro.

Fatendum autem, Obseruatores nonnunquam taeniam hydatidem erronee pro veris hydatidibus habuisse. Reperimus Cephalalgiam ex hydatidibus circa temporales arterias 1).

Ab hydatidibus in plexu chorioideo 2).

Exhibebunt illae dolorem fixum, praeterea autem incerta erit earum et diagnosis et therapia.

§. XX.

9) KENTMANNUS in libell. de calculis.
10) LIEUTAUD l. c. Obs. 549.
11) ibid. Obs. 550.
12) HALLER Elem. Physiol. T. IV. Lib. X. Sect. VII. §. XX.
1) *Chirurgische und medicinische Beobacht.* n. 33.
2) l. c. Epist. 1. Artic. 11.
3) Dec. 1. A. IX. et X. Obs. 25.
4) Institut. med. pract. Vol. III. Cap. I. §. 5.
1) BONET l. c. Obs. 62.
2) LIEUTAUD l. c. Lib. III. Obs. 165.

§. XX.

Sequuntur

ζ. *E c p h y m a t i c a e.*

Et quidem

a. *O s t e o p h y m a t i c a.*

Obseruatae quippe sunt modo exostoses internae [1]), cerebrum, neruosque prementes et distendentes, modo etiam majori adhuc stimulo pollentes excrescentiae acutae, nec non aliae partium natura mollium offesscentiae, quae jam mechanice irritando, jam circulum turbando dolores fixos, atroces, chronicos produxere.

Ejusmodi pluries deprehensa sunt apud epilepticos et maniacos, nonnunquam autem Cephalaeam tantummodo excitarunt:

Ita cephalalgiam ab ossiculo duram matrem pungente habet Bonet [2]) et Osiander [3]).

Hemicraniam ob carotidem intra cranium ossificatam [4]).

Ex tumore osseo in osse bregmatis cum mira meningum crassitie [5]).

b. *Sarcophymatica et verrucosa.*

Conuenit haec cum Oncothliptica.

Reperimus verrucas durae matris et Cephalalgiam inde pendentem in Ephem. Nat. Curios. [6]).

§. XXI.

Porro datur

η. *S y m p h y t i c a.*

Cephalalgiam a membranarum coalitu habent Bonet [1]) et Wepfer [2]).

§. XXII.

Denique et

ϑ. *O s t e o c l a s t i c a.*

Quatenus nempe fracturae in ossibus cranii cerebri substantiam non destruxere, verum tamen premunt et irritant.

Signa erunt modo euidentia, modo autem, cum externe nulla fracturae vestigia apparent, ex anamnesi petenda erunt.

Trepanum aliaque auxilia chirurgica huic speciei mederi possunt.

§. XXIII.

Quemadmodum euidens pressio et stimulus e corporibus solidis redundare potuit, ita et partes fluidae vel humores simile quid exserere possunt.

Hinc

1) Burserius l. c. §. 4.

2) l. c. Obs. 57.

3) *Beobacht. über Krankheiten der Frauenzimmer und Kinder. Beobacht.* III. pag. 135. not.

4) Bonet l. c. Obs. 87.

5) Eph. Nat. Cur. Dec. III. A. IX. Obs. 253.

6) Cent. I. Obs. 69.

1) l. c. Obs. 83, 72 et 64.

2) De apoplexia p. 430.

Hinc sequuntur jam Cephalalgiae *thlipticae et erethisticae*

2. *Humorales.*

Ex harum ordine primum sunt

a. *Sanguineae.*

Vbi scilicet sanguis, siue in vasis suis adhuc contentus, ea vero supra modum distendens, siue extrauasatus, partes vicinas et subjacentes premit et stimulat.

α. *Inflammatoria.*

Quamuis haec species, vt symptoma inflammationis considerari potest, adeoque nos eam sicco pede praeterire possumus, tamen aliqua de ea differemus.

Obseruationes huc facientes reperio apud BLANCARDUM [1]), qui in Cephalalgia demortuis vasa sanguifera per meninges transeuntia, valde sanguine turgida reperiit, meninges erant inflammatae, e cauitate sanguinis vnciae octo effluxerunt, cerebrum humore limpido humectatum fuit, et ventriculi cerebri simili liquamine oppleti erant, reliqua cerebri substantia valde molli existente. Apud BONETUM [2]) a grumo sanguinis, corpus striatum et corpus callosum comprimente, et sanguine in ventriculum anteriorem congesto, vt et frontis dolorem aestuosum a cerebri et membranarum dispositione inflammatoria apud BRASSAVOLUM [3]).

HIPPOCRATES [4]) sine dubio eam subintellexit per πληρωμα οδυνωδες εγκεφαλε.

Signa ejus erunt dolor immanis, febris, pulsus plenus, saepe durus, oculorum rubor, seu, vt CAELIUS AURELIANUS [5]) ait, oculorum sanguinolentia, turgor, agrypnia, agitatio continua, carphologia [6]) et plerumque delirium furiosum, nonnunquam etiam stupor et sopor et debilitas accedunt, aegri caput manibus petunt, illudque fricant, visum attentum vel frequenter palpeprantem annotante eodem [7]). Concurrunt reliqua signa narrhopiae humorum.

Periculosae hujus speciei sedes est modo in meningibus, modo, vt jam PAULUS AEGINETA [8]) agnouit, in ipso cerebro.

Caussas multiplices jam violentas jam alias allegare hujus loci non est.

Notamus tantummodo, in ea opus esse therapia efficacissima antiphlogistica, qualem etiam Veteres instituerunt, vt videre est apud HIPPOCRATEM [9]), ARETAEUM [10]), CAELIUM AURELIANUM [11]), AETIUM [12]), ACTUARIUM [13]) aliosque. Veteres nimirum in copiosis sanguinis detractionibus, quas modo per sectiones venarum in extremitatibus, frontalium, jugularium, sublingualium instituerunt, quibus tamen ASCLEPIADES et SORANUS contradicebant [14]), salutem quaesiuerunt, modo in vberrimis scarifica-

1) Anat. pract. Cent. I. Obs. 3.
2) l. c. Obs. 66. GREG. HORSTIUS T. 2. l. 2. Obs. 1.
3) Comm. ad aphor. 51. Lib. 7. HIPPOCR. Aphor. 10. 6.
4) περι νȣσων Lib. III. Edit. FOESIANAE pag. 488. lin. 11.
5) Acut. Morb. Lib. I. pag. 8.
6) ibid. pag. 10.
7) l. c. pag. 12.
8) l. c. Lib. III. cap. 6.
9) l. c.
10) De morborum chronicorum curatione Lib. 1. cap. 2.
11) l. c.
12) Tetrabiblion II. Sect. II. Cap. II.
13) Lib. IV. cap. 11.
14) CAELIUS AURELIANUS l. c. p. 40. 43. 46.

ſcarificationibus, in nucha et dorſo inſtitutis, nec non ſecundum PAULUM, ARETAEUM, et CAELIUM AURELIANUM [15]) in ipſo capite celebrandis. Ita POSIDONIUS [16]) ex occipitio ad librae menſuram ſanguinem detrahi juſſit; Etiam hirudines ſub ipſa fronte applicarunt, quam operationem ad deplenda capitis vaſa etiam Neoterici perutilem deprehenderunt. ARETAEUS [17]) haemorrhagiam narium arte procurandam ſuaſit, vt taceam de clysmatibus, purgantibus, balneis et vnctionibus, ligaturis pedum, applicatione narcoticorum externa. Notabo tantum, jam Veteres vſum epithematum frigidorum in hisce caſibus perbelle nouiſſe: ita enim HIPPOCRATES [18]), cum de tumore cerebri inflammatorio agit, jubet: ὁκοταν ὁ ἐγκεφαλος, οἰδηση ὑπο φλεγμασιης, ὀδυνη ἰσχει ἁπασαν την κεφαλην· μαλιϛα δε, ὁπη ϛαιη ἡ φλεγμασιη. — Χρη δε ὁκοταν περιωδυνεῃ, ψυχειν την κεφαλην, μαλιϛα μεν ξυραντα, ἡ ἐς κυϛιν ἡ ἐς ἐντερα ἐγχεαντα των ψυκτικων τι. οἷον χυλον ϛρυχνȣ καὶ γην κεραμιτιδα· το μεν προϛιθεναι, το δε ἀφαιρεειν πριν ἡ χλιαρον γενηται. Et ARETAEUS [19]) irrigationem capitis ad curationem phreniticorum requirit, rarius quidem in incremento, omnium vero frequentiſſime vigente morbo, cum maxime inſaniunt, tum maxime irrigandum eſſe *humore frigido*. Ipſam arteriotomiam vtilem hic fore aſſeuerari poteſt, quale exemplum habet PARAEUS [20]).

§. XXIV.

Tranſimus jam ad

β. *P l e t h o r i c a m.*

Licet plethora per ſe raro cephalalgiam cauſetur: tamen accedente quouis orgasmo et leui congeſtione plethorici eo facilius et certius hos dolores incurrent, quod jam HIPPOCRATES [1]) agnouiſſe videtur, cum ait: Πονοι δε της κεφαλης ἁμα τω πυρετῳ γιγνονται δια τοδε· ϛενοχωριη τῃσι διεξοδοισιν ἐν τῃ κεφαλῃ τȣ αἱματος γινεται, πεπληρωνται γαρ ἠερος· πλησθεισαι δε και πρηϛεισαι τον πονον ἐμποιεȣσιν ἐν τῃ κεφαλῃ. βιῃ γαρ το αἱμα βιαζομενον, δια ϛενης ὁδȣ, θερμον ἐον, ȣ̓ δυναται περαιȣσθαι ταχεως. —

Ex ſanguinis abundantia cephalalgiam habet FORESTUS [2]).

Ex intermiſſa venae ſectione LENTILIUS [3]).

Signa ejus erunt fere eadem, quae *inflammatoriae*, niſi quod gradu multo mitiori aderunt.

Pari modo ejus Therapia erit eadem, niſi quod in leuioribus remediis, nonnunquam meris temperantibus, lenibusque anodynis ſubſiſtere, aegrumque liberare poterimus.

 Exempla

15) l. c.

16) apud CAELIUM AURELIANUM l. c. pag. 31.

17) l. c.

18) L. c. pag. 488. lin. 4.

19) De morborum acutorum curatione Lib. I. cap. 2.

20) L. XVI. c. 4.

1) περι φυσων edit. Foeſiana pag. 298. lin. 31.

2) L. IX. de variis capitis doloribus.

3) Miſcell. med. p. 193.

Exempla sublatae per sanguinis detractiones cephalalgiae sunt vulgaria. Allegamus tamen sanatam per venae sectionem in cantho oculorum [4]).

Sectionem venarum jugularium in cephalaea vtilissimum praedicant Thomas Bartholinus [5]) et Willisius [6]).

Sublata fuit per sectionem venae frontalis [7]).

Etiam hirudines temporibus vel post aures applicitae eam sanauerunt [8]).

Per arteriotomiam hemicraniam desperatam sublatam habet Paraeus [9]).

Huc trahendae quoque sanationes per vulnerationes capitis [10]).

§. XXV.

De

γ. *Orgastica*

Similia fere praedicanda sunt: cum nempe sanguis quantitate quidem non peccans, nimis tamen expansus vasa distendit.

Signa petuntur ex antegestis. Producitur scilicet a nimio corporis motu, abusu spirituosorum, calefactione capitis, ex igne, sole [1]), integumentis calidioribus.

Haec etiam sine venae sectione, temperantibus et sedantibus tractanda est, et nonnunquam

pulueris exigui jactu compressa quiescit.

§. XXVI.

Eundem adhuc specierum ordinem ingrediuntur

δ. *Symphoreticae.*

Vbi nimirum sanguis per motus spasmodicos partium remotarum, vasorum, aliarumque, in vasa capitis determinatur.

Inter has occurrunt

α. *Ethica*

Siue *consuetudinalis*, quae modo in dispositione haereditaria, modo in aetatis ratione, modo in idiosyncrasia, modo in aliis statibus morbosis suum habet fundamentum.

Concurrent in hac, vti in omnibus congestoriis, signa anarrhopiae, frigus nempe extremorum, venae ibidem collapsae, turgor et rubor contra faciei, oculorum et vasorum capitis visibilium.

Therapia huic conueniens erit deriuans atque reuellens, adeoque conducent laxantia, clysmata, pediluuia, sinapismi, aliaque erethistica remotis partibus applicata, nec non, quo motus spasmodici sopiantur, subinde aliquid opii.

b. *Epischeti-*

4) Zac. Lusitanus prax. adm. Lib. I. Obs. 4.

5) Epist. Cent. I Epist. 80.

6) Pharmaceuticae rationalis Pars II. pag. 395.

7) Zac. Lusitanus l. c. Obs. 10.

8) Ibid. Obs. 9. Eph. Nat. Cur. Dec. I. A. VI. Obs. 9.

9) Lib. XVI. Cap. 4.

10) Fabricius Hildan. Obs. C. II. 8.

1) Forestus Lib. IX. Obs. I. et II.

b. *Epischeticae*

Et primo quidem

1. *Haemorrhoidalis*

Strictius sic appellanda, cum quis euidentibus moliminibus haemorrhoidalibus vel et ipsa haemorrhoide jam laborauit, quibus cessantibus congestio jam mutatur et ad caput vertitur. *Latiori* sensu omnes congestoriae haemorrhoidales vocari possent, si quidem id subintelligere velis, quod cephalalgia cessatura sit, si haemorrhoides appariturae essent.

Signa itaque hic iterum sunt anamnestica, et Therapia aut in restitutione haemorrhoidum, aut in imminutione massae sanguineae et placatione motuum quaerenda erit.

Memorabilis est obseruatio Fabricii Hildani [1]) de aegro, grauissima et inueterata hemicrania laborante, cui incassum arteriae temporales incisae, setaceum nuchae affixum, aliaque permulta remedia adhibita fuerant. Huic vberrimus sanguinis secessus per aluum, iteratis vicibus contingens pertinax malum sustulit.

Ejusdem census est

2. *Menostatica*

Quae et quoad diagnosin et quoad therapiam priori analoga est.

Exempla hujus prostant in Eph. Nat. Cur. [2]) apud Frid. Hoffmann [3]), Forestum [4]), Stollium [5]), Tissotum [6]).

Huic annecti potest

3. *Cyetica*

In qua et menostasia et impeditus circuitus per vasa abdominalia concurrunt.

Hinc etiam grauidae subinde et temperantibus et venae sectionibus opus habent.

Porro huc spectat

4. *Ischepistactica*

Quae saepe occurrit, et ceterum cum ethica conuenit.

In haemorrhagiam narium terminatam legimus in Eph. Nat. Cur. [7]) quae quidem quotidiana est.

Therapia temperans, reuellens, ipsaque epistaxeos restitutio huc facit, quam Aretaeus vario modo procurare jubet, cum [8]) ita habet: „Sanguis e nasi interioribus detrahatur: intro enim praelongum instrumentum immittitur, quod *Catejadion* vocant, aut illud, cui *Storine* nomen est; aut si quis horum copiam non habuerit, pennae anserinae caulem crassiorem sumere debet, ejusque neruosam partem denticulatim

Qq 3 instar

1) Obs. C. II. 9.
2) Dec. II. A. VI. obs. 69.
3) Oper. T. I. pag. 341.
4) Lib. 9. obs. 41.
5) Rat. med. T. I. p. 258.
6) *Von Nervenkrankheiten, Theil* IV. *Seite* 98.
7) Cent. III. obs. 154.
8) Diut. morb. curat. L. I. c. 2. p. 251. de curatione cephalaeae.

instar serrae incidere, atque sic in narem vsque ad ossa, quae ob cribri seu colatorii similitudinem *Etmoide* vocantur, immittere: deinde vtraque manu agitare, quo locus a dentibus insculpatur, ac vulneretur. Facilis est autem ac copiosus sanguinis cursus: nam graciles venae hic desinunt, corporaque hac in parte mollia sunt, et sectioni habilia, verum, et multos nares vulnerandi modos vulgus nouit, herbas scilicet asperas, et arida lauri folia naribus imponentes, aut digitis eas fortiter agitantes, cum vero quantum satis sit, euacuaueris, quod erit heminae dimidium: coercendus sanguis est spongiis, et posca, aut aliquod aridum, quod sistendi sanguinis vim habeat, naribus inspirandum, galla aut scissile alumen, aut balaustium." Quibus addit SAGAR 9) stramen siccum abruptum vel capsulam ranunculi pratensis in nares immittendam.

5. *Psychica*

Obseruationes habent Eph. Nat. Cur. 10) et WEPFERUS 11).

Haec plerumque transit in catarrhum, et emollientibus ac regimine leniter diaphoretica tractanda est.

Denique occurrit et

6. *Styptica.*

Vulgaris est obseruatio, stypsin siue alui constipationem cum omni humorum anarrhopia concurrere solere, hancque solam quandoque cephalalgiam caussari.

Ejus diagnosis per se patet.

Therapiam perficient clysmata et laxantia antiphlogistica.

Inter symphoreticas ex parte saltem quoque numerari potest

c. *Agrypnica* 12).

Vigiliae, quacunque ex caussa, nimis diu protractae, motus in encephalo supponunt et cient enormes, vnde humores in vasa congeruntur, totumque cerebrum calet, altera quidem ex parte haec cephalalgia inter neuricas ordinanda est.

Inter auxilia huic speciei accommodanda praeter antiphlogistica et temperantia eminebunt epithemata frigida capiti applicanda.

d. *Colytica.*

Nec omitti plane debet *Colytica*, vbi circuitui sanguinis ejusmodi obstacula objiciuntur, vt is expedite e capite redire nequeat; Id fit in omni dyspnoea, in tussi, vbi concussio simul agit, denique in omnibus morbis angustiae vasorum, liberum sanguinis iter praepedientibus, et efficientibus, vt is in vasis cerebri coaceruetur. Symptomaticae hae species sequuntur morbum principem.

§. XXVII.

Ad sanguineas pertinet etiam

ε. *Pachyaemica.*

Sanguis enim tenax et spissus impedito transitu per cerebri vasa non poterit non subinde ea expandere et sic pressionem efficere.

Distingui-

9) Systema morbor. symptom. I. p. 444.
10) Dec. III. A. IX. et X. Obs. 153.
11) l. c. Obs. 46.
12) Acta Nat. cur. T. IV. Obs. 137.

Distinguimus hanc in

a. *Atrabilariam* et b. *Pituitosam.*

Prior ex habitu corporis sicco, temperamento melancholico, excretionibus impeditis et ejusmodi noscitur.

Haecce poscit correctionem vniuersalem hujus spissitudinis, petendam ex diluentibus, salinis, mucilaginosis, acidis vegetabilibus et acido - dulcibus.

Posterior vero sese prodet per halitum cachecticum: pallorem et reliqua dominantis pituitae signa.

Indicantur hic resoluentia potentiora, stimulantia, purgantia et demum tonica.

§. XXVIII.

Alius naturae est

b. *Serosa.*

Cum scilicet humor serosus extra vasa stagnans cerebrum siue in superficie siue in profundis premit et irritat.

Praeter alia symptomata soporem, strabismum etc. quae Whyttius [1] in descriptione hydrocephali interni adeo graphice depinxit, ex hoc statu etiam dolores obortos fuisse testantur praeter modo citatum Obseruatores plurimi: ita reperimus cephalalgiam periodicam et pertinacem ex hydrope cerebri [2].

Chronicotaton, vtpote per annos viginti quinque in femina durantem hujusmodi dolorem, in cujus capite magna aquae limpidae quantitas haerebat, simulque arteriae carotides induratae erant, inuenimus iterum in Eph. Nat. Cur. [3].

Signa characteristica erunt partim anamnestica, vt catarrhorum habitualium cessatio, capitis inflammationes olim praegressae, partim eadem, quae Hydrocephali interni.

Errhina et vesicatoria nonnunquam profuisse testantur obseruationes [4], et in recenter natis doloribus ex suppresso catarrho omnino ad rhombum esse videntur. Dein purgantia, diuretica et diaphoretica pariter indicantur. His omnibus tamen secundum recentiores obseruationes palmam praeripit saliuatio, ope mercurii, praesertim dulcis instituta. An et applicatio trepani quandoque suadendum sit secundum exemplum a Weppero propositum [5], generaliter affirmare non audemus, eamque non nisi in dolore fixo et magis superficiali tentandam esse censemus.

§. XXIX.

Cum simplex aquarum coaceruatio cephalalgiam producere valuerit, eo magis effectum hunc edent

c. *Acres*

1) *Sämtliche Schriften Seite 662.*

2) Eph. Nat. Cur. Cent. III. Obs. XIV. Dec. I. A. I. Obs. 69. Dec. II. A. X. Obs. 3. Dec. III. A. V. et VI. Obs. 81. Wepfer l. c. Obs. 34. Bonet l. c. Obs. 17, 29. Lieutaud l. c. Lib. III. Obs. 411.

3) Dec. I. A. I. Obs. 127.

4) Bonet l. c. Obs. 18.

5) l. c. Obs. 18.

c. *Acres*

humores, cujuscunque naturae ſint, ſiue vniuerſaliter dominantes ſiue metaſtatice huc delati, partes itaque hasce inundantes. Et ſectiones cadauerum haud raro has Species demonſtrauere.

Ex inſigni copia ſeri acris limpidiſſimi in cerebro reperti cephalalgiam legimus in Actis Nat. Cur. [1]) apud WEPFERUM [2]) et MORGAGNI [3]).

Suſpicio praeſentis ejusmodi ſeri acris enaſcetur ex concurrentibus ſignis acrimoniae, praeſertim muriaticae et ammoniacalis.

Therapia conueniet cum Speciei praecedentis.

§. XXX.

α. *Rhevmaticam*

huc pertinentem agnouerunt plerique autores, v. c. FRID. HOFFMANNUS [1]).

Conuenit haec, et ſaepiſſime coincidit cum pſyctica, quamuis et alii chronici et fixi rheumatismi doloribus pertinaciſſimis caput vexare poſſunt. Quemadmodum anamneſis hanc ſpeciem prodere ſolet, ita therapia in caſibus leuioribus conſiſtet in methodo emolliente et diapnoica, in grauioribus autem in vſum vocanda erunt veſicatoria, jam in ipſis regionibus dolentibus ſcopo reſoluendi, jam in remotioribus, reuellendi ergo poſitas, potentiora reſoluentia, diuretica, puluis ſic dictus *Doverianus*. Quodſi ſtimulus localis, vt dens carioſus rheumaticam materiem ad hasce partes determinet, ille omnino tollendus et eradicandus eſt.

§. XXXI.

Affinis eſt huicce

β. *Arthritica*

Siue humores in vniuerſum labe arthritica infecti ſint, ſiue haec ſpecialius per metaſtaſin ad caput delata ſit, vtroque caſu cephalaea oriri poterit.

Hic praelucent iterum ſigna anamneſtica, jubentque therapiam arthritidis inſtituere, vrgens autem ſymptoma maxime citam et potentem reuulſionem a parte dolente poſcet.

§. XXXII.

Sequitur

γ. *Herpetica* [1]).

Ex ſingularis hujus acrimoniae in caput determinatione, quae ex repulſo iſto exanthemate enaſci ſolet, cephalalgia omnino produci poteſt. Noſcetur haec ſpecies ex anamneſi, et Therapiam contra herpeticam materiam dirigendam eſſe per ſe patet, reuulſione tamen potenti quoque opus eſt.

§. XXXIII.

1) T. V. Obſ. 74.
2) l. c. Obſ. 48. et 49.
3) l. c. Epiſt. I.

1) T. II. Sect. II. Cap. 1.

1) POUPART *von den Flechten*. TISSOT *von den Nervenkrankheiten. Band III.* p. 201.

§. XXXIII.

Analoga huic est

δ. *Achorosa* [1]).

Tam in signis quam in Therapia. Restitutio achorum, quae ceterum tam facilis non est, cum irritantia ipsaeque cantharides capiti applicata eam non semper reproducant, omni tamen modo et emolliente, et irritante est tentanda.

§. XXXIV.

Sic et dabitur

ε. *Variolosa* [1]).

§. XXXV.

Nec non

ζ. *Trichomatica* [1]).

Aut praecedit dolor trichoma, aut illud repulsum sequitur.

Therapia itaque ad ipsum trichoma spectat, laudaturque in eo decoctum Lycopodii clauati tam interne quam externe adhibendum, sine dubio etiam antimonium hic cum fructu applicari posset.

§. XXXVI.

Et

η. *Scabiosa* [1]).

Considerandа, et tractanda, fere vt achorosa.

§. XXXVII.

Inter *acres* numeratur quoque

ϑ. *Scorbutica*,

Nomine quidem sine dubio haud semper stricte intelligendo.

Mentionem ejus faciunt Horstius [1]) aliique [2]).

In ipso autem scorbuto hosce dolores saepe occurrere mirum non est.

Concurrentia signa scorbuti ad diagnosin ejus faciunt.

Therapia mere antiscorbutica erit.

§. XXXVIII.

Occurrit quoque

ι. *Scrophulosa*,

Sic hemicraniam funestam cum scrophulis obseruauit Wepferus [1]).

Stagnantes quippe humores lymphatici etiam his in partibus vasorum emphraxin et inde oriundam irritationem caussari possunt.

§. XXXIX.

1) Lieutaud l. c. Obs. 158.

1) Eph. Nat. Cur. Dec. III. A. IV. Obs. 1.

1) Sennertus operum T. III. p. 849. Stabel de plica polonica Hist. 5. et 6.

1) Sauvages l. c. p. 54.

1) Operum P. II. L. II. Obs. 26.

1) Eph. Nat. Cur. Dec. II. A. V. Obs. 47. A. III. Obs. 196. A. X. Obs. 41. Bonet l. c. Additam. 2.

1) l. c. Obs. 60.

§. XXXIX.

Denique etiam

z. Syphiliticae

mentio facienda est.

Hujus testes exstant perplures, vt PETRUS FORESTUS [1]), THONERUS [2]), MANGETUS [3]), PLATERUS [4]), WEPFERUS [5]), FRIDER. HOFFMANNUS [6]), LIEUTAUD [7]), GMELIN [8]).

In hac specie patiuntur maxime et plerumque partes solidae et praecipue ossa, carie scilicet Syphilitica infestata, vt supra ad speciem eurodem annotauimus, vnde etiam dolores saepe circumscripti, fixi, pertinacissimi sunt. Possunt tamen et molles partes hac labe infectae dolere, inflammari, suppurari, erodi.

Consulimus hic signa anamnestica et concurrentia, priora difficiliora et obscuriora esse solent, cum plerumque aegri vix ac ne vix quidem eo perduci possint; vt fateantur, quid his in rebus cum ipsis actum sit.

Obseruationes docent, pertinacissimas cephalalgias ope mercurii sublatas esse [9]).

RHODIUS [10]) habet cephalalgiam a lue venerea fontis calidi stillicidio sedatam.

Nos in casibus recentioribus mercurium ejusque praeparata suffecturum esse censemus, in magis inueteratis autem potius antimonium, plantasque acres, v. c. Daphnen mezereum, Astragulum exscapum, Lobeliam syphiliticam, vel et Lacertas in vsum trahendas, statuimus.

§. XL.

Inter thlipticas et erethisticas locum habere quoque existimamus singularem speciem, quam

3. *Enaëream*

vocamus. Aër videlicet, cujuscunque originis vel speciei intra cranium latere, vel et vasis nonnunquam in bullas majores coactus contineri potest.

Nolumus quidem omnes eas obseruationes, vbi de inflatione cerebri, vaporibus vel flatibus piam matrem distendentibus, et ejusmodi huc trahere, persuasi, autores vt WEPFERUM [1]), WILLISIUM [2]), BONETUM [3]) ex hypothesi vel conjecturatione tantummodo sic statuisse. Videntur tamen illae obseruationes ex parte huc pertinere, vbi trepanum in atrocissimis cephalaeis adhibitum eam sustulit, et si nil singulare in meningibus vel cerebro inuentum fuit. Memorabile est, ARETAEUM [4]) jam hujus praxeos ad curationem cephalaeae mentionem fecisse, cum dicit: „Nonnulli super frontem ea in parte, vbi sutura est, quae corona dicitur, cutem osse tenus inciderunt, illud aut

exterentes

1) Lib. IX. Obs. 53.
2) Obs. Lib. II. Obs. 4.
3) Bibl. pract. T. I.
4) Obs. Lib. I. p. 343.
5) l. c. Obs. 59.
6) T. II. Sect. II. Cap. 1.
7) l. c. Lib. III. Obs. 154.
8) Noua Acta Nat. Cur. Tom. VI. App. pag. 394.
9) Eph. Nat. Cur. Dec. III. A. IX. et X. Obs. 188.
10) l. c.
1) l. c. Obs. 40.
2) Anatome cerebri cap. 8.
3) l. c. Obs. 39.
4) Diuturnorum morborum Lib. I. cap. 2.

exterentes aut excidentes vsque ad meditullium (quam graeci Diploen nominant) ad carnis repletionem perduxerunt. Alii et ossa ad membranam vsque perforarunt."

§. XLI.

Denique adhuc ad erethisticas refero

4. *Toxicam.*

Venena halituosa praesertim huc pertinent.

Hinc odor conii maculati recentis et similium, odor sulphuris accensi [1]), vapores carbonum, multi foetores et in genere aër phlogisticatus, nec non quandoque herbarum et florum odoratorum, vt cyani moschati, basilici hortensis [2]), ranunculi hortensis [3]), aliorumque, prout quotidiana fert obseruatio, cephalalgiam caussari possunt, nec minus vapores metallici, praesertim saturnini, eundem effectum praestant. Plura quidem venena alius generis etiam per consensum capitis dolorem caussantur.

Istis quidem medetur aër renouatus, et multis in casibus alcali fluor.

§. XLII.

Inter cephalalgias idiopathicas pertinent porro

E. *Neuricae*

Vbi systema neruosum absque stimulo crassiori patitur.

Inter has refero

1. *Spudasticam.*

Prouerbium habemus: *Viel Wissen macht Kopfweh.* Nimia scilicet mentis exercitatio, objectis quibuscunque nimis acriter vel diutius justo intensae, dolores hosce creare potest [1]), siue fatigando organon sensorium internum, cum anima sine ejus cooperatione agere posse non videtur, siue et simul congestiones humorum efficiendo.

Anamnesis hanc speciem prodit.

Therapia quaerenda est in quiete animi et corporis, distractionibus a seriis negotiis, itineribus, rusticatione et epithematibus frigidis capiti applicitis.

§. XLIII.

Huic penitus analoga est

2. *Agrypnica.*

§. XLIV.

Deinde huc spectat

3. *Pathetica.*

Vehementes animi commotiones vniuersum neruorum systema turbantes huc pariter faciunt.

 Ex

1) Eph. Nat. Cur. Dec. II. A. X. Obs. 45.
2) Eph. Nat. Cur. Dec. III. A. IV. Obs. 3.
3) ibid. A. IX. et X. Obs. 92.

1) WEPFER l. c. pag. 121. BINNINGER Obseru. Cent. III. Obs. 10. TISSOT von *Nervenkrankheiten, Band IV. p.* 103.

Ex antegestis haec species dijudicanda est.

Therapia in similibus quaerenda erit, ac §. XLII. dictum est. Praeterea tamen etiam motuum systematis circulatorii auctorum, nec non humorum singularium per pathema hoc illudue, modo sic, modo aliter deprauatorum ratio habenda est.

§. XLV.

Denique datur

4. *Asthenica.*

Debilitas siue nosematica, siue cenotica, siue exarystica, vndecunque exorta, seu ex laboribus nimiis, seu ex noua illa, sic dictis magnetisatoribus, vt contendunt, accidente, vires perdendi occasione, siue alia, quorsum etiam (male sic dictam) hystericam, referimus, hemicranias praecipue, (quae alias clauus vel ouum hystericum audiunt,) periodicas, licet typo plane incerto producere solent.

Legimus saeuissimam cephalaeam venae sectionem justo largiorem secutam [1].

Aliam ex coitu ortum trahentem [2].

Hujus speciei dolores sunt fere spastici, nouimus enim, debilitatem et procliuitatem in spasmos pari fere passu ambulare.

Therapia itaque, saltem radicalis, ponitur in roboratione, vrgens autem symptoma etiam sedantibus compescitur.

§. XLVI.

An huic subordinanda est

5. *Sterètèlectrica?*

Siue ea, quae a priuatione materiae electricae euenire dicitur? An exinde καρηβαρια Hippocratis, quae flante plumbeo austro, et in Italia dominante Sirocco multis accidit, deducenda.

Juuant in hac lotiones et natationes frigidae, analeptica, motus.

SECTIO II.

CEPHALALGIAE SYMPATHICAE.

§. XLVII.

Quemadmodum consensus aliquis ac conspiratio quaedam inter viuas partes est, qua fit, vt altera alteram in communes contractiones cieat, cum vna modo lacessitur, vt adeo pars singularis irritata, nonnunquam et vniuersum corpus exagitet et motus nascantur, alias salutares alias detrimentosi [1]) ita et dolores ex eodem fonte frequenter oriuntur. Quid ergo mirum, caput dolere posse ex aliis et remotis partibus affectis. Solennis maxime consensus obtinet inter caput et systema gastricum, vnde primum locum obtinet inter sympathicas siue consensuales cephalalgias

A. *Gastrica.*

1) Acta Nat. Cur. Vol. I. Obs. 136.
2) Forestus l. c. Obs. 29.

1) Gaubius Instit. Pathol. par. 178.

A. *Gaſtrica.*

Agnouerunt hanc GALENUS [2]), nec non Arabes et Arabiſtae et Recentiores omnes. Cum autem vitia gaſtrica diuerſae ſint naturae, etiam hujus ſpecies cephalalgiae ſubdiuidi debent in

1. *Saburralem.*

Pertinet huc ea, quae ingluuiem, ebrietatem, inſequitur, quamquam et in his congeſtiones humorum concurrunt.

Prodit hasce anamneſis.

Eamque tollit euacuatio pro re nata ἄνω vel κάτω inſtituta, nonnunquam et analepticum vel roborans v. gr. Liquor anod. Hoffm. Eſſentia abſynthii aliaque amara.

2. *Bilioſam.*

Hujus facies modo eſt ſimplex cephalalgia, modo autem hemicraniae faciem induit, haud raro periodicae.

Obſeruauerunt hanc ſpeciem FORESTUS [3]), BINNINGER [4]), WEPFER [5]), BONET [6]), FRID. HOFFMANN [7]) aliique.

Conſulenda hic ſunt ſigna bilis dominantis et vrgentis, vt oris amaror, lingua flaua vel virideſcens, tenſio circa ſcrobiculum cordis, oculi flaueſcentes: tremor labii inferioris, genius epidemicus, hominis conſtitutio bilioſa, nec non pathemata forte praegreſſa.

Huic ſpeciei therapiam antibilioſam eſſe accommodandam quiuis videt, adeoque auxilia quaerenda erunt in acidis vegetabilibus, mucilaginoſis et emetocatharſi, niſi quidem excedens ſenſibilitas et irritabilitas ſubjecti aliaue contraindicantia hanc prohibeant, vtpote in quibus caſibus etiam ad ſedantia confugiendum eſt.

3. *Pituitoſam.*

Pituita, ſiue in vniuerſa humorum maſſa dominans, ſiue ſpecialiter in ſyſtema gaſtricum depoſita, modo cum, modo ſine febre, modo hanc, modo illam cephalalgiae faciem producere valet.

Etiam hanc obſeruauit FORESTUS [8]).

Temperamentum phlegmaticum, habitus cachecticus, lingua pituitoſa, ipſa pituita per vomitum vel aluum ſecedens hanc detegit.

Hujus medela ponitur in reſoluentibus, euacuantibus, et, ne pituita recrudeſcat, ſubſequentibus tonicis, maxime ex claſſe amarorum.

Porro in

4. *Aſthenicam. Dyſpepticam.*

Cum ſcilicet ſpecialis ſyſtematis gaſtrici debilitas et inertia menſtruorum obtinet.

Haec faciem hemicraniae habitualis induere amat, et ſaepe typum ſeruat febrilem, inprimis tertianum, poteſt tamen quoque longioribus interuallis redire et vexare.

Hanc ſpeciem cum febricoſa conuenire in aprico eſt.

Rr 3 Periodica-

2) De cap. dolore diſtinctiones, de locis affectis Lib. II. cap. 7.
3) Lib. IX. Obſ. 14.
4) Cent. V. Obſ. 36.
5) L. c. pag. 437.
6) L. c. Obſ. 37.
7) Oper. T. II. pag. 254.
8) L. c. Obſ. 45.

Periodicarum cephalalgiarum, maxime facie hemicraniae incedentium exempla prostant plura 9).

Noscitur ex reliquis dyspepsiae signis, et

Duplicem poscit medelam; primo quidem eam, quae in ipso paroxysmo conuenit; Cum haud infrequenter vomitibus spontaneis stipata sit, hi et tolerandi et promouendi sunt, rarius quidem per positiua emetica, sed potius per diluentia et lenissime irritantia v. c. infusum florum Chamomillae, sin autem vomitus isti nimis vehementes fuerint, etiam opii granum interspergendum. Multos quoque iuuat in paroxysmo regimen diaphoreticum. Cogitatum quoque est, in hac et aliis hemicraniae speciebus de perscissione nerui supraorbitalis.

Paroxysmo sedato alteram medelae partem meditari opus est, ne scilicet malum habituale denuo inuadat: verum hoc opus, hic labor est, cum haec species non cedat nisi therapiae diutius protractae et diaetae religiosius institutae. Potest tamen omnino tolli et fugari per remedia tonica, inter quae iterum amara maxime conueniunt, v. c. folia aurantiorum, trifolium fibrinum, centaureum minus, absynthium. Aliquando etiam alia sic dicta neruina, vt Valeriana, efficacia sese praestant.

§. XLVIII.

Reliqua abdominalia viscera affecta, rarius quidem, etiam cephalalgias effecere. Hinc jam sequitur species

B. *Splanchnica.*

Et quidem

1. *Hepatica* 1).

Hepatis vitia varia, emphraxis, scirrhus, suppurationes in caussa esse possunt, quorum signa specialia consuli debent, et therapia repertis accommodanda est.

2. *Splenica* 2).

Hic eadem valent, quae apud speciem praecedentem.

3. *Nephralgica.*

Renes pariter, quomodocunque affecti, ejusmodi effectum edere possunt; Concurrit nonnunquam anarrhopia humorum exinde oborta.

Morgagni 3) notabile profert exemplum, cum ait: „Ren dexter non suo loco positus, sic arteriam magnam et venam cauam ad imas lumborum vertebras apprimebat, vt qua haec vena excipiebat sanguinem iliacae sinistrae, varix ortus esset, cujus diameter duplo propemodum cauae diametrum superabat; indicio manifestissimo tanto plus sanguinis ad superiora, ipsumque caput ferri debuisse, quanto minus poterat ad inferiora."

Aliam obseruationem a renum caliditate habet Forestus 4).

2. Hysterica.

9) Eph. Nat. Cur. Dec. I. A. VI. et VII. Obs. 8. Dec. III. A. V. et VI. Obs. 81. Dec. I. A. II. Obs. 247. Dec. I. A. I. Obs. 51. Dec. II. A. IV. app. p. 36. Wepfer l. c. Obs. 49.

1) Forestus Lib. IX. Obs.

2) Ibid. Obs. 49.

3) Epist. Anat. med. I.

4) l. c. Obs. 50.

2. *H y ſt e r i c a.*

Clauus, ſiue ouum hyſtericum vulgo ſemper vitiis vteri per conſenſum tribuitur, ea autem non ſemper ſubſunt, ſed potius debilitas et ſenſibilitas vniuerſi ſyſtematis nervoſi; verum tamen non deſunt exempla, vbi vitia vteri reuera cephalaeas per conſenſum effecere.

Ex quibus ſequentes tantum obſeruationes allegabimus:

Illam Thoneri [5]) chronicam, praeſertim in ſyncipite per conſenſum enatam, caſtoreo et theriaca curatam.

Porro impraegnatione ſolutam, quae in Ephem. Nat. Cur. [6]) occurrit.

Aliam ibidem [7]) inueni ex vtero in puerpera.

Iterum Thonerus [8]) immanem hemicraniam ex cauſſa frigida per conſenſum vteri deſcribit.

Therapia radicalis ſingularia vteri vitia reſpicit, eaque quantum poteſt, tollere ſtudet; In ipſo paroxysmo conueniunt antiſpasmodica ſpecialia, narcotica.

§. XLIX.

Etiam inter conſenſuales cephalalgias pertinet

C. *M a ſt i c a* [1]).

Infirmae vel valde ſenſiles nutrices huic ſpeciei ſunt obnoxiae, inprimis ſi robuſtioribus vel pluribus ſimul vbera praebent.

Sentiunt illae aut ſub ipſo lactationis actu, aut breui poſt eam dolores, facile exinde dignoſcendos.

Nec excludendae ſunt alia mammarum irritamenta.

Therapia conſiſtit in nutrientibus, roborantibus, et neruinis, praeſertim autem in ablactatione.

§. L.

Porro hujus cenſus eſt

D. *O d o n t i c a.*

Maxime ortum ſuum habet ex dentibus carioſis, neruis pedem anſerinum conſtituentibus [1]), παθος propagantibus.

Therapia poſcit dentis euulſionem, aut purificationem, caui impletionem, neruorum mortificationem: Hemicraniam inueteratam extractione dentium curatam habet Fabricius Hildanus [2]).

§. LI.

E. *N a ſ a l i s.*

Klein in Actis Nat. cur. obſeruationem huc pertinentem notauit: Cephalaeam ſcilicet periodicam, excretione polypi narium membranacei pituitoſi repetita ſanatam [1]).

Aliae

5) Obſ. L. II. Obſ. 7.
6) Cent. III. pag. 297.
7) Dec. III. A. IV. Obſ. 42.
8) l. c. Lib. II. Obſ. 1.

1) Dec. I. A. VI. et VII. Obſ. 8. Dec. II. A. I. Obſ. 32. A. III. Obſ. 33.
1) Fauchart Obſ. 2. 3. et 4. pag. 413.
2) Obſ. C. II. 10.
1) Vol. X. Obſ. 73.

Aliae narium affectiones pariter cephalalgias producere valent, ſuis modis et dignoſcendae et curandae.

§. LII.

F. *Ophthalmica.*

Sicuti morbi capitis, ſiue per congeſtionem humorum, ſiue per ſpasmos et conſenſum operantes oculos afficere poſſunt, ita et horum aegritudo vice verſa capitis dolores creare poteſt [1]).

Hi, cum principem ſequantur morbum, eo bene cognito, et curato ſponte cedent: Eorum tamen ratio habenda eſt per ſedantia.

§. LIII.

G. *Perialgica.*

Dolores omnes, vbicunque reſideant, dummodo ſat graues vel diuturni ſint, vel et ſubjecta ſenſilia et irritabilia attineant, etiam per conſenſum cephalalgias cauſſari queunt.

Obſeruationes proſtant ex. gr. ex clauis pedum reſectis [1]).

SECTIO III.

Saepe et ſaepius cephalalgiae dantur compoſitae, vbi ſcilicet plures ſpecies ſimul affligunt, quas judicium practicum diſtinguit.

SECTIO IV.

Sic et complicatae, cum aliis ſcilicet morbis ſaepius occurrunt cephalalgiae, quae vero plerumque ſunt ſymptomaticae.

EPILOGUS.

Supereſſet, vt poſt partitionem cephalalgiarum, vt puto, naturae conſentaneam, breuibus moneremus, eam ab aliis nondum rite factam eſſe.

Vt antiquiores taceam, qui, licet neceſſitatem dictae partitionis ſentientes, tamen ei ex profeſſo operam non dedere, allegabo tantum Sauvages et Sagar, de quorum partitione generali ſupra locutus ſum: Sauvages itaque dolores capitis diſpeſcit in Cephalalgiam, Cephalaeam, et Hemicraniam.

I. *Cephalalgiam* diſpertit in

1. plethoricam,
2. catamenialem,
3. haemorrhoidalem,
4. ſtomachicam,
5. febrilem,
6. pulſatilem,
7. intermittentem,
8. grauidarum,
9. inflammatoriam,
10. catarrhalem,
11. anemotropam,
12. hyſtericam,
13. metallicam.

II. *Cephalaeam*

1) Burser. l. c. §. 9. not.

1) Maternus de Cilano in Act. Nat. Cur. Vol. IX. Obſ. 83.

II. *Cephalaeam* in
1. ſyphiliticam,
2. ab acrimonia,
3. arthriticam,
4. febricoſam,
5. melancholicam,
6. polonicam,
7. ſeroſam.

III. *Hemicraniam* vero in
1. ocularem,
2. odontalgicam,
3. ſinus,
4. coryzae,
5. haemorrhoidalem,
6. clauum,
7. purulentam,
8. ab inſectis,
9. nephralgicam,
10. lunaticam.

SAGAR retinuit SAUVAGESII ſpecies I. 1, 4, 5, 6, 7, 8, inflammatoriae 9 ſubſtituit traumaticam, 10, 11, 12.

Apud Genus II. ſequitur vsque ad ſpeciem 6, dein ponit loco ſeroſae cachecticam, additque apoſtematoſam internam, et tabacalem.

In Genere III. iterum SAUVAGESII ſpecies obſeruat, vsque ad 5, cujus loco habet plethoricam, dein omittit nephralgicam additque febricoſam.

Longum nimis foret, omnes et ſingulas ſpecies examinare et demonſtrare, quaenam ſuo loco poſitae ſint, quae non? Judicabit autem Lector aequus aeque ac intelligens, ex comparatione ſpecierum a nobis exhibitarum, qui et quanti hiatus in ſyſtematibus allegatis deprehendantur, quae ſpecies in iis omiſſae ſint, quot inutiles tamen repetitiones in tribus ſine ratione conſtitutis generibus obueniant, et quam parum tamen genus morbi in omni ambitu exhauſtum ſit, denique et quaenam inepta ex parte nomina ſpeciebus praefixa fuerint.

Bona methodus quoque ſimiles ſpecies iterum colligere, et in ejusmodi titulos et appellationes adornare debet, quae indolem ſpeciei per id ipſum nomen impoſitum in fronte gerat, vt longa Pathologia opus non ſit, ad perſpiciendum, quomodo enata ſit, quae natura et cauſſa proxima ipſi competat, adeoque et quaenam therapia illi conueniat, vt in Prooemio jam dictum eſt, quae omnia in allegatis ſic dictis Syſtematibus fruſtra quaeruntur.

XVII.
SAMUELIS THOMAE SOEMMERRINGII
DE
ACERVULO CEREBRI
DISSERTATIO.

D. 31. OCTOBR. 1785. PRIMUM EDITA DENUO REVISA CORRECTA NOVISQUE OBSERVATIONIBUS AUCTA.

Vix vlla vnquam corporis noſtri particula tantam famam inter eruditos non modo, ſed etiam inter illiteratos nacta eſt, ac cerebri ſic dicta *glandula pinealis;* Etenim quum Cartesius, vir et ingenio et ſubtilitate philoſophandi celeberrimus, animi rationalis, vel ſenſorii communis ſedem in ea, quod etiam Galenus ſuſpicatus fuerat, collocaret, ſingularis quaedam praeſtantia prae caeteris encephali partibus ipſi vindicabatur. Quamuis vero ſpecioſiſſimis argumentis ſuffulciebatur iſta opinio, nihilominus mox derelicta jacebat [1]), quum viderent philoſophi ne probabili quidem conjectura vllum neruum ad illam vsque deduci poſſe [2]); neque in hominis maximo encephalo ſatis inſignem eſſe hanc particulam, ſed in vitulorum aliorumque brutorum minori encephalo multo majorem inueniri. Inclareſcebat tamen nihiloſecius adeo iſta opinio, et id quidem jure quodam ſuo, vt vix alia ſit notior. In glandula pineali enim tanquam in ſolio reſidere animam, Bernh. Albinus [3]) praedicat, locumque, quem occupat, partes a latere ſtantes, vaſa, aliaeque circumſtantiae prae aliis in cerebro commendare

1) Hypotheſin Carteſii inter alios refutarunt Tilingius in Diſſertatione de glandula pineali. Bremae 1695. Ioach. Targier in Medicina compendiaria. Leid. 1698. Nic. Stenonis Discours ſur l'Anat. du Cerveau. Ant. Nuck epitaphium glandulae pineali poſuit, vt ridiculam hanc opinionem redderet. G. A. Langguth communis ſenſorii hiſtoria. Lipſ. 1738. p. 29. qui epitaphium illud recuſum dedit. Item Steenbergen Diſſert. de cerebro recuſa. p. 171. in collect. Cl. Oberkamp. A. E. Büchner de morbis cerebri ex ſtructura ejus anatomica deducendis. Erfordiae 1741. p. 13. Günz de lapillis glandulae pinealis Progr. p. 19. Haller de Corp. hum. fabr. T. 8. p. 107. Merito hinc G. Coopmanns Neurologia, Franequerae 1789. dicit: ſtatus Conarii morboſus, ſaepiſſime obſeruatus jam diu opinionem fictam obliuioni dedit.

2) Quod de le Boe Sylvius, Henr. Regius, Ludovicus de la Forge, Lancisius, Wharton aliique contenderant; neruea vero vincula, quibus Iust. Schrader Obſ. Anat. med. ſecunda, glandulam pinealem cerebro alligatam eſſe ſcripſit, hodie pedunculi medulloſi vocantur.

3) In diſſertatione de Poris corporis humani, recuſa in Halleri ſelectu diſſertationum anatomicarum, Volumine tertio p. 531. Theſi 14.

mendare et regiam quandam Majestatem stupendam prae aliis praerogatiuam vel tacite inculcare IOH. IAC. WALDSCHMIDT [4]) videbatur. Quinimo nostra aetate CAMPERUS et dissectionum assiduitate, et judicii acritate aeque clarus, non adeo absurdam esse hanc sententiam, ac multis videretur, publice pronuntiauit [5]). Hinc PARISINI, PERRAULT et DAUBENTON, aliique, rara opportunitate vsi ex omnibus mundi regionibus animalia incidendi, si quid de dissectione encephali annotarunt, inprimis particulam hanc piniformem descripsere; hinc Physiologi in cerebris hominum mente captorum singulari prorsus diligentia eandem particulam examinantes, quum viderent lapillos in illa reperiri, vix aberat, quin etiam nouissimis temporibus [6]) iisdem lapillis caussam perturbationum animi tribuerent.

At, quantum equidem dissecando didici, *semper adesse aceruulum*, ita enim collectionem lapillorum dicere amo, *saltem in cerebris mente et corpore sanissimorum hominum, in infantibus, juuenibus, adultis, et senibus, in viris et feminis, in Europaeis non modo, sed etiam Afris inueniri, perpetuo ejusdem indolis quoad colorem et substantiam esse, et*, ni me omnia fallunt, *ad naturalem cerebri in hoc loco structuram hunc aceruulum pertinere, parum vel omnino non constare videtur.*

Memoratu ergo dignum de re, de qua jam alibi [7]), sed obiter tantum dictum est, paulo fusius verba facere.

Sedes autem aceruuli siue mauis lapillorum, vel sabuli, melius innotescet, exposita prius ex propriis obseruationibus natura conarii, quod vulgo glandulam pinealem vocant. Describam vero, quo modo se habeat in corporibus hominum, qui ad vltimum vsque vitae habitum mente compotes fuerant, non neglectis aliorum clarissimorum virorum sententiis. Sed per singula eundum.

§. I.

Descriptio glandulae pinealis siue conarii.

Sita est particula conarion [1]) dicta, sub limite posteriori commissurae cerebri maximae (quam corpus callosum vocant) in superiori et media parte anteriorum corporum

4) In disputatione, resp. Io. WIL. BEUTLER, de glandulae pinealis statu naturali et praeternaturali. Marpurgi 1680. 4.

5) Kort berigt van de ontleding eens iongen Elephants, in Hedendaagsche Vaderlandsche Letteroeffeningen ann. 1774. vel versione germanica *sämmtliche kleinere Schriften. Erster Band.* vtroque loco §. 21. „Indien ergends een sensorium commune plaats zal hebben, moet het hier gezogt worden; het vermoeden van CARTESIUS is zo ongerymd niet als veele meenen.

6) v. c. amicus noster Ill. SIEBOLD in egregia Dissertatione respondente BECKER de insolito tumore Maxillae superioris. Herbipoli 1776. pag. 7. et HALLER de corp. hum. fabr. 1778. Tom. 8. p. 108.

7) *Ueber die körperliche Verschiedenheit der Negern von Europäern* 1785. § 64. pag. 70. et Nervenlehre. Frankfurt 1791. §. 50.

1) Graecis κωνάριον dicebatur, GALENO σῶμα κονοειδές, Latinis *turbo* siue *corpus turbinatum*, *glandula turbinata*, *glandula piniformis*, *glandula conoides* vel *conarium*, vel spurco nomine *penis* siue *virga cerebri*, NICOLAO vero STENONIS *glandula superior*, vt illam a *glandula pituitaria inferiori* distingueret.

porum quadrigeminorum [2]), ita vt cum illis communi plexus choroidei tela ejusque majoribus ramis venoſis inuoluatur [3]); magnitudine [4]) et figura differt, modo enim rotunda, modo cordiformis, modo conica, facie anteriori et poſteriori depreſſa, modo piniformis, i. e. aliquam figuram ſtrobili pini vel nucis pineae gerit; conſtruitur quoad maximam partem plerumque ſubſtantia cinerea, paulo duriori tamen vel tenaciori, ac in reliquo encephalo [5]), interdum quodammodo pellucida, mox rubicundior, mox pallidior, mox turgidior, mox minus turgida cernitur, quod a craſi ſanguinis pendere videtur, prout enim reliqua ſubſtantia cinerea encephali, in apoplexia ſanguinea peremtis magis rubeſcens vel fuſca, in hydropicis pallidior apparet, ſic et hujus particulae color variare videtur. In cadaueribus infantum et juniorum hominum cum reliqua parte cinerea cerebri mollior ac in adultis; in aliis glabra, in aliis inaequalior apparet.

Vt plurimum in feminis major mihi viſa eſt, quam in viris.

Baſis autem conarii nunc magis, nunc minus medullaris [6]) in pedunculos abit, ſenſim ſenſimque cum ſtria medullari thalamos neruorum opticorum ſecundum longitudinem percurrente, et corporibus quadrigeminis mediante commiſſura cerebri poſteriori confluentes, hinc baſis ſiue ſtria medullaris modo craſſior, modo ſubtilior, alteram, quaſi trabeculam medullarem transuerſam conſtituens cerebri poſteriorem commiſſuram, duplicem reddit, transuerſim igitur fiſſa cernitur baſis medullaris, et receſſulum quaſi caui, quod ventriculum tertium appellant, in ſe recipit. Semel totam excauatam reperi, adeo, vt oſtium caui alias fiſſura tantum dicendum, in ventriculum tertium pateret.

Haec conarii poſitura optime e ſectione caput perpendiculariter bipertiente intelligitur.

Deficientem

2) Confer Neurologiam noſtram: Nervenlehre. Frankfurt 1791. §. 50.

3) Figuram dedi in diſſ. de *baſi Encephali*. Goett. 1778. Tab. 3. o. p. q. s. recuſa in hujus Collectionis ſcriptorum neurologicorum Tomo ſecundo, et in figura ad Diſſert. Cl. Noethig de decuſſatione Neruorum opticorum recuſa in Tomo primo hor. ſcript. neur. minorum. Nullibi ſitum glandulae pinealis rite pictum fuiſſe, jam annotat Nic. Stenonis Discours ſur l'Anat. du Cerveau apud Winslow. edit. Amſt. 1743. 8. T. 3. p. 220. Iuſto longiorem, grandiorem craſſioremque delineari curaſſe Meckelium *Memoir. de l'Acad. des Scienc. à Berlin* 1765. annotauit Greding *in Aduerſariis medico-practicis* Volum. II. p. 618. et addit, conſuetam magnitudinem ſeminis citri mediocris eſſe. Jam nitidiſſime depictam habemus in opere abſolutiſſimo Vicq d'Azyrii Planches anatomiques, Tabula 14. 15. et 27.

4) In ingenioſiori puero inſigni magnitudine glandulam pinealem annotauit ſummus Morgagnius de ſed. et cauſ. morb. Epiſt. 1. *art.* 2. Inter centum rabioſos triginta ſeptem glandulas pineales ſolito longe majores vidit Greding *Vermiſchte Schriften* p. 179. In junioribus et in feminis glandulam pinealem majorem eſſe ac in adultis et viris, Tilingius diſſertatione citata pag. 7. annotauit. Siebold et Becker diſſertatione ſupra laudata annotarunt, ſe in femina dementi tanti Voluminis glandulam pinealem inueniſſe, quantam nunquam antea.

5) Subſtantiam hanc ſimilem eſſe ſubſtantiae, quae in baſi encephali circa infundibulum reperitur, Ill. Santorini Obſſ. anat. pag. 57. annotauit.

6) Santorini obſeruationum anatomicarum pag. 57.

Deficientem autem glandulam pinealem in plus quam ducentis a me ipso diffectorum hominum encephalis nunquam animaduerti 7).

7) Defuiffe glandulam pinealem praeter A. H. CUMMIUM et COCKIUM A KERKWYCK, quorum obferuationes rejecit GÜNZIUS l. cit. p. 19., annotat KERKRINGIUS Spicilegio anatomico. Amft. 1670. Obf. 20. p. 77. fed recte GÜNZIUS p. 20. etiam hanc obferuationem non admifit, et jure monuit HALLERUS de corp. hum. fabr. Tomo octavo p. 109. „*forfan cum velo auulfam euanuiffe;*" quod mihi eo magis in hoc cafu verofimile videtur, cum ipfe KERKRINGIUS fateatur fubftantiam cerebri flaccidam fuiffe. In Hydrocephalo feptemdecim annorum fe glandulam pinealem non inueniffe tradit Cl. MALACARNE delle Offervazioni in Chirurgia. Turin 1784. Parte fecunda §. 29. p. 14. In hydrocephalicis autem difficillime reperiri jam annotauerat GREDING, *vermifchte medicin. und chirurg. Schriften* p. 179. Ergo etiam hoc in cafu adeffe potuit. Nonnunquam defuiffe annotat L. M. CALDANI Inftitutionum anatomicarum. Venetiis 1791. Tomo fecundo. Si meum quid valet judicium, dubitandum an hisce in cafibus reuera defuerit. Confer, quae infra §. 6. Num. IX. dicta funt.

Pari modo haec glandula pinealis in brutis diftincte cernitur. Maxima autem attentione dignum, in aliis animalium generibus perpetuo majorem, in aliis minorem, (adeo, vt nonnullis v. g. a DUVERNEYO, oeuvres anatomiques. Paris 1761. Tom. 2. SAM. COLLINS fyftem of anatomy. Tom. 2. et ipfo *fummo* CAMPERO in cane, fele, et lepore (oploffing der Vrage door 't Bataaffch genootfchap te Rotterdam tegens den 1 Maart 1783. voorgefteld. Amfterdam 1783. pag. 5.) — in cane Zod. ann. 3. negaretur,) reperiri. Ipfe autem pluries illam non modo in canibus, felibus et leporibus reperi, fed etiam facile cuiuis demonftrandam feruo in liquore idoneo quamquam pinealis nomen in fele et porcello non mereatur.

Pari modo et glandulam pinealem in canibus nobiscum vidit GISBERT. JACOB WOLFF Quaeftiones medicae varii argumenti. Harderuici 1791. pag. 5. Humana glandula majorem vidi in bobus, afino, ouibus, ceruis, dama, capreolis, camelo gibbere fimplici, in quo fimul quafi quadripartita, licet tota encephali moles horum animalium, humana multo minor fit. Non contemnendae magnitudinis vidi illam in criceto, fciuro. Parvam autem vel exiguam in cane, vulpe, mele, felibus, putorio, porcello. In tenellis vero embryonum equinorum cerebris bis hanc particulam magnitudine fatis notabilem rotundam et nigerrimam folito loco inveni. In dama femel ingentem turgidam et cauam, *et in illa lapillos humanis fimillimos* inueni. Confer Librum noftrum, *vom Hirn und Rückenmark.* Mainz 1788. §. 68. Hisce noftris obferuationibus liceat alias addere. Satis infignem in Orang Outango fuiffe TYSON p. 57 annotauit et fig. 14 repraefentauit. In fimiis conicam effe PARISINI habent. Majorem in rangifero ac in vrfo effe egregius incifor NIC. STENONIS annotauit, minorem in cane effe HARDER in apiario Obf. 20 et erronee de ejus exiftentia dubitari, ex BRUNNERO annotauit ibid. p. 86, humanae fimillimam effe in elephanto PERILL. CAMPER in kort berigt etc. et *fämmtliche Schriften,* 1 *Band* vtroque loco §. 21. In ceruis cauam vidit, et e minutiffimis glandulis conflatam, et in illis animalibus participare de natura conglomeratarum MANGET. Theatro Anat. Tom. 2. p. 309. HALLERUS de Corp. hum. fabr. Tom. octauo p. 109 dicit, „*non in omnibus quadrupedibus reperiri ejusmodi glandulam,*" immo in Epift. ad ILL. BONNET (Oeuvres de Mr. BONNET Tom. 5. part. 2. p. 389.) dicit, in multis quadrupedibus defiderari hanc particulam „*une grande partie des quadrupedes en manquent.*" Dolendum vero, HALLERUM, virum alias diligentiffimum, fingula quadrupeda non nominaffe. COLLINS fyftem of Anatomy. Tom. 2. pag. 1020 in vniuerfum annotat in animalibus recenter mortuis majorem effe, ac in illis, quae poft aliquod tempus praeterlapfum perquiruntur ob vicinas venas humiditatem abforbentes.

§. II.

Situs et figura aceruuli.

Circa basin hujus conarii medullosam vel ipsi trabeculae transuersae medullari, quam commissuram posteriorem *alteram* siue *superiorem* vocauimus, sub plexu choroideo incumbit vel insidet aceruulus siue lapillorum modo major, modo minor quantitas. Plerumque ita comparatus esse solet aceruulus iste, vt euidenter in minora granula conformatus, majora granula, siue majores lapilli medium locum tenentes, a granulis minoribus circumdentur; quocirca hoc loco nomen aceruuli satis mereri videtur [1]).

Saepe ad latera hujus aceruuli alia adhuc granula, magnitudine et forma saepe ludentia, nunc magis nunc minus exstant. Si aceruulus medius minor, interdum lapilli laterales majores esse solent, persaepe autem granula, siue lapilli laterales distincte ex minoribus fragmentulis conflantur.

In vniuersum autem multo minus aceruulus medius, quam granula lateralia ipsi substantiae medullari inhaerere videntur.

Saepe, sed non semper, praeter aceruulum istum extra glandulam pinealem in ejus basi anteriori situm, et intra illam siue in substantia ejus reperiuntur granula modo arenae vel sabuli adinstar rotundiuscula et soluta, modo in frustula paulo majora concreta, vel ex congerie minorum granulorum vel lapillorum in vnum conjunctorum et coagmentatorum constantia, hinc et ejusmodi lapilli plus minusue horridi scabrique apparent.

Figuram aceruuli, quam dederam [2]), repetiit VICQ D'AZYR [3]) in opere suo splendidissimo.

§. III.

Habitus aceruuli.

Quamuis vt ex parte conarion ipsum aliaeque encephali partes, figura, multitudine, situ, et magnitudine satis varient, isti lapilli, et ex illis coagmentatus aceruulus, minus tamen quoad colorem, substantiam, et reliquum habitum differre videbantur. Semper animaduerti, lapillos flauos vel ad citrinum colorem accedere eo saturatiorem, quo plures lapilli minores in vnum quasi conflantur, pellucidos, duros, asperos, vt cultri apice tacti strepitu quodam prodantur.

Omnes, quos adhucdum legi, de habitu lapillorum conarii descriptiones curatiores, adeo exacte inter se et cum meis conueniebant, vt consensus iste singularis primum me moueret, diligentius in hanc rem inquirere [1]).

Adeo

1) Omnium optime hunc locum et aceruulum indicauit MORGAGNI de Sed. et Cauf. Morb. Epist. 8. Art. 15. „ad anteriorem pinealis glandulae basin corpuscula illa subdura" et Epist. 5. Art. 12. „extra glandulam in anteriori ejus facie, et praesertim ad basis anteriora."

2) In tabula ad Dissertationem Cl. NOETHIG de decussatione neruorum opticorum. Moguntiae 1786. recusa in hac Collectione operum neurolog. minor. Tomo primo.

3) Planches anatomiques. Paris 1786. fol. Tab. XXVII. fig. 7.

1) Egregie, vt alios taceam, I. B. MORGAGNI (de sedibus et caussis morborum in indice viforum, pag. XXXV.) dicit, glandulam pinealem adhaerentes habere flauas quasi arenulas.

Adeo autem differunt ab omnibus aliis, quos noui, lapillis, concretionibus, incruſtationibus tum calcareis, tum oſſeis, quae in corpore humano brutorumque occurrunt, vt facillime natura ipſis propria dignoſci queant.

Quantopere enim praeter ſitum, multitudinem, figuram et magnitudinem differunt inter ſe, quoad ſubſtantiam calculi fellei [2])? quantum calculi vrinae? Mox duriores, mox friabiles, mox ſaxeos, mox molles, mox fuſcos vel atros, mox albos, luteolos vel rufos, mox vniformi, mox multiplici ſubſtantia compoſitos inueni.

At in arena cerebri ſiue lapillis conarii, quantum equidem judicare valeo, ſemper idem a natura tamen calculorum bilis, et vrinae inſigniter diuerſus habitus locum tenebat.

§. IV.

An in omnibus hominibus adſit aceruulus?

In corporibus autem I, ſaniſſimorum hominum, II, et fere omnium et III, juvenilibus jamjam corporibus adeſſe calculos prope conarion, ante me idonei auctores memoriae prodiderunt. Quod vt eo magis eluceſcat, in medium proferam deinceps obſeruationes, quas per quatuor abhinc annos ex induſtria omnique diligentia ad quaeſtionem hanc dirimendam inſtitui.

OBSERVATIO I.

D. 25 Aprilis 1780 in femina 34 annorum primum ſolito diligentius examinando conarion, granula inueni intra glandulam pinealem, quippe cum mihi relatum eſſet, nonnunquam hanc mulierem deliraſſe.

OBSERVATIO II.

D. 19 Martii 1782 in femina 26 annorum, quae cultro arteriam mammariam internam ſcindente ſibi vitam finierat, *primum* animaduerti aceruulum; caeterum conarion ſanum.

OBSERVATIO III.

D. 21 Martii 1782 exacte eodem modo ac in caſu antecedente, comparatum vidi aceruulum in adoleſcente 16 annorum, qui ex phthiſi pulmonum perierat; vndecim enim librae puris in cauo thoracis ſiniſtro, cujus pulmo fere omnis abſumtus erat, continebantur. Ad vltimum vsque vitae halitum puer egregius mente compos fuerat. Glandula pinealis ipſa autem paulo minor ac in caſu antecedente videbatur, licet encephalus multo major eſſet. Feminae enim encephalus 2 Libr. 8 Vnc. adoleſcentis 3 libr. pendebat.

OBSERVATIO IV.

D. 9 Aprilis 1782 in virgine circiter 60 annorum, quae praeceps e feneſtra perierat, et quam valde hyſtericis paſſionibus obnoxiam fuiſſe relatum eſt, aceruulus extra, et calculi intra conarion.

OBSER-

2) de quibus confer Diſſertationem noſtram, reſpondente STRAUB, de Calculis biliariis. Moguntiae 1792.

OBSERVATIO V.

D. 2 Sept. 1782 in vetula 62 annorum cachexia peremta totum conarion calculis repletum.

OBSERVATIO VI.

D. 11 Sept. 1782 pari modo granula in conario vetulae 60 annorum, quae cachexia obierat.

OBSERVATIO VII.

D. 29 Nou. 1782 praesente Cl. Fischero, Professore Goettingensi, in femina 26 annorum vlcere pulmonum mortua extra et intra conarion arena.

OBSERVATIO VIII.

D. 11 Martii 1783 in femina 30 annorum calculi vt solent. Forsan ob detentionem in carcere perierat, corpus enim cachecticum.

OBSERVATIO IX.

D. 8 Iunii 1783 in femina 24 annorum surdastra, morbo pulmonum confecta, interdum, vt ferebatur, maniaca, per omnem conarii substantiam disseminati lapilli.

OBSERVATIO X.

D. 28 Iunii 1783 in femina 29 annorum valde turgidum et cauum reperi conarion, granulis consperſum, et aceruulum solito more ante illud.

OBSERVATIO XI.

D. 30 Aug. 1783 in femina 30 annorum icterica per tres menses, lapilli, vt solent, se gerebant.

OBSERVATIO XII.

D. 23 Sept. 1783 pari modo in femina annorum circiter 40 hydropica.

OBSERVATIO XIII.

D. 7 Dec. 1783 in vetula 72 annorum, abscessu largo sphaceloso in dextro ileo laborauerat, arena in conario.

OBSERVATIO XIV.

D. 26 Dec. 1783 in sene 80 annorum morbo pulmonum confecto aceruulus ante glandulam pinealem.

OBSERVATIO XV.

D. 4 Ian. 1784 in viro 40 annorum herniosо et verminoso, subitanea morte peremto, aceruulus, vt solet, aderat.

OBSER-

OBSERVATIO XVI.

D. 15 Febr. 1784 in puero Aethiopico 14 annorum, de cujus diſſectione fuſius jam alibi mentionem feci 3), qui phthiſicus vita deceſſerat, ſolito loco aceruulus reperiebatur.

OBSERVATIO XVII.

D. 24 Febr. 1784 in femina 40 annorum valde obeſa conarion ſolito majus multis lapillis refertum inueni.

OBSERVATIO XVIII.

D. 7 Martii 1784 in femina 35 annorum cachectica aceruulus, vt ſolet, ante glandulam pinealem jacens.

OBSERVATIO XIX.

D. 19 Mart. 1784 in viro adulto, qui aqua ſubmerſus periit, eodem modo conſtitutus aceruulus.

OBSERVATIO XX.

D. 17 Febr. 1784 in Aethiope adulto annorum circiter 20 tabe confecto 4) lapilli eodem modo, vt in Europaeis, et aceruulus anteriora conarii tenebat.

OBSERVATIO XXI.

D. 8 Aprilis 1784 Beneuolentia Cl. Osann nimis praematuro fato nobis erepto praeſentibus amiciſſimo Profeſſore Blumenbach et Dre. Althoff ſecui Goettingae in noſodochio publico viri adulti corpus, et aceruulum ante glandulam pinealem diſtincte vidimus.

OBSERVATIO XXII.

D. 9 Mart. 1785 Moguntiae in femina adulta.

OBSERVATIO XXIII.

D. 10 Mart. 1785 ibidem in viro 25 annorum.

OBSERVATIO XXIV.

D. 15 Mart. 1785 in viro adulto.

OBSERVATIO XXV. et XXVI.

D. 16 Mart. in ſene et vetula.

OBSER-

3) *Ueber die körperliche Verſchiedenheit des Negers vom Europäer. Erſte Beobachtung.*

4) Fuſius deſcriptam ſectionem pathologicam vid. loco praecedente nota citato. *Zweyte Beobachtung.*

OBSERVATIO XXVII. ET XXVIII.

D. 17 Mart. in duobus viris adultis lustraui cum praesentibus Cl. Dn. DIEL et discipulorum non ignobili corona, aceruulum prope conarion situm, et vidimus trabi medullari, siue basi ipsius insidentem, et praeter magnitudinem vel quantitatem granulorum vix aliud quoddam discrimen cernebatur.

OBSERVATIO XXIX.

D. 10 Apr. 1785 in vetula glandulam pinealem magnam, extra et ante illam aceruulum, intra illam vero nullos lapillos inueni.

OBSERVATIO XXX.

D. 12 Apr. 1785 in vetula conarium paruum, ante illud aceruulus solito minor, sed ad latera ejus granula.

OBSERVATIO XXXI.

D. 15 Apr. 1785 in femina juniori aceruulus et ad latera ejus granula aderant, conarion ipsum fere pellucidum paruum, reliqua substantia cinerea encephali multo fuscius.

OBSERVATIO XXXII.

D. 17 Apr. 1785 in viro aceruulus et ad latera ejus granula, quin imo in ipsa conarii substantia.

OBSERVATIO XXXIII.

D. 28 Apr. 1785 in viro aceruulus major, ad latera vero nulla granula, intra conarion autem arena grandiuscula.

OBSERVATIO XXXIV.

D. 29 Apr. 1785 in vetula intra et extra conarion lapilli.

OBSERVATIO XXXV.

Eodem die in viro 20 circiter annorum aceruulus, et intra substantiam conarii lapilli. Glandula pinealis circa basin non, vt solet, medullaris, sed taenia tantum quadam medullosa transuersim posita distincta.

OBSERVATIO XXXVI.

D. 13 Iul. 1785 in viro annorum circiter 50 in encephalo solito majori quoad volumen et pondus, glandula pinealis siue conarion solitae magnitudinis, et aceruulus ante illam, et ipsius substantia sabulosa.

Abhinc tempore in plus quam centum cerebris humanis nunquam aceruulum defuisse vere possum pronuntiare.

Innumeras fere postmodum sectiones corporum humanorum instituerunt discipuli mei perpetuoque aceruulum inuenerunt; nominasse sufficiat ACKERMANN, BILLMANN,

MANN, BEHRENDS, CREVE, HAGEN, LEVELING, MICHAELIS, NIEDERHUEBER, WENZELIOS.

Liceat hic addere ſuffragium VICQ D'AZYRII, Viri ſummi:

„Ils ſont réunis, et grouppés de ſorte á former l'aceruulus de M. SOEMMERRING, „a la baſe de la glande pinéale, près de la commiſſure poſterieure et ſous le plexus „choroidé. 2°. On les voit quelqueſois répandue vers le côtés de la glande pinéale, „où ils forment de petits amas particuliers. 3°. Souvent auſſi ils ſont irrégulière-„ment ſemés dans la ſubſtance de la glande pinéale même.“

„M. SOEMMERRING a trouvé ces concrétions dans les cerveaux de ceux qu'il a „diſſéques. Ayant toujours rencontré ces petits calculs dans le cerveaux des hommes âges „de plus de quinze années, cet habile anatomiſte a conclu, qu'on ne doit les regarder „comme étant l'effet d'aucune maladie du cerveau.“

„J'avois dit la même choſe dans les memoires de l'academie royale des ſciences „année 1781. pag. 533.“

Sed quod maxima dignum attentione, jam et in infantibus inuenio aceruulum, quanquam in eis ſit pellucidior, albidior et mollior, ſic aceruulum e puero trienni facile cuiuis demonſtrandum ſeruo; quinimo et in foetibus eum inuenerunt diſcipuli clariſſimi WENZELII.

§. V.

Obſeruationes lapillorum glandulae pinealis, quae apud alios auctores occurrunt.

Saepiſſime etiam ab aliis viris clariſſimis annotatos inuenies lapillos conarii. Verbi cauſſa FRANCISCUS DE LE BOE SYLVIUS aliquoties vidit hoſce lapillos. FLORENTIUS SCHUYL. HENR. MEIBOM decies, REGN DE GRAAF plus quam vigeſies, CHR. DE COCR. A KERKWYCK, WEPFER, PAULUS BARBETTE, STALPARTUS VAN DER WIEL, TH. BARTHOLINUS, ANTONIUS NUCK ſaepius, BRUNNER, BARBECKIUS, A MEECKREN bis, IUSTUS VESTI, EDMUND KING, BENI. BENED. PETERMANN bis, DIONIS aliquando, BARTHOL. KRüGER, BERLINGERIUS GIPSEUS, LAUBIUS, QUINA, (apud RUYSCHIUM), MORGAGNI, SALTSMANN bis, MAUCHART, VIEUSSENS ſaepiſſime, DE LA CHARRIERE, WINSLOW, LIEUTAUD pluries. Hos caſus jam a GUNZIO in *Proluſione* egregia *de lapillis glandulae pinealis in quinque mente alienatis*, Lipſ. 1753 collectos reperies, MORGAGNIUS, qui, vt ſolet, egregie et fuſius de aceruulo egit, inprimis de ſed. et cauſſ. morb. Epiſt. 5. art. 12. MARTINETTUM inter illos nominavit, qui lapillos conarii viderunt. Nonnulla nomina ex his etiam apud HALLERUM de corp. hum. fabr. Tom. 8 p. 108 not. *m.* occurrunt, ſed praeter iſta etiam caſus allegantur, quos deſcripſerunt VIRIDET, PECHLIN, RITTER, FABRICIUS, LOESECKE, SANTORINUS, BARTHOLINUS, MECKEL, qui et figuram primam aceruuli dedit[1]), PRINGLE, GREDING, COLONIS.

Noſtris temporibus in Ill. BALDINGER *Magazin für Aerzte 4 Band* p. 101, et ex illo ſine dubio in cel. ISENFLAMM *praktiſchen Anmerkungen über die Eingeweide,*

1) Memoires de l'Acad. des Scienc. de Berlin 1765. fig. 1. bb.

p. 25 annotatos lapillos conarii reperi, item in Medical communications Volumine primo, casum cel. WATSON retulit. Immo inciforum noſtri aeui expertiſſimus WALTER MDCCLXXXI Berolini mecum de lapillis conarii verba faciens in omnibus adeſſe pronuntiabat: ſed paulo fuſius GREDINGII obſeruationes poſthumas perluſtrabimus.

1. „*In viro 77 annorum glandulam pinealem rotundiorem plenam ſabulo quinque vel ſex granorum.*" Pondus mihi nimis magnum videtur; *vermiſchte mediciniſche und chirurgiſche Schriften. Altenburg* 1781 p. 11.
2. „*In femina 24 annorum epileptica et delirante glandula pinealis naturali modo conſtructa, nullis lapillis obſita.*" (L. c. p. 110.)
3. „*In femina 54 annorum melancholica in glandula pineali quoad reliqua naturaliter conſtituta lapillus inſignis.*" (L. c. p. 222.) Suſpicor lapillum hunc aceruulum fuiſſe extra conarion poſitum.
4. „*Viro 36 annorum epileptico-fatuo nulli lapilli in glandula pineali.*" (L. c. p. 231.) Forſan ab aquis (quae in ventriculis continebantur) aceruulus, ſuo loco inter ſecandum remouebatur, ſicque euaneſcebat, vt infra fuſius videbimus.
5. „*In femina 62 annorum melancholica glandula pinealis ſolito minor, ſed quoad reliqua ſana.*" (L. c. p. 236.) An ſub ſanitate conarii etiam defectum lapillorum conarii ſubintellexerit, dijudicare nequeo.
6. „*Sabulum glandulae pinealis in viro fatuo.*" (L. c. p. 241.)
7. „*In femina epileptica 39 annorum et furore vterino laborante glandula pinealis mollis, nullis lapillis obſeſſa.*" (L. c. p. 246.) Cerebrum aqua ſuffuſum fuiſſe annotat, minime ergo mirandum, aceruulum euanuiſſe.
8. „*In viro furente 27 annorum in glandula pineali lapilli et ſabulum.*" (L. c. p. 254.) Certe in hoc caſu lapillos extra glandulam (i. e. aceruulum) et intra illam animaduertit.
9. „*Feminae 31 annorum epileptico-furentis cerebrum, neque ſabulum neque lapillos in glandula pineali monſtrabat.*" (L. c. p. 257.) Forſan mollities cerebri, quam annotauit, cauſſa erat, quominus aceruulus oculos incurreret.
10. „*In femina 24 annorum hydropica epileptica furente in glandula pineali inſignes lapilli.*" (L. c. p. 259.)
11. „*In viro 49 annorum cephalalgia laborante glandula pinealis naturali modo conſtituta.*" p. 278. Cum aqua ſuffuſum fuiſſe cerebrum annotauerit, defectus aceruuli facile explicari poteſt.
12. „*In viro 26 annorum melancholico glandula pinealis major et durior adeo, vt digito vix comprimi poſſet.*" p. 279.
13. „*In femina 35 annorum epileptico-furente glandula pinealis ſabuloſa.*" p. 283.
14. „*In femina 35 annorum epileptico-fatua, glandula pinealis minor, duobus lapillis obſeſſa.*" p. 296.
15. „*Feminae 41 annorum melancholicae, furentis glandula pinealis naturalis, vix aliquid duri continens.*" p. 304.
16. *Viro melancholico glandula pinealis naturalis cum lapillo exiguo erat.*" p. 311.

Liquet

Liquet ergo ex hisce obſeruationibus, 1. non in omnibus deliriis affici glandulam pinealem ſecundum caſum 2. 4. 5. 7. 9. 11. 15.

2. In hisce ſeptem caſibus, bis tantum in viris deficere videbatur, quod, quomodo explicari queat, infra videbimus.

3. Forſan in iisdem caſibus aceruulus ante glandulam pinealem reuera aderat, et tantummodo peculiarem adminiſtrationem anatomicam requirebat; ipſe enim expertus ſum ſingularem requiri attentionem non modo, ſed etiam encheireſin pro re nata diuerſam.

Idem vir clar. Greding alibi (L. c. p. 182.) annotauerat ex 100 maniacis 52, qui lapillos vel extra vel intra glandulam pinealem gerebant.

Ex 26 epileptico - maniacis - -	12.
Ex 16 epileptico - fatuis - -	3.
Ex 20 epilepticis - - -	7.
Ex 24 melancholicis - - -	13.
Ex 30 fatuis - - -	19.

In plerisque adeo corporibus reperit, ſed cur non in omnibus, ſponte ex ipſius verbis patet; ipſe enim hoc ipſo loco fatetur, ſe non omnes corporum ſectiones ea, qua ſolent anatomici, diligentia inſtituere potuiſſe.

§. VI.

Concluſiones ex praedictis.

Sed quorſum haec omnia? ſcilicet vt demonſtrem:

I. Adeſſe vel aceruulum extra conarium, vel granula intra illud, in infantibus et iuuenibus [1]).

II. Adeſſe in feminis et viris adultis [2]).

III. In ſenibus et vetulis [3]).

 IV. Adeſſe

1) Obſeruatione noſtra II. III. IX. XVI. XX. XXIII. XXXI. XXXV. Obſeruatione Gredingii 2. 10. 12. In cadauere iuuenili Bartholom. Krüger anatom. curioſa p. 38. In virgine ſedecim annorum B. B. Petermann. Obſ. med. Dec. 1. Obſ. 1. In virgine 20 annorum Drelincourt apud Manget Theatr. anat. Libr. 4. Cap. 2. pag. 309. In puella 20 annorum Günz. l. c. p. 13.

2) Obſeruationibus plerisque, verbi cauſſa; ex noſtris I. VIII. X. XI. XII. XV. XVII. XVIII. XIX. XXI. XXII. XXIII. XXXII. Ex Gredingii obſ. 4. 7. 8. 9. 13. 14. 15. aliisque permultis aliorum auctorum.

3) Obſ. III. V. VI. XIII. XIV. XXV. XXVI. XXX. XXXIV. apud Gredingium Obſ. 1. 5.

IV. Adesse in omnibus fere Europae regionibus Anglia [4]), Dania [5]), Hollandia [6]), Gallia [7]), Helvetia [8]), Italia [9]), plurimis Germaniae regionibus [10]), Borussia [11]), Russia [12]).

V. Quinimo et in Afris [13]).

VI. Adesse in hominibus ad vltimum vsque vitae halitum mente sanis; quod quidem certe noui [14]).

VII. Adesse

4) Edm. King Ph. Tr. n. 189 et ex illis Act. erud. Lips. ann. 1688. p. 234. Pringle teste Hallero de hum. corp. fabr. T. 8. p. 108. Watson account of a gouty body dissected. vide Medical communications Vol. 1. ita enim intelligo verba The glandula pinealis changed into a chalky malter. Blumenbach *medicinische Bibliothek, Band 2. St.* 2. p. 337.

5) Th. Bartholinus anatome reformata II. 6. III. 6.

6) De le Boe Sylvius secundum varios auctores v. c. Diemerbroeckium Anat. L. 3. c. 6. p. 313. Quina apud Ruyschium Thesauro anat. V. N. 63. figuras, ex quibus saltim magnitudo lapillorum discitur, addidit Tab. 2. fig. 5. Regn. de Graaf de fucco pancreatico Cap. 7. Opp. omn. edit. L. B. 1677. p. 587. Stalpartus van der Wiel in obseru. notissimis confer. Cock a Kerkwyck Diss. anat. Ant. Nuck de nouis Inuentis epistola, Adenographiae annexa pag. 150.

7) Iam Regn. de Graaf l. c. p. 587 annotauit, frequentius in Gallia quam Hollandia occurrere lapillos glandulae pinealis. Vieussens Neurographia Lib. 1. Cap. XI. Winslow compendio vsitatissimo. Confer Lorry *Samml. für praktische Aerzte*, 6 *Band.* In primis autem Lieutaud Essays anatomiques vers. germ. Tom. 2. p. 43. item in precis de la medicine practique, et summus Vicq d'Azyr Histoire de la societé roy. de Med. Paris 1779. pag. 205.

8) Wepfer de cicuta aquatica, p. 116.

9) Martinetti l. c. Santorini obs. anat. Morgagni, Caldani in litteris ad Blumenbach datis.

10) Verbi caussa Cassellis, Goettingae, Moguntiae ipse obseruaui, Berolini Meckel sen. Mem. de l'Acad. de sciences de Berlin 1756. et Ill. Walter in colloquio mecum habito, Lipsiae Günzius l. c. in Saxonia Greding l. c. Ienae C. I. Loder in litteris ad me datis, in Bauaria Leveling in litteris ad me datis, Viennae Vetter *anatomische Grundbegriffe von den Eingeweiden. Wien* 1787. §. 65.

11) Cl. Metzger Physiologia §. 373 in editione secunda.

(12 Teste Terechofski.

13) Obseru. nostra XVI. et XX.

14) Sic ipse in duobus violenta morte extinctis Obseru. II. et IV. et inprimis puero egregio Obs. III. Sic Wepferus de Cicuta aquatica p. 116. in infanticida. Brunner in capite plexo de glandula pituitaria Cap. 3. Regn. de Graaf in violenta morte extinctis, de fucco pancreatico Cap. 7. Opp. omn. L. B. 1677. p. 587. Barbeckius in infanticida apud Hersfelt in Philosophia homin. Cap. 16. §. 386. Frequentissime calculosam sane cum mente glandulam pinealem reperit Halleri Elementorum Physiologiae Tomo quarto pag. 343. In femina viginti annorum sana capite plexa Metzger in Litteris ad me datis. Ill. Schmucker in milite paucos post dies vulnere capitis mortuo. *Chirurgische Wahrnehm. Band* 1. p. 119. (non vt Hallerus citat 109.) In homine ingenioso Nuck. Bene etiam annotauit jam Diemerbroeckius pag. 313. „*nusquam obseruatum legi, illis hominibus, in quorum cadaueribus tales calculi in hac glandula reperti sunt, in vita quidquam incommodi circa animales actiones contigisse.*" Nouies in non stultis vitia glandulae pinealis vidit

VII. Adesse etiam corpore sanis [15]).

VIII. Hinc non mirum, etiam in omnibus mente alienatis reperta fuisse granula circa conarion a GÜNZIO, GREDINGIO, aliisque; quoniam perpetuo adesse vidimus.

IX. In casibus, in quibus non inuenerunt lapillos conarii, valde suspicor nihilo-secius reuera adfuisse, sed vel incuria anatomici, vel ob habitum cerebri flaccidiorem non repertos fuisse; experientia enim edoctus noui, quanta saepe adhibenda sit cura et diligentia, ne cum plexu choroideo auferantur lapilli, vel alio quouis modo euanescant. Recte hinc annotauit vir in dissectione capitis diligentissimus GREDING (p. 179 et pluries) in hydrocephalicis ob aquas ventriculorum prorumpentes saepe nonnisi difficillime reperiri posse glandulam pinealem, si autem tantus vir in cerebro *ne quidem glandulam pinealem* sine difficultate reperire potuit, profecto non mirandum, alios anatomicos in cephalotomia parum exercitatos latuisse nonnunquam, cum vel studio in hanc rem inquirerent, aceruulum vtpote magnitudine multo glandula pineali minorem. Ipse etiam Cl. GREDINGIUS, cui in his rebus fidem summam habemus, eodem loco (vt jam supra indicauimus) fatetur, se non omnes sectiones ea, qua solent anatomici, diligentia instituere potuisse.

Eo magis mihi monendi videntur anatomici, ne, si ad quaestionem hanc dirimendam accedant, obiter rem inquirant. Cerebrum enim, quantumlicet recentissimum, non putredine flaccidum, et id quidem summa cura perquirendum; saepe maximam cerebri partem ad vsque thalamos neruorum opticorum frustillatim abstuli, vt ad glandulam pinealem sine ipsius laesione accederem, saepe prius commissuram cerebri maximam, corpus callosum alias dictam, remoui, saepe ventriculos omnes aperui et aquaeductum praescidi, vt latex ventriculorum efflueret; semper autem processum falciformem durae membranae, quocum cohaeret conarion, non negligenter separaui, verbo, pro re nata varias encheireses adhibui, facillime enim aceruulus, vel aqua ventriculorum abluitur, vel plexu choroideo inuolutus perditur. Callide jam DIEMERBROECKIUS L. 3. c. 6 monuit „facile cum plexu choroideo auelli glandulam pinealem" pari modo et WINSLOW annotauit dexteritatem adhibendam esse, ne cum plexu choroideo auferatur glandula pinealis. Si ergo tanta cura glandula pinealis ipsa seruanda, sponte patet, longe majori cura ad detegendum aceruulum opus esse.

X. Mirum

vidit MORGAGNIUS Vir summus de Sed. et caussis morb. Epist. 61. Art. 3. et asserit saepe cum viribus animi integris reperiri, eo etiam redit sententia LIEUTAUD, MECKELII, WALTERI. Pari modo et HALLER Elem. Phys. Tomo IV. p. 343. frequentissime, inquit, calculosam glandulam pinealem sana cum mente vidimus, et expressa sententia VICQ d'AZYRII Memoires de l'Academie des sciences de Paris 1781, quam repetit in Explicatione Planches anatomiques pag. 84.

15) Confer Obseruationes WEPFERI, BRUNNERI, BARBECKII, nota antecedente citatas.

X. Mirum profecto effet, nifi fecundum naturam aceruulus adeffet, me perpetuo in plus quam ducentis cadaueribus, nullo excepto, illum inuenire potuiffe.

XI. Nullo alio loco hucusque in encephalo fimiles lapillos nifi rariffime inveni. Semel tamen in plexu choroideo Equi fatis fimiles lapillos inueni et feruo.

XII. Differunt autem quoad habitum externum lapilli glandulae pinealis ab offificationibus, quibuscunque concretionibus, et caeteris calculis in corpore humano reperiundis, adeo vt facile natura fua dignofci queant.

XIII. Differunt etiam lapilli aetate; pellucidiores et fere candidi in infantibus, luteoli in juuenibus, flaui in adultis, crocei in decrepitis conftanti naturae lege effe vere jam poffum pronuntiare.

§. VII.

Quomodo aceruulus ab offibus dignofcatur.

Aceruulum autem et lapillos humidos faepius microfcopio luftrando vidi, conftructos maffa figuram irregularem gerente, afperula et quafi faxea, vbi autem ficci facti funt, flauedo et pelluciditas ipforum euanefcebat, et in albedinem opacam abibat, poft immerfionem in aqua autem flauedo et pelluciditas redibant. In aquam immiffi velociter fundum petunt. Duritiem infigniorem cum quadam fragilitate poffident. Scheid Diff. de duobus officulis in cerebro humano repertis, Argent. 1687 quaeft. 3. p. 17 fubftantiam horum lapillorum offeam declarauit, fed jure contra illum Morgagnius de Sed. et Cauff. morb. Epift. V. art. 12 monet „inter digitos compreffa haec corpufcula in afperulas quafi arenulas faepius abiiffe, effeque friabilia, quod difcrimen ad calculos ab offibus internofcendos primo loco affert Scheid" hinc ab aliis jam non inepte *granula*, *arena*, vel *lapilli*, vel *fabulum* nominabantur. Lapillum ab offe diftingui poffe friabilitate fabulofa forma et ftrepitu, fubftantiam offis enim effe tenacem, fere corneam et cultro fcindi poffe recte annotauit Blumenbach [1]).

Nihilofecius magnam cum offibus affinitatem habere lapillos vel nidor prodit, quem edunt igni expofiti, vt etiam obferuauit fummus Morgagnius l. c. Epift. 9. art. 17.

§. VIII.

Aceruuli analyfis chemica, quam inftituit cl. Molitor.

Beneuolentiae amiciffimi Collegae Profeff. Molitor debeo, quam hic trado, analyfin chemicam.

„Difficillime

1) *Medicin. Bibliothek*, *Band* 2. pag. 72.

„Difficillime ſoluuntur lapilli ab acido dilutiori vitrioli, nitri et ſalis.“

„Acidum nitri reliquis velocius in illos agit, euoluuntur tunc bullulae ru„brae, et reſiduum lapillorum paulatim in colorem rubrum immutatum acido „innatat. Hic color rufus nil aliud niſi aer nitroſus videtur, cujus origo facile ex„plicanda.“

„Acidum ſalis lentiſſime in illos agit, at minutiſſima granula adeo intumeſce„bant, vt jam maxima in reliquo aceruulo volumine longe ſuperarent. Memoratu „dignum videtur, quod licet volumine tantopere creſcerent, granula nihiloſecius in „fundo vaſis remanerent.“

„Omne autem, quod terreum inerat lapillis, reuera ſolutum fuiſſe ab „acidis hisce, demonſtratur praecipitatione per ſal alkali facta, adeo vt „praecipitatum rite exſiccatum, pondere dimidiam lapillorum partem aequa„ret.“

„Pars lapillorum in balneo arenae ſenſim ſenſimque aucto igni deſtillatorio ad „vsque excandeſcentiam expoſita, principio guttulae phlegmatis odore animali prae„diti quaedam ſtillabat, has excipiebat nidor volatilis alcalinus, donec in collo retor„tae guttulae olei empyreumatici prodirent.“

„Iam poſt exemtionem colorem fuſco atrum induerant, nil enim vlterius in illos „ignis diſtillatorius efficere poterat.“

„Tum igni fuſorio exponebantur, vsque dum ad albedinem calcinati eſſent. Di„midiam jam ponderis partem amiſerant, et illico tunc ab acido nitri dilutiori cum „efferueſcentia ſoluebantur.“

„Haec terra per acida examinata calcarea videbatur.“

„An etiam vt terra oſſium (*Knochenerde*) acido phoſphoreo praedita ſit, ob par„vam quantitatem determinari vix poterat.“

Acido ſaccharino et phlogiſtico componi aceruulum noua analyſis chamaica docuit, quam inſtituit amicus noſter Münch Profeſſor Marpurgenſis clariſſimus.

§. IX.

Circa conarion et aceruulum adhuc perquirenda.

Iam mihi et aliis perquirenda relinquo,

I. Quomodo in embryonibus ſeſe gerat iſta glandula?

II. Cur hoc loco cerebri inprimis inueniantur, non alibi, v. c. in ventriculis, certe ſi alio loco cerebri concretiones inueniuntur, alia, vt videtur, ſubſtantia con-

 ſtruuntur.

ſtruuntur. Generationis calculorum veſicae felleae et vrinariae ratio quaedam plauſibilis cogitari poteſt [1]).

III. An veroſimilis MORGAGNI de Sed. et Cauſſ. morb. Epiſt. 5 art. 12 conjectura, *Calculos eſſe, qui paulatim ex terreis materiae mucoſae particulis, aqueis magis magisque abſumtis, concreuerint?*

Aut MECKELII Memoires de l'Academie des ſciences a Berlin 1756 e ſtagnante lympha oriri vaſorum lymphaticorum glandulam pinealem circumdantium.

1) de qua confer. Diſſertationem meam Reſp. STRAUB de calculis biliariis. Moguntiae 1792.

ADDENDA

ADDENDA AD TOM. II.

pag. 9. l. 23. poſt jaceat adde: a nobis jam pag. 113 publici juris redditum.

pag. 10. l. 6. poſt probauit adde: ſummus Camper 1778.

pag. 10. poſt l. 10. adde: — minus probanda videtur Vincentii MALACARNEI (Neuro - Encefalotomia. Pauiae 1791. 8. pag. 47.) diuiſio neruorum cerebralium in ſeptendecim paria ſcilicet 1) in Par olfactorium, 2) opticum, 3) oculo motorium commune, 4) acceſſorium ad oculo motorium, 5) patheticum, 6) acceſſorium ad patheticum, 7) ophthalmicum, 8) maxillare ſuperius, 9) maxillare inferius, 10) oculo motorium externum, 11) ſympathicum magnum, 12) auditorium, 13) ſympathicum paruum i. e. faciale, 14) ſympathicum medium ſiue vagum, 15) acceſſorium ad par vagum, 16) guſtatiuum, 17) ſuboccipitale, quippe acceſſorium illud par ad oculo motorium, et acceſſorium ad patheticum pro 4 et 6 nil niſi portiones oculo motorii et pathetici ſint — Neruus Nro. 8. 9. 10 vnum par quintum ſcilicet conſtituant — Neruus ſympathicus magnus ad paria cerebralia minime referri poſſit et ſuboccipitale ad neruos colli pertineat.

Rectius autem idem V. MALACARNE (ibidem in nota) gloſſopharyngeum in nervorum cerebralium numerum retulit.

ibid. communicans faciei lege: facialis.

pag. 16. l. 10. dele: mollem dictum.

pag. 72. l. 16. poſt, hominis albi, adde: Kakkerlake dicti.

pag. 102. Neruus *Vagus* me quidem judice apto ſatis nomine *Vocalis* i. e. organis vocis inſeruiens appellaretur.

ADDENDA AD TOM. III.

pag. 20. ad not. *) Non poſſum non hic adjicere quaedam jam antea a me propoſitis, quae electricitatem ſic dictam animalem concernunt. Et ante omnia libros adhuc plures indicabo, in quibus de his phaenomenis atque experimentis expoſitum eſt. Etenim in multis diariis et in multis ſcriptis non ſolum hujus inuenti mentio eſt injecta, verum quoque in omni terra atque a multis inter medicos eruditos et phyſicarum rerum peritos haec experimenta repetita ſunt, et vbique haec res applauſum promeruit. Leguntur de his plura et primaria in de Bononienſi ſcientiarum et artium inſtituto et academia commentariis Bologna Tom. VII. 1791. pag. 460 et in Bibliotheque de Turin 1792. Vol. I. p. 261. — praeterea in HARTENKEILS und MEZLERS mediciniſch chirurgiſcher Zeitung no. 68. et 87. 1792. — Journal der Erfindungen, Theorien und Widerſprüche in der Natur und Arzneywiſſenſchaft. Erſtes Stück. Gotha 1792. S. 114. — GREENS Journal der Phyſik 1792. VI. B. 3. H. S. 371. u. f. — Göttingiſche Anzeigen v. g. S. 1793. no. 31. 32. — EDMUND IOSEPH SCHMUCK Beyträge zur nähern Kenntniſs der thieriſchen Electricität. Mannheim 1792. — in Analytical Review November 1792. p. 350. 352. et January 1793. p. 112. — in Eſprit des Journaux Octobre 1792. p. 352. — Journal de Phyſique Tome XLI. 1792. p. 57.


p. 57. — in Algem. Konſt - en Letter bode no. 224. 225. 226. — — — Jam vero praeter nominatos GALVANI, VOLTA, VALLI ſcilicet, Jo. FR. ACKERMANN, etiam BERLINGHIERI, C. SPRENGELIUS (in litteris ad me datis) et SCHMUCKIUS praeter GALVANIANA experimenta et noua ceperunt egregiamque operam in reuelanda hac re poſuerunt. Inter plura vero experimenta et praeter communia, quae ope ranae in medio diſſectae inſtituuntur, duo tantum hic commemorabo et quidem illud, in quo lingua ſupra labium inferius extenditur, inter quod et linguam fruſtulum ſtanni foliati latitudine quartae partis pollicis ita immittitur, vt aliquantum adhuc dependeat et a lingua tantum firmetur. Cura vero, ne ſtannum foliatum, quod firmiter labio inferiori appreſſum ſit, dentes attingat, quibus alias obnoxia eſt haec encheireſis. Jam his peractis atque lingua deſiccata cochleare argenteum cum conuexa ſua parte admouetur linguae et ad metalli foliati particulam inclinatur et ſimulac argentum linguam et metalli membranam vna tangit, frigeſcit lingua atque ſubtilem ſentit acorem vel aliis ſenſus pruriens fuit. Caeterum fugax eſt ſenſus et protinus in alium tranſit. Quod experimentum a me repetitum eadem me docuit. Aliud experimentum porro haec demonſtrauit. Sumſerunt nimirum ex zinci regulo praeparatam laminam dimidii pollicis latitudinis, quatuor pollicum longitudinis: haec ab vtroque labio et manus ſiniſtrae auxilio ad oris angulum firmatur, mox manu dextra et laminae zinci et oculi dextri albo exteriori argenteum filum in vtroque extremo rotundo globulo inſtructum admovetur et tunc in oculo pulſatorius motus perſentitur. Praeterea ex Cl. VOLTAE litteris ad VAN MARUM datis cognouimus, experimenta Galuaniana modo in voluntarios muſculos agere, nullo vero modo in inuoluntarios, cor ſcilicet, ventriculum, inteſtina. (cf, nota *) p. 22.) Sunt etiam animalia quaedam, vermes e. g. in quibus haec experimenta non ex voto cedunt. Nemo vero hucusque auſus eſt incognitum illud principium, το θεῖον illud, huius nempe neruorum electricitatis cauſſam determinare. Haec igitur dies doceat. L.

pag. 274. l. 11. Nonne et huc referenda ſunt ea, quae dicta ſunt in nota antecedente? L.

pag. 300. l. 24. cff. quae leguntur in Anzeigen der Leipziger öconomiſchen Societät ann. 1789. 1790. 1791. 1792. L.

pag. 304. l. 33. cff. TREUTLER Obſeruationes pathologico-anatomicae auctarium ad helminthologiam humani corporis continentes, Lipſiae 1793. c. f. 4. L.

Tab. I.



Capieux. sculps. 1793.

Tab. II.


I.



II.



III.




Capieux. sculps. 1793.

Tab. III.




Capieux sculps. Lipsiae 1793

Tab. IV.



Capieux: sculps: 1793.

Tab. V.



Capieux. sculps. 1793.